UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

urn:nbn:de:hbz:466:1-67326

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 5776.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
A
R. P. ALEXANDRO
A S. JOANNE DE CRUCE CARMELITA EXCALCEATO
EX PROVINCIA BAVARICA, OLIM S. THEOLOGIÆ
AC SS. CANONUM LECTORE
CONTINUATA.

CONTINUATIONIS
TOMUS TRIGESIMUS
SECUNDUS.
SEU IN ORDINE
TOMUS LVI.
Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620.

Colleg
Universitas Paderborn
1778

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXXVII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



CONSPECTUS LIBRORUM.

LIBER CXCI.

§. 1. *Batavorum Calviniſtarum controverſia de ſumma poteſtate circa ſacra.* Pag. 1

§. 2. *Gomariſtarum tumultus Amſtelodami contra Arminianos.* 5

§. 3. *Novi Arminianorum motus contra Gomariſtas.*

§. 4. *Tumultus ingens Lugduni Batavorum ab Opificum miniſtris excitatus.* 10

§. 5. *Varii Libri & propoſitiones a Sorbona damnatæ.* 12

§. 6. *Cenſura Facultatis Theologicæ Pariſienſis adverſus quatuor Libros de Republica Eccleſiaſtica Marci Antonii de Dominis Apoſtatæ.* 14

§. 7. *Veteris Diſciplinæ reſtauratio in Ordine Præmonſtratenſium a P. Servatio Laeruels inchoata.* 31

§. 8. *Pax inter Ferdinandum Bohemiæ Regem & Venetos firmata.* 34

§. 9. *Comitia Hungarica Posonii celebrata.* 35

§. 10. *Conditiones Ferdinando Regi ab Hungariæ Ordinibus præscriptæ, atque ante suam electionem firmandæ.* 36

§. 11. *Hi articuli a futuro Rege confirmati.* 37

§. 12. *Initia Bohemicæ Seditionis a Protestantibus conflatæ.* 39

§. 13. *Protestantium Comitia Pragæ contra Regni leges habita.* 41

§. 14. *Cæsaris Literæ ad Protestantes Bohemiæ Ordines.* 44

§. 15. *Tres Cæsarei Administri a Protestantibus e fenestra præcipitati.* 45

§. 16. *Apologia rebellium Bohemiæ Procerum.* 53

§. 17. *Jesuitæ publico edicto ex Bohemiæ Regno proscripti.* 58

§. 18. *Cæsar datis ad utraquistas Literis tumultus componere intentus.* 63

§. 19. *Bohemi Protestantes exercitum in Imperio conscribere, a Cæsare incassum prohibiti.* 67

§. 20. *Mathiæ Cæsaris relatio de turbis in Bohemia per Acatholicos suscitatis.* 71

§. 21. *Cæsaris Consilium de milite in Bohemiam decernendo.* 83

§. 22. *Cæsaris responsum ad rebellium Bohemorum literas.* 87

§. 23.

§. 23. *Hostiles Bohemorum Protestantium motus adversus Cæsarem, eorumque Regem.* 90

§. 24. *Dolosa Correspondentium Principum Consilia in favorem rebellionis Bohemicæ.* 92

§. 25. *Melchior Cleselius Cardinalis in custodiam datus.* 97

§. 26. *Udenheimium ab unitis Protestantibus solo æquatum.* 100

§. 27. *Prælium inter Cæsareos, & Bohemos rebelles commissum.* 103

§. 28. *Pilsnensis urbis obsidio.* 105

§. 29. *Protestantes Bohemi in Austriam hostiliter excurrentes.* 107

§. 30. *Anisiani Austriaci Protestantes in Cæsarem rebelles.* 111

§. 31. *Protestantium Germaniæ Principum consilia adversus Cæsarem & Catholicos.* 113

§. 32. *Pax inter Turcarum Imperatorem & Persiæ Regem.* 116

§. 33. *Conspiratio contra Venetos feliciter detecta.* 119

§. 34. *Grisonum tumultus in Rhætia contra Catholicos.* 123

§. 35. *Arminiani a Gomaristis, & Principe Arausicano pessime habiti.* 129

§. 36. *Trajectum aliæque Hollandiæ urbes Arminianis addictæ a Mauritio occupatæ.* 132

§. 37. *Barneveldius unacum aliis in vincula conjectus.* 133

§. 38. *Franciæ Regis conatus de revocanda Provinciarum unione.* 135

§. 39. *Hollandiæ & Weſtfriſiæ oppoſitio adverſus Dordracenſem Synodum.* 137

§. 40. *Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum literæ ad Electorem Palatinum, & Angliæ Regem pro impedienda Synodo Dordracenſi.* 139

§. 41. *Hiſtoria Dordracenſis conciliabuli.* 160

§. 42. *Continuatio Dordracenſis Conciliabuli.* 165

§. 43. *Jeſuitarum Scholæ Pariſiis apertæ.* 172

§. 44. *Diſciplina Monaſtica in variis Franciæ Aſceteriis reſtituta.* 178

§. 45. *Principum atque illuſtrium Virorum fata.* 180

§. 46. *Duo Cardinales a Paulo V. creati.* 181

§. 47. *Pauli Æmilii Sfondrati Cardinalis obitus.* 183

§. 48. *Erminii de Valentibus Cardinalis deceſſus.* 185

§. 49. *Jacobus Daves du Perron Cardinalis fatis functus.* 186

§. 50. *Celeberrimi hujus Cardinalis opera.* 191

§. 51. *Octavii Belmuſti Cardinalis mors.* 195

§. 52.

§. 52. *Decreta Synodi Diœcesanæ Leodiensis.* 195

§. 53. *Pristinum fœdus inter Franciæ Regem & Turcarum Imperatorem.* 198

§. 54. *Propositum de nuptiis inter Angliæ Principem & Hispani Regis Filiam conciliandis.* 200

§. 55. *Paschalis Babylon Franciscanus Beatorum fastis a Paulo V. adscriptus.* 202

§. 56. *Richardi Stanihurstii, Costeri, & Hofstadii obitus.* 204

§. 57. *Petri a Pedrosa Carmelitæ aliorumque ejusdem Ordinis Scriptorum extrema.* 205

§. 58. *Sebastiani Michaelis Ord. FF. Prædicatorum, aliorumque ejusdem instituti Scriptorum mors.* 208

§. 59. *Martinus Smiglecius aliique Societatis Scriptores mortui.* 211

§. 60. *Prosperi Farinacii obitus.* 212

§. 61. *Joannis Moltheri, & Jonæ Hoeckeri fatum.* 214

§. 62. *Variæ decisiones Romanorum Congregationum.* 215

§. 63. *Censura S. Facultatis Theologicæ Coloniensis in quatuor Libros Marci Antonii de Dominis Apostatæ.* 217

§. 64. *Propositiones ex Libro II. decerptæ, Censurisque notatæ.* 226

§. 65. *Censuræ propositionum ex Libro III. depromptarum.* 228

§. 66. *Assertiones ex Libro IV. decerptæ.* 231

§. 67. *Decretum sacræ Facultatis Theologicæ Coloniensis contra quatuor priores Libros Marci Antonii.* 237

§. 68. *Origo & progressus Calvinianæ potestatis in sacra.* 239

§. 69. *Dordracensis Conciliabuli Sententia contra Arminianos.* 250

§. 70. *Severior Sententiæ in Arminianos pronuntiatæ executio.* 253

§. 71. *Judicii acta in Barnefeldium instructa.* 256

§. 72. *Barnefeldius capite plexus.* 259

§. 73. *Barnefeldii epistola ad Ordines Generales Hollandiæ & Frisiæ Occidentalis.* 263

§. 74. *Arma utrinque parata.* 289

§. 75. *Mathias Imperator Augustissimus hoc anno mortuus.* 290

§. 76. *S. R. Imperii Electores a Moguntino ad novi Imperatoris electionem Francofordiam convocati.* 292

§. 77. *Bohemi Protestantes Ferdinandi Regis Clementia ferociores effecti.* 294

§. 78. *Austrii & Moravi a Protestantibus Bohemis ad rebellionem contra Ferdinandum Regem sollicitati.* 296

§. 79.

§. 79. *Brunna a Turriano Comite capta.* 298

§. 80. *Jesuitæ a Protestantibus Bohemis e Moravia ejecti.* 302

§. 81. *Vienna a Turriano Comite incassum tentata.* 306

LIBER CXCII.

§. 1. *Ferdinandus Rex Francofordiam ad novi Cæsaris Electionem profectus.* 311

§. 2. *Bohemorum Protestantium oppositio contra Ferdinandi Regis electionem.* 313

§. 3. *Fœderis inter Bohemos, Moravos, Silesios & Lusatios Protestantes initi capita.* 317

§. 4. *Fridericus V. Palatinus Elector Bohemicam coronam affectans.* 319

§. 5. *Ferdinandus II. Romanorum Imperator electus.* 321

§. 6. *Fridericus V. Palatinus Elector a Seditiosis in Bohemiæ Regem electus.* 323

§. 7. *Palatini Electoris consensus in sui electionem.* 329

§. 8. *Friderici epistola ad Saxoniæ Electorem, hujusque responsum ad illum.* 336

§. 9. *Fridericus a rebellibus Bohemis Rex coronatus.* 342

§. 10. *Britanno - Batavica secretissima instructio Friderico V. data.* 346

§. 11. *Gabor, seu Gabriel Bethlemus Transylvaniæ Princeps Bohemis rebellibus opem pollicitus.* 382

§. 12. *Bethlemi Gaboris irruptio.* 384

§. 13. *Comitia a Protestantibus Silesiæ Ordinibus Vratislaviæ habita.* 387

§. 14. *Pacta conventa pro Catholici exercitus Directione.* 390

§. 15. *Bucquoius e Bohemia Viennam cum exercitu suo a Leopoldo Archiduce evocatus.* 392

§. 16. *Rebelles a Cæsareis profligati.* 396

§. 17. *Comitia a Correspondentibus Norimbergæ celebrata.* 401

§. 18. *Horum Principum Legatio ad Cæsarem & Bavariæ Ducem.* 426

§. 19. *Bavariæ Ducis responsum ad Unitorum Protestantium postulata.* 431

§. 20. *Iterata Correspondentium responsio ad Bavariæ Ducis literas.* 445

§. 21. *Herbipolensis Conventus a fœderatis Principibus Catholicis celebratus.* 454

§. 22. *Sacræ Imagines Pragæ ex arcis templo a Bohemis Protestantibus ejectæ.* 459

§. 23. *Continuati tumultus in Rhætia.* 462

§. 24. *Equestris Ordo de Sancta militia Viennæ erectus.* 464

§. 25.

§. 25. *Quædam Facultatis Theologicæ Parisiensis Decreta.* 465

§. 26. *Propositiones ex Milhardi libro decerptæ, censurisque perstrictæ.* 471

§. 27. *Beatificatio Thomæ a Villanova & Francisci Xaverii.* 474

§. 28. *Maria Medicea Vidua Franciæ Regina e Blesensi custodia Engolismam profuga.* 477

§. 29. *Ludovici Regis responsum ad Matris suæ literas.* 483

§. 30. *Graves tumultus in Gallia ob Reginæ fugam exorti.* 486

§. 31. *Regina Mater Regi filio suo plene reconciliata.* 488

§. 32. *Lucilius Vanius tanquam Atheus flammis traditus.* 493

§. 33. *Metelli Bichii Cardinalis extrema.* 500

§. 34. *Ferdinandus Taberna Cardinalis mortuus.* 501

§. 35. *Francisci Vendramini Cardinalis fatum.* 502

§. 36. *Ferdinandus Austriæ Archidux a Paulo V. Cardinalium Collegio adscriptus.* 503

§. 37. *Principum ac illustrium Personarum obitus.* 503

§. 38. *Decreta Visitationis Apostolicæ pro Diœcesi Fuldensi.* 505

§. 39.

§. 39. *Variæ S. Congregationum decisiones.* 508

§. 40. *Weigelii, Jacobi Böhmii & Cotteri Deliria.* 511

§. 41. *Franciscus Lucas Brugensis & Philippus Moncæus mortui.* 517

§. 42. *Joachimii Backii & Arnoldi ab Isca, atque Antonii Molinæ obitus.* 519

§. 43. *Quidam Scriptores e Societate mortui.* 520

§. 44. *Mathiæ Haffenrefferi & Joannis Assumi obitus:* 521

§. 45. *Helvici Garthii & Joannis Gordonii extrema.* 522

§. 46. *Insequentium Calamitatum origo.* 523

§. 47. *Oratio de auctoritate Regum & Principum contra Protestantium molimina asserenda & de caussis bellorum in Europa.* 529

§. 48. *Hungarorum rebellium responsio ad Cæsaris postulata.* 557

§. 49. *Fœdus inter Hungaros & Bohemos ceterasque rebelles Provincias.* 560

§. 50. *Cæsaris responsum ad falsas Hungarorum accusationes.* 564

§. 51. *Induciæ Cæsarem inter & Hungaros pactæ.* 565

§. 52. *Fridericus Palatinus ad Moravos, Silesios, aliosque homagii exigendi caussa profectus.* 568

§. 53.

§. 53. *Cæsaris edictum contra electionem Friderici in Bohemiæ Regem.* 570

§. 54. *Suppetiæ ab Angliæ Rege Friderico promissæ.* 584

§. 55. *Crebræ velitationes inter Cæsareos & Bohemos alternante fortuna commissæ.* 587

§. 56. *Electorum ac Principum Conventus apud Mulhusium coactus.* 590

§. 57. *Mulhusiani Conventus Literæ ad Fridericum Palatinum.* 595

§. 58. *Friderici Palatini responsum ad hasce Electorum Mulhusii congregatorum literas.* 602

§. 59. *Bohemorum responsio ad Mulhusiani Conventus literas.* 605

§. 60. *Correspondentium Principum & Argentinensium responsum ad Mulhusianos.* 607

§. 61. *Catholicorum Principum Herbipoli congregatorum responsio ad Protestantium postulata.* 609

§. 62. *Monita Cæsaris ad Palatinum, Imperii Principes, Præfectos, & Civitates Imperiales.* 614

§. 63. *Friderici Palatini Literæ contra Ferdinandi Imperatoris electionem.* 615

§. 64. *Bavariæ Ducis copiæ transitu prohibitæ.* 618

§. 65. *Novi in Galliis tumultus.* 621

§. 66.

§. 66. *Regina Mater & Principes Regi rursus reconciliati.* 623

§. 67. *Hugonotarum bellum adversus Ludovicum XIII. Franciæ Regem.* 626

§. 68. *Lodunensis Bearnensium Hugonotarum conventus contra Regis edictum.* 629

§. 69. *Ludovici XIII. Regis expeditio in rebelles calvinistas Bearnenses.* 633

§. 70. *Plures Hugonotarum Conventus in variis Franciæ urbibus.* 639

§. 71. *Hugonottarum Conventiculum Amiliani habitum.* 644

§. 72. *Calvinistarum Navarrensium proditio contra Regios Ministros.* 647

§. 73. *Aliud Hugonottarum conventiculum jam antea Alesiæ habitum.* 650

§. 74. *Principum Protestantium Conventus Ulmæ habitus.* 652

§. 75. *Maximiliani Ducis expeditio in Superiorem Austriam.* 656

§. 76. *Austriæ inferioris Ordinum Legatus ad Maximilianum Bavariæ Ducem decretus.* 658

§. 77. *Homagium ab Austriæ Ordinibus Cæsari præstitum.* 661

§. 78. *Hungarorum rebellium Comitia Neosolii celebrata.* 666

§. 79. *Ordinum Hungariæ novum fœdus in his comitiis stabilitum.* 668

§. 80.

§. 80. *Bethlemius Gabor in Hungariæ Regem proclamatus.* 670

§. 81. *Bethlemius Gabor Cæsarem apud Turcarum Imperatorem traducere conatus.* 672

§. 82. *Ambrosii Spinolæ expeditio in Palatinatum.* 674

§. 83. *Saxoniæ Elector a Ferdinandi II. Cæsaris partibus.* 678

§. 84. *Saxoniæ Electoris expeditio in Lusatiam.* 681

§. 85. *Budissa ab Electore Saxonico obsessa, captaque.* 683

§. 86. *Deditionis pacta.* 685

§. 87, *De Friderici Palatini proscriptione, ejusque executione deliberatum.* 688

§. 88. *Maximiliani Bavariæ Ducis expeditio in Bohemiam.* 689

§. 89. *Plura loca a Cæsareo-Boico milite hostibus erepta.* 693

§. 90. *Haslangus Bellidux a rebellibus captus; pessime habitus, & mortuus.* 696

§. 91. *Posonium a Gabriele Bethlenio occupatum.* 697

§. 92. *Dolosa Friderici Palatini sollicitatio ad transactionem cum Bavariæ Duce ineundam.* 701

§. 93.

§. 93. *Maximiliani Ducis responsum ad Palatini Legati propositionem.* 706

§. 94. *Idem Bavariæ Dux ingens integræ cladis periculum eluctatus.* 705

§. 95. *Crebræ velitationes inter Cæsareo-Boicos, & Fridericianos.* 709

§. 96. *Bucquoius leviter vulneratus.* 710

§. 97. *De prælio committendo deliberatum.* 713

§. 98. *Decreta a Maximiliano pugna adversus Bohemos.* 715

HISTO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tres Cæſaris Miniſtri ab Hæreticis e feneſtra projecti.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CXCI.

PAULUS V. PONTIF. MAXIMUS.
MATHIAS I. OCCID. IMP.

§. I.

Batavorum Calviniſtarum controverſia de ſuprema poteſtate circa Sacra.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Interim in Belgio fœderato controverſiæ illæ inter Arminianos & Gomariſtas magis magisque exæſtuabant;

Sæc. XVII. A. C. 1618.

isti enim universam potestatem rerum Ecclesiasticarum, dogmatum, censuræ, rituum & Synodorum convocandarum solis Verbi Ministris a jure concessam esse, ac proin cuivis communitati pro suo arbitrio Ministros sibi præficere, integrum esse contendebant, Gomaristæ vero eisdem præter externam curam, atque executionem vix aliud concedebant, supremam in res sacras potestatem solis Principibus adjudicantes. Enimvero hæc quæstio de supremo in controversiis disciplinæ, & doctrinæ Judice, cui etiam Ministros vocandi jus competeret, jam dudum apud ipsos Lutheranos agitabatur, sed hucusque nondum decisa est; ex his Guilielmus Sarcerius Mansfeldensis Præco in suo libro de mediis conservandi Religionem pag. 287. tradidit, quod Principes, Nobiles, & Magistratus veluti *Ecclesiæ feudatarii & Vasalli* potestatem vocationis primum a Pastoribus tanquam *Dominis directis* accipiant (*). Pariter Georgius Myller seu Myllius Augustano Magistratui *jus vocationis* denegabat, quamvis novus hic

(*) Ich laß mir gefallen, daß die Obrigkeit den Beruf der Kirchendiener habe, doch mit dem Bescheid, daß sie weiß, daß solcher Gewalt der Kirchen Eigenthum ist, und daß sie dieselbige von ihr zu Lehen trage.

hic Præconum *dominatus in ipsis principiis* expulsione Ministrorum ibidem suppressus fuerit (*) Nullatenus autem in Belgio eadem lis sopiri potuit, aut per Sacram Scripturam, aut per Ordinum decreta, quibus contra Gomaristas statutum, quod *cuilibet Provinciæ, imo & cuivis Civitati & comunitati*, quam ipsi Ecclesiam vocant *liberum sit, ut suo arbitratu Pastores eligeret:* Ceterum utraque pars litigantium Angliam in suas partes pertrahere conabatur, ut saltem potentia & auctoritate decideretur illud Religionis caput, quod nec Sacræ Paginæ, utpote ab utraque parte in suum favorem allegatæ, nec cujuscunque Ecclesiæ, utpote in aliam jurisdictione carentis, sententia & judicium definire potuit. Ceterum Gomaristæ Protestantes haud firmum caussæ suæ fulcrum sibi polliceri poterant in patrocinio Anglorum, cum non modo ipsemet Rex, sed etiam plures Episcopi non prorsus alieni essent ab Arminianorum sententia: quos inter haud infimus erat Joannes Overallus Convetriensis, & Lichtfeldensis Pseudo-Epi-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

(*) Der Herrn Pfleger und geheimen Räth der H. Reichsstadt Augsburg wider Georg Müllers ausgestreuten famosen gedicht Anno 1587. num. 94.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

ſcopus, qui in ſua epiſtola ad Hugonem Grotium die vigeſima Junij Londino data teſtatur, quod ſumma delectatione perlegerit ipſius librum de *imperio ſummarum poteſtatum in Sacra*: controverſias tamen de *Prædeſtinatione* magis magisque in ſchiſma erumpere deplorat, addens, quod Spalatinus Archiepiſcopus profeſſus eſſet, *eas non ſibi videri res fidei, ſed diſputationis Theologicæ, ideoque non eſſe permittendum, ut Concionatores his de rebus, publicis & adverſis Concionibus ad diſtractionem plebis inter ſe contenderent, ſed potius privatis colloquiis Doctorum, ex liquidis S. Scripturæ & antiquitatis teſtimoniis easdem componerent.* His ſubjunxit Overallus, ejusdem quoque Sententiæ Epiſcopos fuiſſe Regemque dixiſſe, *videri ſibi temerarium, de hujuscemodi quæſtionibus divinæ Prædeſtinationis tam ſcrupuloſe homines contendere, tamque confidenter aſſerere, quaſi cœlo delapſi divinis conſiliis interfuiſſent.* Ita nempe omnes Sectarii ceteros mox ad *liquida Sacræ Scripturæ, & antiquitatis* (vix non dixiſſent: traditionis) *teſtimonia* in ſuis controverſiis remittunt, quin tamen expenſis utrinque ejusmodi teſtimoniis vel unicum controverſiæ caput hucuſque decidere potuerint, ſed vel ad *mutuam tolerantiam*, vel militarem vim, aut ad miſerum illud effugium

gium, quo motam controversiam non esse *circa fidem ajunt*, recurrere coacti fuerint, prout ad annum sequentem luculenter patebit. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. II.

Gomaristarum tumultus Amstelodami contra Arminianos.

Deficiente igitur legitimi Judicis auctoritate tanto furiosius Gomaristarum seu Contra-Remonstrantium in Arminianos, & in illos horum exardescebant animi, quanto arrogantius Gomaristæ Mauritii Comitis Nassovii, Principis Aurasici, & ex Ordinibus non nullorum patrocinium potentiamque jactitabant: nec moderatiores erant Arminiani, seu Remonstrantes, qui universum ferme populum, atque ex Optimatibus non paucos, suæ doctrinæ suffragari gloriabantur. Horum igitur præsidio tuti Remonstrantes dominica die duodecima Februarij Amstelodami hora constituta in ædibus cujusdam mercatoris convenerant, sectæ suæ Præconem audituri. Id cum Gomaro-Calvinistæ animadvertissent, ingens continuo eorum multitudo domum primum assultat, mox & fenestras, valvasque lapidibus obruit, & paulopost cives magno numero accurentes vim intentant

Neuvill. hist. D'Holland. tom. 1. pag. 110. Jæger. hist. Eccl. l. 7. c. 7. Merc. Gallob. tom. 11. lib. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1618

tant & arma, domusque vastitatem, ni novæ hæresis declamator prodeat, minantur: ubi igitur misellus Præco e suggestu suo descendere cogebatur, nulla mora primo convitiis, postea pugnis & fustibus contusum, amictu spoliant; pars & sanis impetitum, ac luto fœde conspurcatum in aquas domui proximas raptant, in illas eum, ut os porcinum, corpusque spurcum elueret, abs dubio projecturi, nisi tempestive in ædes quasdam dilapsus, vitæ periculum evasisset, pro quo tamen interim furentibus Gomaristis pœnas dedere Mercatoris ædes, in quibus scamna, subsellia, fenestras, magnamque suppellectilis partem in aquas abjecerunt.

Nec tamen hac calamitate sapere docti Remonstrantes, denuo evoluto octiduo die decima nona ejusdem Mensis in alterius opulenti Mercatoris *Egberti Petri Biscopii* domo convenerant. Jamiam alius ad dicendum Orator accinctus, ad audiendum frequens cœtus paratus & arrectus stabat, cum Prætor Urbanus paris seditionis tumultum veritus, cum apparitorum manu superveniens, conventibus æque ac ejusmodi declamationibus posthac finem poni præciperet. Enimvero Arminianorum potissimi, ut morem gerere simularent, ædibus excessere: vix autem Prætor ab-

abſceſſerat, cum illico millia circiter Gomoriſtarum plebeia multitudo inconditis clamoribus inſtaret, atque ad perniciem & internecionem, Arminianorum omne nomen depoſceret: alii inſane bacchantes Mercatoris domum obſident, feneſtras ſaxis, portam vectibus, in ipſa domo ſcamna, ſedes, & ſuggeſtum convellunt, ſupellectilem, penum, pecunias, celasque diripiunt, cuncta vini aliorumque liquorum, quos abligurire haud poterant, dolia effringunt, capſisque convulſis & arcis pretioſas telas, ceterasque merces tanquam bello victores in prædam inter ſe dividunt: obſiſtentes vero armata manu, minisque necis repellunt: Jam ſpoliis ſatures, in Arminianum inquirunt Præconem, qui tamen contumeliæ, qua nuper ejus Socius afficiebatur, haud immemor, mature ſeſe periculo ſubduxerat, nequidem expectato famuli ſui miniſterio. Hunc vero quamprimum conſpexerant Gomariſtæ mox pallio ſpoliant, peſſime, ac inhumaniſſime mulctant; tunicam quoque ejus foede laceratam inter ſe partiuntur, & laciniæ quiſque partem ſpiris pileorum inſerunt, tanquam puri veterisque Calviniſmi teſſeram, & damnati Arminianiſmi Signum: In quo ſymbolo Calviniſtæ præter intentionem concinne ſignificabant, quod eo-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

eorum Protoparens æque ac quondam Arius inconſutilem Chriſti tunicam, Eccleſiam, Luthero forficem commodante, fœde diſſecuerit.

Tenuerat hæc furentium rabies jam novem omnino horas, nec illius adhuc exitus ſperari poterat; æris igitur campani pulſu, & Præconis per omnes plateas obequitantis voce tumultuantes, indicta etiam mortis pœna, domum ſeſe recipere jubentur. Ad has tamen voces ſurdæ erant eorum aures: quocirca ſuggreſſi Magiſtratus unacum armatorum centuria, pontibus aliquot retractis, turbam interciderunt, turbulentamque plebem disjecere. Tertia poſt hora, nocte inſequenti novis direptionibus anſam præbuit incendium in publico diverſorio, aliisque duabus ædibus exortum, ad quod partim reſtinguendum, partim reſuſcitandum tumultum confluxerant quamplurimi: ut ergo malo remedium tempeſtive afferretur, Magiſtratuum juſſu haud pauciores quater mille militum, civiumque armatorum congregantur, ut ea nocte dieque poſtero toto per urbis plateas paſſim diſtributi excubias agerent. Die autem vigeſima Februarii facta per domus inquiſitione ex tumultuantibus duodecim deprehenſi, atque in carcerem conjecti fuere, vagabundi vero, nullis-

nullisque ſervitiis obſtricti, quorum numerus ad tria millia aſcendebat, propoſita capitis pœna, urbe excedere juſſi ſunt: ut autem impoſterum ejusmodi tumultibus obviaretur, auctoritate publica Templum aliquod Arminianorum Concionibus peculiare in urbe conceſſum eſt. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. III.

Novi Arminianorum motus contra Gomariſtas.

Hac ratione paulo quietiores erant Arminianorum res & Conventicula, ſed non in longum tenuit hæc malacia; quippe Ultrajectenſes, Lugduno-Batavi, & Harlemenſes inſtigante præprimis Barnefeldio, Utenbogardo, Ledenbergio, Hugone Grotio, aliisque ſententiam ſuam tam de jure Miniſterii Paſtoralis, quam de Prædeſtinatione armis tutari decreverant. Adſtipulabantur eis Hollandiæ Weſt-Friſiæ Ordines edita hanc in rem declaratione. Amſtelodamenſis tamen Senatus non modo militem conſcribendi facultatem Arminianis denegabat, ſed etiam contra eos Synodum nationalem indicere ſtatuebat; inſuper Dudlæus Charletonus, quem Jacobus I. Angliæ Rex pro componendis his diſſidiis ablegaverat, in

Sæc. XVII. A. C. 1618.

frequenti Batavorum Ordinum Conventu vehementer contra Arminianos declamabat : aſt ejus orationi mox a Taurino Arminiano oppoſita prodiit Satyra , quæ *Lancis Trutinantis* titulum præſeferebat : cujus tamen uſum , & lectionem, urgente Oratore Regis, gravi ſubjacere mulctæ pœnæque, declarabatur, ac præterea ei, qui typographum indicaſſet, indicii pretium , aurei Carolini ſexcenti , nomen autem Authoris detegenti, mille decernebantur; denique Fæderati Belgii Ordines datis ad urbium Magiſtratus , ceterosque Ordines literis jubebant, ut milites nuper conducti nulla mora a ſignis ſuis dimitterentur.

§. IV.

Tumultus ingens Lugduni Batavorum ab Opificum miniſtris excitatus.

Merc. Gallobelg. t. 12. lib. 1. Neuvill. pag. 118.

Interea Lugdunenſis Senatus, qui Arminianis adhærebat, præter conſuetum præſidium duas militum cohortes conſcripſerat, quas *Exſpectantes* vocabant , quia nonniſi Ordinum juſſa ſe expectaturos jurabant , & nec Mauritii Principis colore in veſtibus ſuis utebantur, nec etiam ejus inſignia in vexillis geſtabant : id vero indigne ferentibus qui-

quibusdam opificum famulis, die septima Octobris ingens in urbe tumultus oriebatur; cum enim ex his quidam militi colaphum impegiſſet, mox ceteri fuſtibus & lapidibus milites impetunt, ac *Vivat Naſſovius* exclamantes, tanto impetu in hos proruunt, ut illos, cæſis jam utrinque, ac ſauciis quamplurimis, in fugam agerent, tumultu non niſi Magiſtratus auctoritate ſedato. Poſtea Fœderati Ordines Gomariſtis addicti, datis ad varias urbes literis, queſti ſunt, quod proprio placito milites conſcribere præſumpſiſſent, id vero in ſui defenſionem adverſus plebis tumultus factum reponentibus Arminianis, Roterodamenſes aliarumque urbium cives acrius in Gomariſtas inſurgebant, eosque e Templis expulſos pro ſuis declamationibus ad privatas domos confugere cogebant. E contrario autem Gomariſtæ adverſus quinque Arminianorum articulos de Prædeſtinatione & adverſus Religionis controverſias decidendi jus Politico Magiſtratui adjudicatum declamabant, ſtatuentes, Nationalem Synodum a Fœderatis Ordinibus eſſe convocandam, non vero, uti Arminiani contendebant, *Provincialem* duntaxat a privatis Hollandiæ, aliarumque particularium Provinciarum indicendam: Ceterum Barnefeldius, ceterique

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

rique Arminiani, Nationalem Synodum non quidem respuebant, hanc tamen legitimam, atque a partium studio alienam celebrari, ibidemque legem Ultrajecti stabilitam observari cupiebant, vi cujus res Ecclesiasticæ cuique particulari Provinciæ fuerant reservatæ, quamvis postea Ordines, ut vocant, Generales tanquam supremi Principes post prætensam reformationem leges Ecclesiasticas condendi potestatem sibi solis vendicarint.

Anno 1579.

§. V.

Varii libri & propositiones a Sorbona damnatæ.

Argentre Concl. S. Facult. Theol. tom. 2. pag. 100.

Cum Sacra Theologorum Facultas Parisiensis semper intenta esset, ne errorum, ac hæresum virus in plebem Christianam serperet, eodem adhuc studio permota die prima Januarij sequentem proscripsit propositionem: *Tanta fides adhibenda est responsis dæmonis exorcisati in corpore humano existentis vi & virtute exorcismi, quanta Deo ipsi loquenti;* Die autem prima Mensis Aprilis prævio examine eadem Facultas declarabat, quod Francisci Monginothi Regii Medici liber, cui titulus: *Enodatio dubiorum, seu Epitome decisionum inter Ecclesias reformatam & Catholicam* consarcinatus

natus ſit ex antiquis hæreſibus jam pridem ab Eccleſia Catholica reprobatis, impudentiſſimis mendaciis atque impoſturis, necnon depravatis Sacræ Paginæ teſtimoniis, & fraudulenter in erroneum, atque hæreticum ſenſum traductis refertus ſit: quocirca eadem Facultas præſata omnes Epiſcopos rogabat, ut pro ſui officii auctoritatisque ratione hunc librum ſub anathematis pœna, & judicii Divini interminatione perlegi aut retineri inhibeant. Pari etiam cenſura Sorbonici Doctores proſcripſerunt die decima ſeptima Julii, cujusdam, nomine *Chappuzeau*, librum Gallicum, qui ſic inſcriptus erat: *Obligatio generalis hominum cujuscunque conditionis erga Deum, Regem, Rempublicam, proximum, & erga ſeipſum:* cum autem quatuor Miniſtri Charentoniani venenatum libellum veluti fidei Confeſſionem in vulgus ſpargerent, hinc die prima Auguſti cenſuit S. Facultas, hunc librum damnationis ſtigma ſat notum præſeferre, nullaque alia cenſura indigere, *utpote de cujus doctrina ab antiquis Patribus conclamatum eſſet anathema Calvino & Luthero*: duntaxat igitur ſupereſſe, anathema conclamandum etiam quatuor iſtis Miniſtris Charentonianis: Denique ſecunda Septembris die Magiſter Nicolaus Isambertus Syndicus, Pariſienſis Epi-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618. Episcopi jussu Facultati tradidit cujusdam hæretici librum, in quo execrandæ contra Deum, Eucharistiæ Sacramentum, & Papam blasphemiæ in publicum profusæ continebantur: sciscitabatur igitur Syndicus, an Facultas se liti jam coram caussarum criminalium Prætore adversus hunc hæreticum inchoatæ adjungere velit, ne tanta injuria Religioni Catholicæ illata permaneret inulta, atque impunita? Eapropter Facultas quosdam Doctores ad Episcopum ablegabat, qui eidem caussas aperirent, quibus permota Facultas nullo pacto sese prædicti hæretici a Parisiensi Prætore jam ad mortem damnati negotio immiscere velit.

§. VI.

Censura Facultatis Theologicæ Parisiensis adversus quatuor libros de Republica Ecclesiastica Marci Antonii de Dominis Apostatæ.

Argentre l. c. p. 103. Sub idem tempus Parisios delatum erat celebratum opus *de Republica Ecclesiastica* Authore Marco Antonio de Dominis olim Archiepiscopo Spalatensi apud Joannem Bilium Londini editum: cum autem hic liber tum ob Authoris digni-

dignitatem tum propter peſtiferæ doctrinæ virus valde periculoſus eſſet, atque aliunde, ut inquiebat Facultas, *plerique diverſis in locis ementito Catholicorum nomine, non ita ut par eſt, in ſupremum Antiſtitem propenſi cognoſcerentur*, hinc Pariſienſis Univerſitas quosdam Doctores die trigeſimo octobris nominabat, qui hunc librum ſedulo diſcuterent. Iniquo autem prorſus animo ferebat Facultas, quod hic Apoſtata Pariſienſem Univerſitatem *reipſa* ſecum idem ſentire, ac duntaxat verbis a ſe ipſo diſſentire, impudentius jactitaſſet; quocirca ſuæ doctrinæ integritatem vindicatura die decima quinta Decembris percepto ac ponderato Doctorum judicio I. cenſuit, „hunc librum tanquam „legi Divinæ, antiquis Eccleſiæ Cano„nibus, veterum Patrum doctrinæ, „traditioni, & praxi Eccleſiæ Catholi„cæ omnino contrarium, hæreticum, „impudentiſſimis calumniis, erroribus, „atque innumeris mendaciis refertiſſi„mum, totius Ordinis Hierarchici ſub„verſivum, damnandum, execrandum „& populo Chriſtiano penitus interdi„cendum, prout de facto damnat & exe„cratur. Secundo cenſuit, ex tot tan„tisque hæreſibus, erroribus, calum„niis, mendaciis, & ceteris id genus „portentis aliqua eſſe ſeligenda, & cen„ſuræ

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„ſuræ propriæ nota afficienda, ut ex „paucis iſtis, quam merito fuerit præ„dictum Opus condemnatum, & quam „contagioſum & execrandum ſit, quis„que facile dignoſcat. Tertio cenſuit „univerſos Eccleſiæ Catholicæ Præſu„les ac civiles Magiſtratus humillime „eſſe obſecrandos, & per viſcera miſe„ricordiæ Dei obteſtandos, ut prædicti „operis lectione, & retentione populo „Chriſtiano interdicant, & ſi opus ſit „ſuæ interdictioni tam juſtæ cenſuras & „pœnas adjungant, & tandem ne hujus „operis condemnatio quemquam lateat, „cenſuram hanc typis eſſe evulgandam.

Poſtea ex innumeris aliis propoſitionibus, quibus præfatus hujus hæretici liber ſcatebat, Facultas ſequentes damnavit, ſuisque cenſuris perſtrinxit. Prima erat hæc: Eccleſia ſub Romano Pontifice non eſt amplius Eccleſia, ſed Reſpublica quædam humana ſub Papæ Monarchia tota temporali, vinea eſt ad ſolum Noë inebriandum: grex eſt, quem Paſtor emungit ad ſanguinem, imo excoriat, & mactat.

Expoſ. conſilii de ſua defectione n. 1. l. 1. c. 1.

Hæc propoſitio prima ſui parte eſt hæretica; dicit enim veram Eccleſiam, cum non alia ſit, quam quæ Romano Pontifici paret, jam deſiiſſe, pro reliqua vero parte eſt calumnioſa, & ſcandaloſa.

II. Qui

II. Qui de Republica Ecclesiastica sicut de pure humanis philosophantur, mihi videntur non parum a recto tramite aberrare, non modo quia in ea re requirunt veram jurisdictionem, hoc est, vim coactivam, & subjectionem externam, ubi tamen omnis gloria ejus ab intus. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propositio, qua parte veram jurisdictionem, id est vim coactivam & subjectionem externam Ecclesiæ denegat, est hæretica, & totius Ordinis Hierarchici perturbativa, atque confusionem babylonicam in Ecclesia generans.

III. Sacerdotes omnes mortales in Ecclesia Christi, quicunque illi sint, non tam dicuntur proprie sacrificium offerre, quod vere & proprie solus Christus obtulit, quam Sacrificii illius memoriam celebrare (hoc facite in meam commemorationem).

Hæc propositio, si intelligat actionem Sacerdotum Missam celebrantium, non esse verum & proprium Sacrificium, est hæretica.

IV. Inquiunt Apostoli, nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus, non dicunt nos legibus coactivis condendis ac tribunali vacabimus, nos pro arbitrio præcipiendo, puniendo, dominando, sed orationi & ministerio verbi

Sæc. XVII. A.C. 1618.

instantes erimus, quia aliud sibi commissum officium non agnoscebant.

Hæc propositio est hæretica in illis verbis, quia aliud sibi commissum officium non agnoscebant.

V. Disparitas potestatis inter Apostolos est humanum inventum in Sacris Evangeliis, & Divinis novi Testamenti Scripturis minime subsistens.

Hæc propositio est hæretica, & Schismatica, de jurisdictione Apostolica, Ordinaria, quæ in solo Divo Petro subsistebat, intellecta.

VI. Monarchiæ forma non fuit immediate in Ecclesia a Christo instituta.

Hæc propositio est hæretica, Schismatica, Ordinis Hierarchici subversiva, & pacis Ecclesiæ perturbativa.

VII. Si de vero & proprio Vicario loquamur, qui perfectissime Christi vices post ejus in Cœlum ascensum plene gesserit, geratque in terris, & gesturus sit usque ad consummationem sæculi, quis dubitat esse Spiritum Sanctum Paracletum?

Hæc propositio est erronea & Scandalosa, atque hæresim Macedonii expresse redolens in Verbo, Vicarii proprie sumpti.

VIII. Petrus ferme statim ab illa eadem fide decedit, scilicet post confessam Christi divinitatem Matth. 16.

Ne-

Neque ſemel, ſed ſæpius titubans, etiam poſt Chriſti aſcenſionem & Spiritus Sancti illapſum. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propoſitio eſt erronea, temeraria, & in beatum Petrum contumelioſa.

IX. Paſce oves meas, hoc eſt Iſraelitas, qui tunc ſoli erant Chriſti oves: unde dicebat: non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael, & Paulus ipſum Dominum vocat Miniſtrum Circumciſionis.

Hæc Propoſitio in verbo (ſolos Iſraelitas) *eſt hæretica, & ignorantiam craſſiſſimam Authoris prodit.*

X. Tametſi articuli Joannis Huſſ aliquid ſimile cum meis aſſertionibus continerent, damnati tamen non fuere legitime; quia eorum ſingulorum examen non apparet.

Hæc propoſitio eſt falſa, erronea, ac in Concilium Conſtantienſe, quaſi non legitime proceſſerit in damnandis erroribus Huſſitarum contumelioſa.

XI. Doctrina in articulis Joannis Hus contenta, nimirum in Eccleſia non dici unum caput ſupremum, & Monarcham præter Chriſtum, ſuam Eccleſiam per multos Miniſtros, ſive uno iſto Monarcha mortali regere perfecte, & gubernare, eſt doctrina Chriſtiana a Sanctis Patribus egregie explicata & confirmata.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propositio est hæretica quoad singulas partes.

XII. Si quid incommodi habet Aristocratia, cui Monarchia facile possit obviare, Ecclesia Spiritu Christi instructa, propterea in singulis Ecclesiis voluit Monarchiam, & in se totam Aristocratiam.

Hæc propositio est hæretica & schismatica; quatenus vult Ecclesiam universalem secundum se totam esse Aristocraticam.

XIII. Deus Spiritum sanctum toti Ecclesiæ promisit, non alligando ipsum certis personis, sive certo generi personarum, puta solis Presbyteris, aliisve Clericis ad Ministeria Ecclesiastica deputatis, sed ipsum voluit esse per omnes, licet non per singulos diffusum: & consensus totius Ecclesiæ in aliquo articulo, non minus intelligitur in Laicis, quam etiam in Presbyteris & Prælatis. Sunt enim Laici in Ecclesia, imo etiam ex Ecclesia, ipsiusque solidam, & majorem partem constituunt.

Hæc propositio est hæretica, & status Ecclesiæ perturbativa, quatenus ad fidei propositiones statuendas consensum laicorum requirit.

XIV. Sicut Apostoli simul & in solidum Aristocratice curam gerebant Ecclesiæ cum potestate æquali & universali

ſali, ita Epiſcopi omnes ſimul & in ſolidum eandem regunt Eccleſiam, ſinguli cum plena poteſtate. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propoſitio eſt Hæretica & ſchismatica quoad ultima verba, ſinguli cum plena poteſtate.

XV. Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum Succeſſores, quia in eorum Officio, quod erat Apoſtolorum omnium commune, ſuccedunt omnes omnibus in ſolidum.

Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, cum agat de jurisdictionis Apoſtolicæ poteſtate.

XVI. In poteſtate univerſali ſuccedunt Epiſcopi non modo univerſi ſed etiam ſinguli.

Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchismatica.

XVII. De Ordine nihil prorſus habemus, quo ipſius inſtitutio ad modum Sacramenti appareat.

Hæc propoſitio eſt hæretica & ſcandaloſa, & ſtatui Sacerdotali & Epiſcopali contumelioſa.

XVIII. Non eſt Ordo verum Sacramentum, ſed mera ad miniſterium deputatio ſine iſtis characteribus & impreſſionibus.

Hæc propoſitio tota eſt hæretica ſecundum utramque ſui partem & prout negat

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Ordinem esse verum Sacramentum, & prout in eo characterem non imprimi asserit.

XIX. Si quis ex laico seu Diacono, aliove gradu infra Presbyteratum immediate in Episcopum ordinetur, is plenissime erit Episcopus, & ex tali ordinatione habet totam etiam Presbyteralem potestatem.

Hæc propositio est hæretica & scandalosa per saltum volens aliquos ad Episcopatum promoveri posse.

XX. Augustinus agnoscit tantum duo vera & propria Sacramenta, quæ clare & expresse pateant a Christo instituta.

Hæc propositio est falsa, & in Beatum Augustinum contumeliosa.

XXI. Dicat mihi noster hic Deus ridiculus, seu Vice-Deus, si nemo præter ipsum potest Episcopum ab una Ecclesia ad aliam transferre.

Hæc propositio est contumeliosa, scandalosa & piarum aurium offensiva.

XXII. Dico Romanam Ecclesiam & ex magnitudine Civitatis, & ex eo, quod eam duo primi Apostoli fundaverunt Petrus & Paulus, & ex aliis capitibus extra jus divinum habuisse, ut semper reputata sit Ecclesia principalis, non tamen Domina & Regina super universas Christi Ecclesias: neque Augustinus, neque ullus ex antiquioribus Patri-

Patribus, ſummam Eccleſiaſticarum rerum in Romana Cathedra poſuerunt, erat ergo & eſt Eccleſia præcipua nobilitate, exiſtimatione, nomine & dignitatis authoritate, non Regiminis & jurisdictionis principatu. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica, quatenus aperte inſinuat Romanam Eccleſiam jure Divino authoritatem in alias Eccleſias non habere.

XXIII. Sacri Miniſtri ad Cœlibatum jure non tenentur.

Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſtatus Clericorum, & totius Reipublicæ Chriſtianæ perturbativa.

XXIV. Quamvis Epiſcopi inducta conſuetudine, ut ſi conjugati eſſent in ſui promotione, ceſſarent inpoſterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex Religione, aut cautione, quod ſi putarent id eis jam minime licere, ſed ex devotione, & perfectioris cujusdam puritatis amore &c. Hanc tamen devotionem non omnes Presbyteri, qui ſunt multo plures, ſunt amplexi, ſed ſoli, qui libere voluerunt. Et ita Presbyteris liberum manſit, ut qui poſſent capere, caperent.

Hæc propoſitio pro prima ſui parte falſa eſt & erronea; pro ſecunda vero, quæ dicit Presbyteris liberum manſiſſe matrimonium, eſt hæretica.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

XXV. Cœlibatus a libera pendet clericorum voluntate & electione: & si post sacros Ordines quis contrahat matrimonium, id firmum erit & legitimum.

Hæc propositio est hæretica, quatenus universalis Ecclesiæ consuetudini & consensui repugnat.

XXVI. Concludimus primo, votum solemne Monachorum, si quid efficiat ultra votum simplex eorundem jam vitam Monachalem amplexorum, id totum sola Ecclesiastica constitutione efficere.

Concludimus secundo, solemnitates has voti scilicet impedire quidem ac vetare, ne matrimonium contrahatur, contractum tamen post illas ex eis non dirimi, sed esse ratum firmum & valitum tam in Monacho, quam in Moniali, sicut post votum simplex.

Hæc propositio quoad secundam illam partem contractum tamen &c. *est hæretica, scandalosa & Ecclesiæ status perturbativa.*

XXVII. Si propria authoritate sine causa legitima quis Monachus professus fiat desertor, hic sane peccat contra Deum, & damnationem habet, sed Ecclesia nihil habet contra illum in foro externo: habet tamen in foro conscientiæ propter peccatum, ut non absolvatur,

tur, nisi redeat, aut sine legitima causa absolvatur, etiam non rediturus per irritationem, vel commutationem voti: quod si uxorem duxerit, pœniteat de peccato desertionis, sed permaneat in conjugio: neque enim amplius indiget ulla dispensatione, ipse enim per assumptionem status incompassibilis cum Monachatu secum satis dispensavit, quia longe arctius est vinculum connubii, quam Monachalis professionis.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propositio quoad secundam partem, Ecclesia nihil habet &c. *est hæretica, quoad illam aliam partem,* si uxorem duxerit, permaneat in conjugio &c. *est etiam hæretica, scandalosa, & Ecclesiæ perturbativa.*

XXVIII. Totus Concilii Tridentini scopus fuit, ut amplissimam jam innumeris usurpationibus Papalem potestatem non modo stabiliret, sed etiam faceret ampliorem; solus enim Papa, solaque Roma Concilium illud rexit, struxit & instruxit.

Hæc propositio est falsa, contumeliosa, & viam aperiens ad multas hæreses in hoc Concilio condemnatas renovandas.

XXIX. Unumquemque Episcoporum jure divino esse universalem.

XXX. Monarchiam semper Christus a sua Ecclesia amovit, & eam ipsa Ecclesia est abominata.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propositio sicut & prior est hæretica, schismatica, & Ordinis Ecclesiastici perturbativa & subversiva.

XXXI. Falsum est, unionem Ecclesiæ Catholicæ in unitate Rectoris visibilis consistere.

Hæc propositio est hæretica & schismatica, quatenus negat unitatem Rectoris visibilis ad unionem Ecclesiæ facere.

XXXII. Supremus Ecclesiæ Romanæ Primatus, ipsiusque supra ceteras omnes Christi Ecclesias imperium, revera nullis solidis innititur fundamentis.

Hæc propositio est falsa, & viam ad hæreses, & schismata sternens.

XXXIII. Neque Antiochiæ, neque Romæ Petrus proprie sedit, qui non ut sederet, sed ut excurreret, Apostolatum accepit; & quocunque pergebat, semper suam Cathedram, hoc est, Episcopalem potestatem secum deferebat, quam nulli certo loco alligatam habebat.

Hæc propositio est falsa, & quæ ignorantiam Authoris prodit.

XXXIV. Tota, ut vidimus antiquitas universalitatem Romani Episcopatus penitus ignoravit.

Hæc propositio est ut præcedens falsa, & eandem ignorantiam authoris ostendit.

XXXV.

XXXV. Romanam Ecclesiam esse constat perfectissime Schismaticam, quæ se a corpore Ecclesiæ universalis tunc abscidit, quando membrum ipsius esse recusavit, & quod pejus est, & schismati addit Tyrannidem vere antichristianam, caput se contra Christum, qui solum & verum suæ Ecclesiæ caput est, constituit. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propositio est hæretica & Schismatica.

XXXVI. Omnes sane Episcopi sunt omnium Apostolorum etiam Petri in solidum Successores, *& paulo post*, non enim habuit Petrus quicquam peculiare, in quo ei dari debeat magis quam ceteris simul omnibus successio.

Prior propositio, qua parte statuit singulos Episcopos successores, est captiosa, quia Petrus ultra potestatem Ordinis, in qua ei succedunt Episcopi, aliam habuit jurisdictionis Apostolicæ, cui solus Romanus Pontifex succedit, posterior est hæretica & schismathica, & Hierarchici Ordinis subversiva.

XXXVII. Planum est, Papatum hunc esse totum fictitium commentum hominum a Christi institutione remotissimum.

Hæc propositio est hæretica, ut jam supra notatum est.

XXXVIII.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

XXXVIII. Absolute nego Romanum Pontificem esse Petri peculiarem quocunque jure successorem: ex jure enim divino colligimus, Romanum Pontificem non posse ulla ratione peculiari Petro succedere.

Hæc propositio est hæretica, & schismatica, atque Romano Pontifici contumeliosa.

XXXIX. Potestatis plenitudo, ut optime docent Parisienses, data est Ecclesiæ universæ, hoc est omnibus & singulis Episcopis in solidum.

Hæc propositio est contumeliosa in facultatem Parisiensem in particula: singulis Episcopis.

XL. Sciant etiam de jure divino veram jurisdictionem in Ecclesia nullam esse, sed totam charitate regi &c.

Hæc propositio est hæretica, & Ordinis Hierarchici subversiva.

XLI. Parisiensium doctrina enucleate intellecta nihil discrepat a mea his libris tradita doctrina & ab ipsa veritate: *& paulo post*: Schola itaque Parisiensis & nostra est, & re ipsa potestati studet Aristocraticæ, non Monarchicæ: quare ex ejus quoque doctrina, Papatus nullo potest solido subsistere fundamento.

Mera contra Facultatem Parisiensem impostura.

XLII.

XLII. Sed ego quoque illiteratum & notorie ac insigniter scelestum ex Sanctorum Patrum dictis, insinuavi Sacrum Ordinem non suscipere: & Sacrum Ordinem posse admitti. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hæc propositio est hæretica, & inter hæreses Bohemorum in Concilio Constantiensi condemnata.

XLIII. Concilia Occidentalia, ut Lateranense sub Innocentio III. Lugdunense sub Gregorio X. & Florentinum sub jugo Monarchiæ Romanæ Ecclesiasticæ jam dominantis gemendo, applaudere tanto Monarchæ sunt coacta.

Hæc propositio est falsa, calumniosa & scandalosa.

XLIV. Bedam, Anselmum, Hugonem Victorinum & Bernardum inter Monarchicos non quidem decipientes, sed potius deceptos reponimus. *Et paulo post*, alios vero posteriores magna ex parte parasitos, & assentatores, malæque fidei deceptores, & contra propriam scientiam & conscientiam contentiosos & verbosos disputatores, isthac in causa reiicimus penitus, ne dicam, contemnimus.

Hæ propositiones sunt contumeliosæ.

XLV. Si quis vero opponat in Concilio Constantiensi fuisse Wicleffi & Hussi articulum de Primatu Papæ ab eis negato condemnatum &c. respondemus

Sæc. XVII. A.C. 1618.

mus, Patres Concilii Constantiensis Monarchiam Ecclesiasticam tenuisse, & communissimo jam errore fuisse infectos.

Hæc propositio quoad ultima verba est hæretica, & in Concilium Constantiense contumeliosa.

XLVI. Si sede vacante Canonici Lateranenses cum reliquo Romanarum Ecclesiarum proprio Clero & Senatu populoque Romano conjuncti Pontificem Romanum eligerent, & eundem sic electum facerent ab Episcopis circumvicinis, etiam non Cardinalibus (si Episcopi Cardinales renuerent) consecrari, is verus & legitimus esset Pontifex, multo magis quam ille, quem in conclavi eligerent Cardinales & consecrarent.

Hæc propositio est seditiosa, & scandalosa, hæretica quoad formam & modum electionis.

XLVII. Quod Parisienses, Cardinales solos faciant totius Ecclesiæ universalis nomine, Papæ electores, est mera unitas, quia supponunt in Ecclesia universali unum Papam universalem, qui toti præsit Ecclesiæ universali tanquam Episcopus universalis.

Hæc propositio est erronea, cujus error cadit in particulam mera unitas, *& quoad suppositionem, quam Parisiensibus tribuit,*

buit, falsa, ejusque falsitas in hæc verba: tanquam Episcopus universalis *cadit, quasi alii Episcopi sint tantum Papæ Vicarii.* Sæc. XVII. A. C. 1618.

Post promulgatam harum propositionum censuram etiam Romæ hoc anno die secunda Decembris præfati Authoris liber *de Republica Ecclesiastica* & die decima sexta Martij anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo primo cetera ejusdem Marci Antonii opera ad librorum prohibitorum Catalogum fuere rejecta.

§. VII.

Veteris disciplinæ restauratio in Ordine Præmonstratensium a P. Servatio Lairuels inchoata.

Jam ab aliquo tempore celeberrimus Ordo Præmonstratensium ætatis vitio a primæva instituti sui sanctimonia declinare cæperat, prævalente otio, & ignorantia ceterisque malis ex hac radice pupullantibus: nunquam tamen inter ipsas laxioris vitæ corruptelas adeo emarcuit Religiosi fervoris flos, quin non saltem pauci invenirentur, qui inter oculta cordis sui suspiria severiorem disciplinam revocare peroptarent. Hos inter haud infimus erat Venerabilis Pater Servatius Lairuels, qui a Francisco de Longo-Prato supremo Ordinis Præ-

Hist. Eccl. de Lorr. Calmet. tom. 3. pag. 150. Instit. res. in Ord. Præm. Paris.

Long - Pre.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Præpoſito Viſitator Generalis conſtitutus unacum Patre Daniele Picarto Abbatiam Sanctæ Mariæ ſeu Muſſipontanam in veterem diſciplinæ ſanctitatem vindicare ſtatuit. Mortuo igitur Picarto Abbas conſtitutus, varia condidit ſtatuta, quæ ipſemet Generalis rata quidem habuit, perpetuam tamen a carnibus abſtinentiam, necnon jejunii a Feſto exaltationis S. Crucis uſque ad Paſcha excludi voluit, eoquod hujus legis veniam centum quindecim abhinc annis Papa feciſſet. Obſtiterant novis hisce inſtitutis Religioſorum nonnulli, in quibus diuturna laxitatum conſuetudo callum induxerat: nihilominus Patre Gouſſeto, qui defuncto Franciſco Præpoſito ſucceſſerat, ſtatuta rurſus approbante, Pater Servatius hoc anno ſummum adiit Pontificem, ſupplex, ut ſua quoque auctoritate inſtauratæ diſciplinæ leges confirmaret, quas ubi ejus juſſu Carolus Lotharingiæ Cardinalis Virodunenſis Epiſcopus examinaverat, easque veteri hujus Ordinis inſtituto penitus conſonas deprehenderat, Paulus V. Papa novam hanc reformationem in Congregationem evexit, edito deſuper diplomate die decima octava Junij. Poſtea Gregorio XV. Divi Petri Cathedram moderante, idem Præpoſitus Generalis ſtatuit, ut deinceps

ceps veteris disciplinæ Cultores nullatenus stabili lege suo quisque Monasterio adscriptus remaneat, sed tanquam totius Congregationis membra de una in aliam Abbatiam, prout bene visum fuerit, transferri valeant, quod idem a Papa die decima septima Aprilis anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo primo confirmatum est, eodemque anno Franciæ Rex novam hanc disciplinam, in cetera Regni Monasteria invehendi facultatem regio diplomate concessit. Verum illius incrementa tam in Romana Curia, quam in Regis Senatu præpedire nitebantur laxioris disciplinæ Religiosi, caussantes, quod hæc diplomata falsis expositis, verisque rationibus silentio pressis fuerint extorta, atque ipsissima hæc novitas non modo Ordinis firmitati, sed & Regis juribus adversetur. Nihilominus Papa die nona Februarij anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo vigesimo nono Reformatis Monasteriorum possessionem asserebat, eaque per Rupifocaldium Cardinalem die vigesima sexta Augusti legitimo nomine novæ Congregationi unita fuisse declarabat. Denique hanc quoque Pontificis Sententiam anno sequenti die vigesima sexta Julii Ludovicus XIII. Franciæ Rex ratam habebat.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. VIII.

Pax inter Ferdinandum Bohemiæ Regem & Venetos firmata.

Fereras Hist. Hisp. cap. 2. tom. 11. Maurer relat. Hist. cont.

Pactis anno priori induciis eo major affulgebat firmæ pacis fiducia, quo magis periculosas turbas Acatholici in Bohemia contra Cæsarem, legitimumque Regem concitare videbantur: Eam ob caussam Mathias Imperator concordiam Ferdinandum inter & Venetos maturare, toto studio adlaborabat: Obstabant tamen Veneti, quibus articulum de reddendis navibus fuisse neglectum displicuit, cum vero summus Pontifex, & Cosmas Magnus Etruriæ Dux pro concilianda pace partes suas interponerent, mox nomine Ferdinandi Bohemiæ Regis Baro de Harrach, & Jacobus Eldingus, a Veneta vero Republica Hieronymus Justinianus, & Antonius Priulus, eo autem in Ducem electo Nicolaus Contarinus in Veglia Insula convenere, de exequendis concordiæ articulis deliberaturi. Complanatis igitur omnibus, quæ adhuc obstare videbantur, cuncta olim Madriti proposita pacis capita utrinque in effectum deducta fuere, ac præprimis Segna seu Zenga Uscochorum Metropolis Germano milite præsidiario munita, mutuum

cum

cum Venetis commercium denuo restitutum, & piratarum centum triginta tres perpetuo mulctati exilio, incensisque eorum domibus, ac navigiis Uscochorum nomen, simul ac diffidii fomes penitus extinctus est. Ut ergo hæc pax omnibus nota fieret, die prima Februarij Cæsaris nomine Cleselius Cardinalis, jussu autem Ferdinandi Bohemiæ Regis Joannes Ludovicus de Ulm Pro-Cancellarius, præter Ascanium Gesualdum Papæ Nuntium, & Julium Medicæum Etruriæ Ducis Oratorem, & Georgium Justinianum Venetorum Legatum Neostadii convenere, quibus præsentibus omnes Madritensis pacificationis articuli palam prælegebantur, ac solemni promulgatione facta utrinque rati habebantur.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. IX.

Comitia Hungarica Posonii celebrata.

Promota concordiæ stabilitate Ferdinandus Bohemiæ Rex die decima nona Martii Posonium ad Hungariæ comitia contendit. Erant ea ibidem eo fine indicta, ut de querelis subinde expositis tandem in Regno abrogandis, necnon de novo Rege, qui defuncto aliquando Cæsari succederet, eligendo ageretur. Postquam igitur Ferdinan-

Arth. Dantisc. tom. 12. lib. 2.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

dus Hungaricos Proceres pereleganti latina oratione ſalutaſſet, die vigeſima tertia Martij Pro-Cancellarius eisdem Cæſaris nomine propoſuit, quod Imperator Ferdinandum in Filium ac hæredem aſſumpſerit, huncque pariter ab Hungariæ Proceribus nunc in Regem ſuum eligi peroptaret, ut eo eventu, quo Cæſaream Majeſtatem ſuam absque maſcula prole decedere contingat, Regno de certo Rege ac Succeſſore proviſum eſſet, ita tamen, ut Cæſare adhuc ſuperſtite præter ejus mandatum, & præviam Hungarorum conſultationem Ferdinandus nullo pacto ſe publicis Regni negotiis immiſceret, ſed ſolo coronati Hungariæ Regis honore contentus eſſet.

§. X.

Conditiones Ferdinando Regi ab Hungariæ Ordinibus præſcriptæ, atque ante ſuam electionem firmandæ.

Arth. Mert. Gallob. t. 12. l. 2.

Percepta Cæſaris voluntate Hungariæ Ordines, Statusque ad Sigismundum Forgatſium Regiæ Curiæ Judicem referebant, quod Ferdinandum in Hungariæ Regem eligere decreverint, ea tamen lege, ut hic cunctas Regni libertates, ſtatuta & jura firmiter ac integre

gre obſervet, atque ab omnibus obſervari curet, ſimulque cuncta gravamina ſubinde emergentia in comitiis, ſaltem quolibet triennio celebrandis, tollat, Regnique negotia per Hungaros pertractet, eisque Præfecturas conferat. His nondum contenti Proteſtantes, inſuper petebant, ut Judices ſine Religionis diſcrimine eligerentur, cunctisque Nobilibus, liberis civitatibus, univerſisque Regni Ordinibus, etiam in confiniis Hungariæ, necnon in oppidis, & villis Religionis exercitium ubique liberum relinqueretur, nec quisquam in libero ejus uſu a quopiam, aut quovis modo turbaretur: Inſuper Rex coronam Regni ex Hungariæ Regno nunquam aufferat, vel aufferri permittat, ſed in Regia conſervet, fœdera cum Bohemis obſervet, arces quasdam ab Auſtriacis & Polonis gratis liberet, & Regnicolis reſtituat, Nobilibus vero Heiduccis ſua privilegia confirmet, ſeque in Regni adminiſtrationem, ſuperſtite Cæſare, non ingeſſurum ſpondeat.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XI.

Hi articuli a futuro Rege confirmati.

Priusquam Hungariæ Proceres Ferdinando Regi hosce articulos traderent, in locum Comitis Georgii Turſo-

Petrus de Reva Monarch. Hung cent. 7.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Pannon belli & pac. Hist. part. 1. pag. 244.
Han novo & vetus Pannon pag. 313.

nis defuncti Palatini Comitem Sigismundum Forgatsium subrogant, ac per eum Ferdinando præscriptas porrigunt conditiones, quibus perlectis hic eisdem respondit, quod omnes hi articuli, excepto primo & ultimo, potius eorum gravamina, quam sui electionem a Cæsare propositam respicerent; cum ergo hisce rebus sese immiscere, haud sibi integrum foret, aliunde vero de propensa has querelas tollendi voluntate Cæsarea certi essent, hinc illos monitos velit, ut ad ea, quæ Cæsar deliberanda proposuisset, progrederentur. Verum hoc responso haud contenti Protestantes, petita sua rursus urgebant, quocirca Cæsar æque ac Ferdinandus præfatos omnes articulos ratos habebant, traditis hanc in rem publicæ fidei literis. Igitur die decima sexta Maij Ferdinandus Archidux in Regem Hungariæ proclamatus, die prima Julii a Petro Pazmanio Strigoniensi Archiepiscopo coronatus est, populi jubilis, festivis ignibus, crebrisque tormentorum explosionibus per totam circum Regionem reboantibus. Absoluta tandem hac solemnitate, ac Regina pariter ibidem inuncta & coronata Ferdinandus cum Maximiliano Archiduce componendis Bohemiæ turbis operam daturus Viennam reversus est.

§. XII.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XII.

Initia Bohemicæ seditionis a Protestantibus conflatæ.

Quamvis tam Rudolphus & Mathias Cæsares, quam etiam Ferdinandus II. Bohemiæ Rex sese Protestantibus tam benevolos exhibuissent, ac toties eorum importunitati pacis studio cessissent, nihilominus hi tam ambitionis studio, quam insano sectæ suæ per fas nefasque protendendæ fanatismo correpti, hoc anno motuum scintillas in Bohemia sparsere, quæ tam commune concitarunt incendium, ut inde universa Germania diuturnis bellis conflagrarit, ac pene in cineres resederit. Hujus vero tumultus prima origo & caussa exstitit, nimia Catholicorum indulgentia erga Sectarios, & horum aversio a Catholicis; postquam enim Bohemia ab avita Religione degenerans, jam a Joannis Hussi temporibus in multiplicem sectarum colluviem scissa erat, ac præter Calixtinos, & Picarditas, præcipue Lutheri, Calvini & Zwinglii Sectatores, qui Utraquistæ seu sub utraque specie communicantes appellitabantur, suorum numero & potentia invaluerant, hi Rudolphum Cæsarem inter arcta prehensum vi metuque eo adegerunt,

Carafa comm. de Germ. Sac. rest. Adlzreiter Annal. Boic. part. 3. l. 3. Barre hist. d'allemagne t. 9. pag. 456.

Sæc. XVII. A.C. 1618 runt, ut Regio diplomate, quod *Majestatis literas vocant*, Lutheranis suam sectam profitendi, novaque in Regno Templa suis in fundis construendi libertatem, solis tamen Bohemiæ Statibus indulgeret: Hoc obtento Protestantes Bohemi hæc ipsa diplomatis verba maligne interpretantes, promiscue cunctis pro suo arbitrio in quolibet fundo Templa erigendi facultatem esse concessam dictitabant, quinimo, prout semper audacior fit Sectariorum factio, collatis inter se pecuniis Ecclesiam in oppido Brunoviæ, licet ejus Dominium ad Abbatem spectaret, & alterum Clostergrabii, qui vicus Archiepiscopo Pragensi suberat, construere præsumebant. Id vero cum nec Archiepiscopus nec Abbas ferre possent, defertur querela ad Cæsarem, qui per Provinciæ Prætorem, quod Lutherani in alieno fundo Templum invito Domino erexissent, admonitus, eis diem dici, ac interim inchoatæ molitioni supersedere jussit, & petulantiores ex civibus in vincula conjici voluit. Verum Brunoviensis Lutherani, quantumvis & jurisdictioni Abbatis ut cives, & multo magis tribunali Regis, ut Bohemi, subjecti essent, nihilominus non modo utriusque mandatum vilipendebant, sed insuper eorum *Conservatores*, qui libertati, sectæ-

que

que conſervandæ deſignati erant, eisdem præceperunt, ut cæptis Templi operibus impigre inſtarent, Regisque mandata flocci haberent. Tanta eſt ſectarii ſpiritus impudentia! Parem Fani conſtruendi licentiam ſibi arrogabant Cloſtergrabienſes Lutherani; cum vero a Cæſare hunc auſum reprobari ſenſiſſent, cæptum opus funditus ſubrui permiſerunt, ac de reparatione haud ſolliciti, ſolum alienum Domino ſuo poſſeſſorique liberum reliquere: ob hanc tamen ſubmiſſionem tanquam *imbelles & effæminati* a ceteris Sectariis traducebantur. Ita nempe apud hoſce Novatores crimen eſt in ſubditis, obedire ſuis Præpoſitis, ſi hi religione Catholici ſunt.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XIII.

Proteſtantium comitia Pragæ contra Regni leges habita.

Interim Bohemi Proteſtantes ſuam in Regem ſuum ac Cæſarem pervicaciam excuſaturi, ubique ſparſerunt, violata eſſe Majeſtatis privilegia ſibi olim a Rudolpho Cæſare conceſſa: Ut igitur hujus querelæ momenta maturius diſcuterentur, Mathias Imperator ac Bohemiæ Rex anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo ſexto Rudolphi-

Jæger. hiſt. Eccl. l. 8. c. 1. Maſſen. Annal. Trev. lib. 23. Bracheli. Hiſt. noſt. temp. l. 1. pag. 5.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

dolphinum hoc diploma, quo niti contumaces illos intellexerat, in arce Brandisina ad examen vocari jussit, hancque in rem Henricum Comitem Turrianum Regiæ coronæ Custodem rebellium Principem, Udalricum Gerstorfium Curiæ Regiæ Procuratorem, & alium e numero Civium, præter peritissimos Jure-consultos præsentes esse voluit. Re autem probe discussa, atque in utramque partem librata pronuntiatum est, in diplomate Majestatis datam quidem Regni *Ordinibus* nova „condendi Templa *in Regio fundo* facul„tatem fuisse, nullatenus autem per„missum, in Ecclesiastici dominatus fun„do pro cujusvis arbitrio, Dominis in„vitis, Templa erigere; nec Rudolphum „Cæsarem voluisse, aut potuisse, jura „Sacrorum lædere, aut beneficium ulli „cum præjudicio tertii concedere, de „ceteto Regum ac Legislatorum, non „autem subditorum esse, dubia legis „interpretari„ Protestantes hujus sententiæ æquitatem, cum rationibus haud possent, obtenta Cæsaris inscitia eludere præsumebant, palam in suis comitiis affirmantes, quod Mathias Rudolphi mentem minime assecutus, in errore versaretur, proin ejus imperiis obsequium palam abnuendum esset. Haud ultra Imperator tam aperte tamque itera-

rato

rato Majeſtatis contumeliam impune in ſe accipere poterat, quin tot veteres injurias diſſimulanter ferendo, provocaret in ſe novas; quocirca miſſis Pragam novis mandatis, cum Lutherani parere renuiſſent, ex Brunovienſibus magis ſeditioſos in cuſtodiam rapi, Templum claudi, illiusque claves ad Regiam Curiam deportari juſſit. Hoc erat (ſimulac effectum eſt) communis veluti rebellionis claſſicum; mox enim ineunte hujus anni Menſe Majo ſectæ Defenſores, excluſis Catholicis, invito, inconſultoque Cæſare altera habuere comitia, licet id Regni legibus vetitum eſſet: Ibidem indignas adverſus Regia edicta expoſtulationes jactatæ, effuſæ querelæ de abrepta Sacrorum libertate, de literis Majeſtatis in pravos ſenſus detortis, oppreſſisque Utraquiſtis, necnon univerſis Bohemici Regni privilegiis inquiſſime peſſumdatis; conſulendum igitur de rationibus conſervandæ immunitatis, ac Religionis, quam ſi legum auctoritate non poſſent, armis vindicare neceſſarium. Ad hanc provocationem eo proniores erant Sectariorum aures, quo impenſius ipſi etiam Defenſores conjurati jam ante hæc comitia bellum inter ſe decreverant, ac cum ceteris Germaniæ Proteſtantibus fœde-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Vid. Supra lib. 188. §. 48. *& ſeq.*

Sæc. XVII. A.C. 1618. fœdera contra Cæsarem, Domum Austriacam, & Catholicos inierant.

§. XIV.

Cæsaris literæ ad Protestantes Bohemiæ Ordines.

Arthus Dantisc. tom. 12. l. 3.

Tam insolens Utraquistarum protervia graviter offenderat Imperatoris clementissimi animum; cum vero hic Regiam auctoritatem suam hisce ausibus proterve violari, indeque funestissima quæque oritura probe prospiceret, Protestantes Bohemos, ut a nefario suo proposito desisterent, sequentibus literis Vienna Pragam datis dehortatus est. „Haud ignoro, vestra comitia ad„versus meam Personam fuisse celebrata; „quæ enim contra Brunovienses & Clo„stergrabienses acta sunt, meipsum con„cernunt, meoque jussu facta fuere: Vos „vero Rudolphini Cæsaris diploma, & „transactionis inter vos & Catholicos „factæ limites egressi, alienos subditos in „iniqua caussa & seditione adversus „meam sententiam protegere, populum„que concitare ausi estis, sparsoque in „vulgus rumore de abrogandis literis „Majestatis, & milite externo hanc in „rem evocato, populorum simplicitati „illusistis, nomenque Regium invidiose tra-

„traduxiſtis: in horum igitur Authores „animadvertere cogor, ne meis deſim „partibus: interim vero præcipio, ut „ab his conventibus usque ad adven„tum meum abſtineatis, & vos Bru„noviensium cauſſæ non ingeratis; „inſuper monitos volo Bohemos, ne „ejusmodi conventiculis, ſi quæ rurſus „a Defenſoribus absque meo juſſu in„dici contingeret, interſint.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XV.

Tres Cæſarei Adminiſtri a Proteſtantibus e feneſtra præcipitati.

Quantumvis Mathias Imperator hoſce ſeditioſos paterna potius querela, quam ſupremi Judicis acrimonia, nequidem intentata ſontium pœna, increpuiſſet, nihilominus Lutherani Conſervatores, etſi Catholicos omnes, atque ex Proteſtantibus nonnullos Cæſari obtemperare cernerent, ab eo tempore longe ſeditioſius adverſus Regem ſuum agere, & fremere cæperant, eorumque juſſu Lutherani Verbi Præcones in ſingulis eorum fanis conventum proxima die vigeſima prima Maij in Aula Carolina celebrandum e pulpitis promulgarunt, populumque ad tuendam ſectam, Deumque pro felici conventus ſucceſſu exorandum concitarunt.

Galleazo Priorato Hiſt. de Ferd. III. p. 1. c. 1. Annal. Boici l. c. Carafa Germ. reſt. Epitome rer. Germ. p. 4.

Præſti-

Sæc. XVII. A. C. 1618. Præſtituta die Carolinum in Collegium ingens undique frequentia Utraquiſtarum concurrit, decantantur Pſalmi, qui ſeditioni ſufflandæ ſpeciem pietatis inducerent, poſtea pſalmodiam Præco quidam ſermone ad accendendam populi audaciam aptiſſimo interpollabat, ex quo præſentes tam inſano corripiebantur enthuſiasmo, ut pro defendenda ſacrorum ſuorum libertate lethum ingenti animo oppetere viderentur. Demum de modo ſectam literasque Majeſtatis defendendi, Templa per omnem Bohemiam conſervandi, novaque erigendi, captosque Brunovienſes, & præcipue Theobaldum Hohkium liberandi mediis deliberarunt, incitatisque ad quamvis audaciam animis diſceſſerunt. Simul inter hæc a Defenſoribus clam quibusdam valentibus ac lacertoſis juvenibus ſuadente Mathia Comite Turriano datur negotium, ut perendie accepto ſigno Catholicos Aulæ ſanctioris Optimates, quamprimum regiam in arcem ac Regii Tabularii conclave ventum eſſet, de feneſtris præcipites darent.

Is interim dies advenerat Maij vigeſimus tertius, quo Proteſtantes Bohemi Ordines equis vecti magno numero ad arcem Regiam contendebant, ſinguli ſuis ſtipati famulis, binisque inſtructi ſclopis ad feriendum expeditis. Sequebatur

batur eos pene promiſcua Sectariorum multitudo: cum his in Tabularii Regii conclave catervatim ac tumultuoſe penetrant: Conſederant ibidem Cæſarei, Regiique Miniſtri Adamus Sternbergius Regni Burggravius, Popelius Baro, Guilielmus Slabata Regiæ Cameræ Præſes, Comes Martinizius Regni Mareſchallus, & Philippus Platerus, alio nomine Fabritius, qui a Tabularii Regii ſecretis erat. Ab his igitur tanquam jus ſibi debitum, ſectæ, & Templorum libertatem, pactorum, & Regii diplomatis cuſtodiam, captorumque liberationem depoſcunt. Auditæ ſunt a Regiis Miniſtris perbenigne eorum querelæ, imo & Sternbergius ac Popelius leni ſermone eisdem reſpondentes, ſeſe quodammodo eorum poſtulatis accommodabant, Martinizius vero & Sclavata, ne Fabritio quidem tacente, pro Cæſaris auctoritate fortius aliquanto loquentes exponebant, quod quidem Imperator Rudolphini diplomatis auctoritatem, illiusque uſum, legibus tamen Divinis conſonum ipſus cordi haberet: Brunovienſes autem non in Religionis odium, ſed ob Cæſarei mandati contemptum in vinculis detinerentur, eorumque miſſio a ſola Cæſaris, cujus ipſi duntaxat vices agerent, clementia dependeret. Adhucdum hi tres Adminiſtri pro Impe-

Sæc. XVII. Sæc. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618. Imperatoris caussa differebant, cum seditiosi exclamarent: *Vos duo estis illi jurati hostes nostri, Religionisque nostræ Osores, vos Cæsarem induxistis, ut conventus nostros habere prohiberet*, his dictis nonnulli ex condicto Sternbergium & Popelium, quos sibi assensuros sperabant, seorsim abducunt, mox vero alii ad Slabatam, Martinizium, & Fabritium conversi vociferabantur, *ad fenestras ad necem!* dein illos tanquam patriæ & libertatis proditores, ac Evangelicæ Religionis hostes per vim abripiunt, longoque per cœnaculum spatio inter inconditos clamores raptant: rogant hi, ut saltem pro expiandis vitæ suæ noxis Confessarii copiam eis concedere velint, quibus tamen subridendo reposuere sicarii, *nunquid maledictos vestros Jesuitas adesse velletis, non, haud amplius vacat*, his dictis quinque rebelles Martinizium fenestræ magis vicinum ex arcis fenestra in subjectam aream saxis stratam præcipitem dant e loco amplius quadraginta cubitorum intervallum æquaturo: Pari postea furore Slavatam in solum infimum deturbant, qui, cum in ferro extra fenestras prominente sese contineret, percussa pugione manu a quodam seditioso protruditur, ac capite in saxum alliso adhuc profundius iterato impetu in vallum

lum præcipitatur, accepto tamen nonnisi levi vulnere. Hæc summo dolore cernens Fabritius, exclamabat: *quæ vestra est inhumanitas erga innoxios Cæsaris Ministros?* Ad hæc verba mox & ipse ex arcis fenestra deturbatur: Nihilominus omnes hi tres in tantam licet profunditatem, incolumes tamen descenderunt, eoquod vitam eis *Divina benignitas texisset*, prout ipsimet Sectarii Scriptores ad propriam sectæ suæ confusionem fateri coguntur, unde stupenda erat horum rebellium cæcitas, ut manifesto hoc facti prodigio convicti, se tamen Superis adversari, Deumque Catholicorum caussæ patrocinari, non animadverterent: Turpissimum autem omnium erat, quod Bohemi Præcones, qui Evangelicam doctrinam puriorem profiteri se jactitant, ad omnes hosce tumultus & furiosas actiones ab Evangelii sanctitate tantopere alienas sermone & ope Proceres, populumque concitarint, ut ipsemet Godefridus Arnoldus testatur.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Arnolds Hist. Hæret. part. 2. pag. 890. §. 7. Cluverius epitom. pag. 778. Joan. Pastor. Flor. pag. 2.

Postea ex illis unus, qui Martinizium præcipitarunt, per fenestram prospiciens dicebat: *videamus an Maria, quam hic Papista invocavit, eum adjuverit*, ubi ergo eum in pedes erectum cernebat, exclamabat: *Per Deum! ejus Maria ei succurrit*, ceteri vero, cum omnes

Nicolaus Bellus Laurea. Austriaca Jæger. Hist. Eccl. l. 8. c. 1. pag. 274. Arth. Dantisc. tom. 12. l. 2. p. 31.

Sæc. XVII A. C. 1618.

nes hosce tres Cæsaris Ministros nihil læsos animadverterent, stomachantes, *nondum sunt mortui*, conclamant, laxatisque sclopetis certatim e fenestris in procumbentes glandium plumbearum grandinem effundunt: Ast *ab hac quoque tempestate*, inquit Jægerus Lutheranus Scriptor, *divina ope* omnino illæsi servabantur, solo Martinizio tribus glandibus petito, & tamen nonnisi leviter secundum brachium perstricto. Demum Divina Providentia caussæ suæ æquitatem luculento hoc prodigio testificante, mox omnes tres in pedes & fugam expediti, se furentium sicariorum crudelitati subduxerunt, aliquamdiu in Principis Lobkovitiæ domo occultati: Non multo post Martinizius primo in Bavariam & postea cum Fabritio Viennam ad Cæsarem profectus est, Sternbergius vero & Popelius a factiosis Proceribus suis officiis exuti, domum deducti, & securitatis obtentu appositis militibus custoditi sunt. Explodendus plane est Acatholicus ille Scriptor, qui lapsus omnino innoxii rationem assignat, quod in Sambucceam arborem ex muro enatam, in qua culinæ & cubilium sordes projiciebantur, prolapsi, leniter in terram deciderint: Robustus plane, vastusque ille frutex, qui chlamyde cinctos tres Viros maximo impetu projectos,

Ludolff. Schaubühne *l.* 18. *c.* 3. §. 42.

jectos, illæsosque in suis brachiis simul excepit! num forte eadem arbor illos pariter a denso pilarum grandine suis ramis contexit? Infausta sane mentiendi felicitas hujus Scriptoris, de cujus tamen commento nihil in publicis rerum actis memoriæ proditum est. Ceterum hæc violentia nequaquam temere vel primo motu ac impetu facta est; quippe Bohemi isti Novatores jam in prioribus eorum comitiis sæpius cavebant, atque inter ceteros comitiorum articulos diserte hunc inserebant. *Si quis literas Majestatis tentaverit infringere, aut aliquid in eas deliquisse deprehensus fuerit, ei certa pœna sit decreta, ut e fenestris comitiorum ejiciatur.* Tantam audaciam sectæ, cujus libertas duntaxat precario indulta erat, fanatismus inspiravit, ut subditi adversus Domini sui Ministros, si ejus mandata exequerentur, capitalis supplicii legem pro summo imperio sanciendi auctoritatem sibi arrogent. Ad tam inhumanum facinus urbs tota inhorruit, diversisque animorum concussa motibus turbata est, civibus ferme omnibus ad arma convolantibus, Catholicis quidem pro Cæsare & Ecclesiæ tutela, Sectariis autem pro conjuratorum, & criminis tam nefandi defensione. Exinde ingens in arce Procerum

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

rum rebellium trepidatio eſt exorta, ne igitur in urbe tumultus, ac mutuæ cædes fierent, hi & præ ceteris Turrianus Comes ſeditioſorum Princeps equo vectus pacem civibus indixit, teſtatus, quod ſcelus in arce commiſſum apud Cæſarem purgaturus eſſet, poſtea his verbis populum undique confluentem alloquebatur: „Ut me tanquam ve„ſtrum Regem honoretis, aut mihi fi„dei ſacramentum exſolvatis, vos non „adhortor, ſed me vobis fortunæ, quæ „nos facto jam primo motu expectat, „ſocium exhibeo, aut enim glorioſa „mors, aut dulcis libertas vobis offer„tur: jam jacta eſt alea, ſera nimis fo„ret pœnitentia, infelices eſſetis, ſi „permitteretis, ut Ferdinandus ad vos „opprimendos ſolium conſcenderet: in „ſola veſtra magnanimitate, & virium „conjunctione repoſita eſt veſtra ſalus; „aut rumpenda ſunt vincula veſtra, aut „ſub carnificis enſe moriendum: pugna„te igitur & vincite, tum vobis nomen „famamque populi generoſi, potentis, „ac tuendæ ſuæ libertatis ſtudioſi com„parabitis: ſi vero vos ignominioſe „opprimi ſinetis, inimici veſtri pro „perfidis & perjuris vos habebunt, & „tanquam rebelles ſevere caſtigabunt.„ Seditioſis hiſce verbis applaudebant omnes Sectarii, quibus prævalentibus etiam

etiam Catholici ſedato tumultu ad ſuos quiete reverſi ſunt. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XVI.

Apologia rebellium Bohemiæ Procerum.

Poſtquam igitur Mathias Turrianus Comes effervescentem primo impetu rebellionem contra Legitimum ſuum Regem per atrox illud facinus eo deduxerat, unde præciſa ſpe veniæ & creſcente ſceleris vinculo ſe ipſam revocare haud poſſet, de validis promovendæ ſeditionis auxiliis cogitare cœperat; quocirca miſſis ad Sileſiæ, Moraviæ, Luſatiæque Principes & Ordines Proteſtantes literis eos ad ferendas ſuppetias ſollicitabat, eodemque tempore, quo adverſus Cæſarem fœdera & arma parabat, ſimul divulgatis Pragæ literis ſe ſuosque Cæſareæ Majeſtatis fidos, obſequentiſſimosque eſſe ſubditos ventoſis, infidisque verbis jactitabat: Hic enim ſemper uſitatus fuit Heterodoxorum mos, ut Regis ſui Cæſarisque obſequium nunquam jactantius venditent, quam cum illud apertiſſime proſtituunt: reverentiam & honorem Majeſtatis ore, calamisque defendunt, dum adverſus eandem Majeſtatem bella & ſeditiones conflant, omnesque, qui

Papus epitome rer. Germ. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 2. Carafa Germ. reſt.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

eos ad officium redigere nituntur, tanquam Imperatoris hostes traducunt, atque uno eodemque halitu pariter Cæsarem reipsa lædunt, & verbis laudant. Ejusmodi malignam obsequii jactantiam complectitur Protestantium Bohemorum Apologia, quam biduo post Ministrorum ejectionem Pragæ typis editam divulgarunt, in qua nefandum hoc scelus apud Cæsarem potius præfracte defenderunt, quam debita submissione deprecati essent. Præprimis enim Ecclesiasticis & præcipue Jesuitis imputabant, quod Regem suum, totumque Regnum unacum omnibus subditis Romani Pontificis jugo submittere, & Protestantes graviter affligere, atque eos hæreticos nominare, & violato Rudolphi diplomate calumniis obruere adlaborarint. His fuse deductis, addebant Sectarii, se quidem negare haud posse, quod non expectato legitimo, & in comitiis decreto confessu judices sese literarum Majestatis ipsosmet fecerint, ad id tamen necessitate compulsos esse, eoquod in Brunoviensi & Clostergrabiensi caussa ne auditi quidem, impellentibus eorum hostibus a Cæsare damnati fuissent, proin constare, quod Catholici Ordines id unice agerent, ut per insidias, & sub æquitatis specie *honestos Cæsarique fideles subditos* e medio tollerent, libertatem

tatem Religionis abrogarent, literisque Majeſtatis everſis Utraquiſtas eo redigerent, ut eorum defenſores nec ipſis ſubvenire, nec Religionis libertatem tueri poſſent. *His de cauſſis*, proſequebantur illi, *adverſus Slabatam & Martinizium tanquam pacis turbatores inſureximus, eosque, cum dignitate ſua ad authoritatem Cæſaream, Regiamque minuendam turpiter abuterentur, unacum ipſorum Secretario adulatore & confuſionum Authore per feneſtras, more veteri* (*) *præcipites dedimus, nec ignoramus, quid porro adverſus eos, cum vivi evaſerint, eorumque bona, necnon contra cunctos, qui ipſorum patrocinium ſumpturi, vel literas Majeſtatis perverſuri ſint, vindictæ & ſupplicii parare debeamus: Eo fine in arce Pragenſi modo Congregati de neceſſaria Regis, Regnique defenſione deliberationem inſtituimus, non quidem, quod vel Ferdinando*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

(*) Scilicet Huſſitarum, qui anno 1483. ſuſcitata ſeditione quosdam Catholicos Senatores trucidarunt, & die 20. Septembris Pragæ ex Curiæ feneſtris Conſulem dejecerunt, eo quod fidem Catholicam contra recens natam hæreſin defendiſſet. Pari furore etiam Bathorius ſecta Calviniſta in Tranſylvania in Orthodoxos ſæviebat. An autem tantam inhumanitatem imitari honeſtum ſit, aut ea *more veteri* honeſtari valeat, prudens judicet.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Regi nostro repugnare, vel Catholicis, si quiete vivere velint, molestiam ullam creare intendamus. Non putamus igitur vel Cæsarem aliter id accepturum, vel ejus Amicos Catholicos ob sumptas in eos pœnas novi aliquid molituros, sed universos, attento, quod neque contra Cæsarem, & Regem nostrum, neque contra Religionem Romanam moliri quicquam voluerimus, excusatos nos habituros, quinimo speramus, eos sedulo promoturos, quicquid ad pacis publicæ & privilegiorum conservationem facere poterunt. Hanc apologiam Sectarii Proceres statim ad Cæsarem miserunt, additis literis, quibus protervia sane hucusque non audita, non modo se jure in Cæsareos Ministros desæviisse, sed etiam in alios eisdem haud absimiles inquirere, legumque severitate eos plectere velint, Cæsari palam denuntiabant, addentes, quod hunc in finem quosdem ex suis Directores, qui pro Sectæ præsidio de necessariis prospicerent, constituerint; quoniam vero id eo ex fine non facerent, ut Cæsarem offenderent, aut Catholicis, dummodo pacis amantes fuerint, molestiam caussarent, sed ut Cæsaris primo, dein sui, suorumque patrocinium susciperent, hinc se sperare ajebant, Cæsarem se excusatos habiturum, & hostium suorum patrocinium minime susceptorum, sed potius

Acta Bohem. anno 1620. edita p. 9.

potius de illis pœnas ſumpturum; cum *ipſi vitam, fortunasque omnes pro Cæſaris, ſuique Regis ſalute profundere paratiſſimi eſſent.* Quam ficta vero & mendax fuerit hæc eorum erga Regem ſuum obtemperatio, patuit ex ſeditioſa Turriani oratione, necnon ex omnibus, quæ poſtea contra Cæſarem & Ferdinandum per ſummum nefas moliti ſunt; quippe vilipenſa Regis ſui authoritate ſtatim Regni adminiſtrationem invadentes, Magiſtratum veterem amoverunt, & triginta directores, quos ex ſuis elegerant, Præſide Turriano Comite Regni Senatum eſſe juſſerunt, eisque urbis & arcis claves tradiderunt, cumque hæc impune auſi eſſent, audaciores facti, omnes Regiæ Miniſtros, urbis Magiſtratus, populumque adigunt, ut hiſce directoribus fidei, quam paulo ante legitimo ſuo Regi devoverant, ſacramentum exſolverent: poſtea Brunovienſes captivos emittunt, omnesque Catholicos, Regiosque Miniſtros, qui eorum perfidiam execrabantur, catervatim in vincula coniiciunt Monaſterium San-Coronenſe unacum Eccleſia devaſtant, obvios quosque atque inter eos ſexdecim Monachos trucidant, Regios adminiſtros Officio deiiciunt, urbes quasdam per nefas occupant, muniuntque, necnon milites ex Regiis reditibus

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Struv. Period. 10. Sect. 8. §. 9.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

ditibus conſcribunt, vectigalia, cenſusque publicos novis indictionibus extortos in Regni calamitatem depeculantur, inque uſus ſuæ factionis avertunt, atque e toto Regno, vix duobus oppidis exceptis, Regios exauctorant, eiiciuntque, ac denique arma etiam in Bohemiam, Sileſiamque, ipſam poſtmodum Auſtriam, reliquasque Provincias Cæſari ſubjectas movent: Denique Calviniani Prædicantes omnis rebellionis auctores, divulgatis famoſis libellis ubique populum ad ſeditionem concitarunt, imo & ipſum Fridericum Palatinum Electorem poſtea ad Bohemiæ Regnum evocarunt.

§. XVII.

Jeſuitæ publico edicto ex Bohemiæ Regno proſcripti.

Cum vero Bohemi rebelles non modo Regem, ſed & Cæſarem inſtigantibus Jeſuitis in ſe concitatos ſuſpicarentur, aliunde vero ex horum bonis ac divitiis pingue ſpolium ſibi polliciti eſſent, die prima Junii una omnes publico hoc edicto ex univerſo Bohemiæ Regno proſcripſere, hujus ſeveritatis cauſſas his verbis exponentes: *Omnibus tribus ſub utraque Ordinibus ſatis conſtat, quantis periculis, & incommoditatibus*

tatibus regnum illud, a primo Sectæ Jesuiticæ in illud ingressu, expositum, quidque afflictionis, & miseriarum experti omnes fuerint. Harum incommoditatum causam unam & solam a Jesuitis dependere, re ipsa Defensores cognoverunt, qui id propositum sibi habent, ut Sedem Romanam firmare, & regna mundi totius omnia sub potestatem suam redigere possint. Nam ne Deum quidem reverentes, quæ ad eam rem facere possint, sedulo facere, Principes adversus seipsos concitare inter Ordines regionum, diversam religionem foventium dissidia excitare, magistratus adversus subditos, & hos contra magistratus suos incitare, Reges ad nutum suum componere, & nolentes, Sicariorum libidini exponere, sceleratos quosque ad parricidia in Regibus perpetranda, salutis æternæ consequendæ, & purgatorii evitandi promissione animare, amicos adversus invicem committere, in secreta omnia per auricularem confessionem suam inquirere, conscientiis hominum laqueum immittere, & eas ita constringere intenti sunt, ut sine consensu ipsorum, ne bonum quidem quod sit, facere audeant, quemadmodum etiam thesauros ingentes, Templariorum exemplo sibi compararint, in politicam gubernationem sese immiscuerint, & iis qui Romanam religionem non amplectuntur, fidem servandam nullam esse docuerint, hæreticos eos proclamantes. Testimonia hujus rei satis

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

tis manifesta, & perspicua, Gallia, Anglia, Hungaria, Transylvania, Veneti, Belgium, & regna regionesque aliæ suppeditant. In hoc ipso Bohemiæ regno, cum post perpessas, ex ipsorum instinctu, afflictiones varias, Regales a Cæsare Rodolpho super exercitio religionis libero Bohemi obtinuissent literas, & pacta cum illis sub una, de non vituperando, criminando, damnando, sese invicem iniissent, inque tabulas publicas, majoris confirmationis ergo inserenda omnia ista curassent, veriti non fuerunt, posthabita pœnarum Majestatis literis expressarum comminatione, Ordines sub utraque pro concionibus suis calumniis proscindere, & tanquam hæreticos condemnare, literas Majestatis in alienum sensum trahere, easque Cæsareæ Majestatis, Cameræque regalis, Monasteriorum item, & Ecclesiasticorum, nec non Ordinum sub una subditos minime pertinere dictitarunt, Regem Bohemiæ non posse Majestatis istas literas confirmare, & religionis libertatem fidelibus suis subditis sine Pontificis Romani consensu permittere dixerunt: cum Papa tamen neque in Ordines Bohemiæ, nec in Regem Dominum suum juris quicquam habeat. Publice affirmarunt, Regis subditos ad Ecclesiasticam maxime jurisdictionem pertinentes, a religione sua sub utraque ad eam sub una vel invitos trahere, templa ipsis præcludere, & aliquibus in locis solo æquare, religionis exercitia prohibere, officia

Regis

Regis regnique primaria non nisi illis, qui sub una sunt, administranda permittere, eos vero, qui sub utraque sunt, ab Officiis publicis nulla causa, quin imo conscientia ipsorum reclamante, cum dedecore, & ignominia removere ausi sunt. Hac ratione id tandem effecere, ut paucis quibusdam sub una perfidis hominibus, patriæ totius administratio cederet, quorum opera patriæ interitum, fidelibus vero sub utraque Ordinibus extremam perniciem, & exterminationem accelerarunt. Cum igitur malorum omnium in regno auctores sint, indigni sunt, qui in eo diutius vivant, & tolerentur. Defensores ergo animadvertentes, mala ista finem non habitura, nec pacem in regno constantem fieri posse, sed & Regem, & Ordines omnes cum uxoribus, liberisque, & bonis suis omnibus, in summo periculo versari oportere, quamdiu Sectæ isti perniciosissimæ locus aliquis in regno relinquatur, notum omnibus faciunt, quod deliberato consilio, & omnium ordinum impetrato consensu Jesuitas omnes ex oppidis Pragensibus, Crumano item, Comurtavio, Neuhusio, Glatsio, & locis aliis, in quibus Collegia sua habent, quin imo ex toto Bohemiæ Regno proscripserunt, & præsentibus hisce literis in æternum proscribunt, ita ut omnes Regno quiete excedere, & nullo unquam tempo-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

re

Sæc. XVII. A. C. 1618.

re, ne sub alterius quidem Ordinis titulo redire in Regnum istud debeant, ni incurrere in pœnam, de ipsis & omnibus eos excipientibus, foventibusque, certissime sumendam, & perniciem sibi, fautoribusque suis, tanquam Reipublicæ turbatoribus, & manifestis hostibus, accersere ex Regni constitutione velint. Nullus enim plane reditus ipsis in regnum istud, ne ad Romani quidem Pontificis intercessionem, patere debebit, nec si illud a quoquam expetatur, intercedere pro illis quisquam ex Ordinibus debeat, pœna quietis publicæ turbatoribus debita, in eum qui id faciat, constituta. Notum id literis publicis ad perpetuam memoriam fieri omnibus deberet. Alios tamen Ordines sub una in monasteriis viventes, & alibi, dummodo quietos se gerant, hac proscriptione, quæ Jesuitas solos, utpote ex Regnis quibusdam etiam aliis jam pridem proscriptos, concernit, intellectos minime volunt.

Hæc vitia Protestantes Bohemi non nisi ex innato in Societatem odio Jesuitis exprobabant, eorum tamen Superiores, ut omnis deinceps ansa aut justa calumniandi ratio ab eorum subditis longe abesset, prorsus salubriter ac provide varias ediderunt Constitutiones atque instructiones, in quibus præ ceteris hæc habentur: *Sæcularitas, & Aulicismus insinuans se in familiaritates & gratiam*

gratiam exterorum, morbus est in Societate & intra & extra periculosus, & Jesuitis, qui eum patiuntur, & Nobis Superioribus fere nescientibus paulatim subintrat specie quidem seu obtentu lucrifaciendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad Divinum obsequium hujusmodi homines Societati, juvandi proximos &c. sed revera quærimus interdum nos ipsos, & paulatim ad sæcularia deflectimus, id est, avaritiæ & ambitioni non minus, quam sæculares indulgemus . . . . sæcularia negotia, & quæ sunt a nostro instituto alienissima, & vehementer a spiritualibus avocant, multo magis evitari convenit, præcipue publicis ac sæcularibus Principum negotiis, quæ ad rationem Status pertinent, nulla ratione indulgendam est Ordini, nec per quoscunque requisito, aut rogato ejusmodi rebus politicis se immiscendum. Idcirco mandamus Superioribus, ne permittant nostros iis rebus ullo modo implicari, & si quos ad eos propensos animadvertant, eos loco mutandos quamprimum procurent.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XVIII.

Cæsar datis ad Utraquistas literis tumultus componere intentus.

Enimvero tam atrox subditorum rebellio justam Cæsaris vindictam provocare videbatur, nihilominus clementissimus

Anth. Dantisc. t. 12. lib. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

tissimus Princeps a fundendo suorum sanguine oppido alienus, paternis potius hortationibus seditiosos hosce Sectarios ad officium revocare nitebatur, hancque in rem sequentes dabat literas: „Quod fidelibus meis Præfectis & Se„cretario in arce mea Pragensi, cui „summus honor, summaque reveren„tia deberetur, factum est, probare „nullatenus possum; tametsi enim caus„sam facti asseratis, quod varia moliti „in Regni totius perniciem fuerint, ita „tamen adversus inauditos, & ne ac„cusatos quidem Præfectos & Ministros „nostros procedere minime debuissetis, „multo minus vero, cum de nullo ad„huc hoste constet, tantam militum „me inscio expeditionem facere, sub„ditisque Regni innoxiis, rerumque „omnium ignaris tantam perniciem ac„celerare: cum autem vos in obedien„tia mea etiamnum permanere, & vi„tam fortunasque in ministerio meo im„pendere, paratos esse asseratis, ad „vos patentes mitto literas, ex quibus „de mente & voluntate mea erudiri „poteritis. Jubeo igitur, ut ad harum „præscriptum, militem dimittatis, nec „alium conscribatis, contra jus & Re„gni constitutiones nihil attentetis, sed „responsum meum de aliis tranquille „expectetis.„

Paten-

Patentes vero, quas Cæsar in toto Regno promulgari jussit, die decima octava Junii perscriptæ erant hanc in sententiam: „Non ignoratis atrox fa„cinus die vigesima tertia Maij a vo„bis patratum; cum igitur & hoc & „alia omnia sub falso abrogandi Maje„statis diplomatis prætextu facta hacte„nus fuerint, notum facere patentibus „istis literis omnibus volo, probari in „æternum non posse, quod pro Maje„statis istoDiplomate abrogando & trans„actione inter vos sub una & sub utra„que facta violanda quicquam fecerim, „fierique ab aliquo permiserim, aut e„tiam factum a quoquam fuerit. Con„stans enim mea mens, sententiaque „erat, & etiamnum est, Ordines sub „una & sub utraque universos tueri, „privilegiaque ipsorum, & Majestatis „diploma, Comitiorum item recessus „& inita inter eos pacta sarta tecta sem„per conservare, ut qui aliter dicant, „injuriam mihi non ferendam faciant. „Neminem igitur ex omnibus Regni Or„dinibus siniſtri quid hoc nomine de me „suspicaturum spero, in votis quidem „nihil habeo magis, quam ut reverti „mihi ad Sedem meam Regiam primo „quoque tempore, & sublata omni su„spicione, quæ acciderint, componere „per gloriam Dei liceret. Cum vero

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„ægritudine corporis & ſeriis negotiis „aliis impeditus præſens venire jam non „poſſim, illuſtres brevi Deputatos meos „mittere decrevi, qui cauſa omni co„gnita componendis quam optime con„troverſiis ſtudeant, interim cum ho„ſtis nullus adſit, qui vel vobis vel Or„dinibus regni ullis vim ac bellum in„ferre expetat, ut arma militesque „propterea parare ex conſtitutionibus „Regni neceſſe ſit, nec quisquam etiam „ſit, qui moleſtia aliqua affectus, jure, „privilegiis, Majeſtatis Diplomate & „Regni conſtitutionibus uti frui prohi„beatur, in propria vero cauſa judex „ſuus eſſe nemo poſſit, præcipio, ut „arma deponatis, conſcriptum militem „veſtrum dimittatis, aliumque nullum „comparantes, damnum nullum infe„ratis, ſed tranquille viventes, & fi„deles vos ſubditos per omnia præſte„tis. Hoc enim facto militem quoque „exauctorare, & ab expeditionibus bel„licis, ne damnum ſubditis ullum in„feratur, mihi temperare decrevi, quod „ſi vero hac mea admonitione, negle„ctoque mandato omni ab expeditioni„bus iſtis non abſtinueritis, ſed mili„tem conſcribere pergatis, aliter judi„care non potero, quam quod jure om„ni violato ex proprio veſtro ſenſu vi„tam componere expetatis, hocque

caſu

„casu de mediis vindicandæ, asseren- Sæc. XVII.
„dæque dignitatis meæ vel invitus co- A. C. 1618.
„gitare compellor, damni vero, quæ ex
„motibus istis bellicis oritura sint, cau-
„sam nullam dedisse, cum obtemperan-
„tibus gratiam etiamnum meam quam
„largissime obtulerim, coram Deo to-
„toque mundo testor.„

§. XIX.

Bohemi Protestantes exercitum in Imperio conscribere, a Cæsare incassum prohibiti.

Verum benigna hæc Cæsaris adhortatio nihil omnino profecerat apud illos, quibus fixum, firmumque erat, conculcatis etiam omnibus Divinis, humanisque legibus sectam suam tueri, Cæsaris jugum excutere, Domum Austriacam deprimere, & Catholicos e toto Regno eliminare: Ut vero hi seditiosi eo validius, certiusque perversa hæc consilia ad exitum deducere possent, parandis armis omni fervore jamjam incumbebant, militemque copiosum tam intra, quam extra Romani Imperii fines, conscribere præsumebant: quo comperto Mathias Imperator cunctos Principes, & Ordines Imperii hortabatur, ut hisce rebellibus saltem in Imperio delectum habendi fa- *Merc. Gallob. l. c.*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

cultatem denegare velint, hi enim, inquiebat Cæsar in suis literis: „turbarum in Regno auctores, spreta omni „benevolentia, fidelibusque meis monitis omnino neglectis, in sua pervicacia strenue progrediuntur, inque „Cæsareæ Majestatis, summæque dignitatis præjudicium atque contemptum ubique, ipsoque adeo Imperio „Romano contra expressas Imperii leges sine peculiari meo tanquam Imperatoris Romani mandato exercitum „conscribunt. Fuerunt insuper ex subditis meis aliqui eousque audaciæ progressi, ut in arcem meam Pragensem „ipsamque Regni Cancellariam, ubi fides & summa securitas præstari omnibus deberet, armata manu procedentes, duos ex Præfectis meis cum Secretario, ne accusatos quidem nedum „auditos comprehenderint, & per fenestras in profundum fossæ arcis vi „summa præcipitarint, quin & scloporum displosione eos, per gratiam Dei „ex lapsu superstites, insecuti fuerint, „furore eos summo, nisi sese subducentes in tutum statim recepissent, prosecuturi; quemadmodum alios etiam „Consiliarios & officiarios meos bonis „spoliantes contumelia maxima affecerint. His peractis triginta Directores, „Gubernatores & Provinciales Consiliarios

„liarios conſtituerunt; expeditiones „omnes omnemque Reipublicæ admi- „niſtrationem ſibi uſurpandam ſumpſere; „cuſtodes arcis novos veteribus jura- „mento ſibi adſtrictos adjunxerunt; Su- „premum Regni Burggravium conſti- „tuta præ foribus ædium ejus cuſtodia „areſto obligarunt: Conſiliariis omni- „bus, ne urbe vel vocati a me egre- „derentur, imperarunt: Collegia Ec- „cleſiaſtica contra receſſum comitiorum „& factam inter eos ſub una & ſub ut- „raque transactionem abrogarunt, bo- „nis ſuis privarunt, & perſonas ex re- „gno in æternum proſcripſerunt; falſis „& perverſis narrationibus non ſubdi- „torum ſolum, ſed Electorum etiam „Principumque animos pervertere, & „mihi infenſos reddere conati ſunt; „editam in publicum Apologiam exco- „gitatis per contumaciam figmentis va- „riis explevere; contributionibus regni „manum injecerunt; Deputatos ab Or- „dinibus contributionum præfectos ab „officio removerunt, alios in ipſorum „locum ſubſtituerunt, externum mili- „tem in regnum inſcio & invito Rege „ſuo admiſerunt; ſubditos meos mili- „tum diſtributione, onerumque vario- „rum impoſitione graviter afflixerunt, „& ut parata ſemper arma haberent, „promulgato edicto publico monuerant;

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618. „arcis oppidique mei Crumaviensis, ut „& Budovissensis Urbis deditionem fieri „sibi voluerunt: ignem, gladium, ex„tremamque perniciem & subversionem „incolis, ni deditionem facerent, in„terminati sunt; abstinentes a consor„tio suo, vi summa sibi conciliaverunt; „Diplomata & patentes literas meas, „quibus ab armis avocatos paci & tran„quillitati studere subditos jusseram, „publici juris fieri prohibuerunt; pa„ternam meam admonitionem, factam„que de componenda brevi controver„sia promissionem nihili fecerunt; ta„bellarios Cæsareos, præcipuorum Ele„ctorum & Principum literas de secre„tioribus imperii rebus ferentes, ali„quoties interceperunt; transitus via„rum in finibus regni occuparunt, & „constituto ad eos exercitu adventan„tibus præcluserunt, novamque præter „superiorem defensionem constituerunt, „& intolerabilem subditis contributio„nem imperarunt, ne a bonis quidem „ditionis & Cameræ meæ propriis ab„stinentes, copias suas pro defensione „Regni conscripsere, meum vero mili„tem exterum esse, meamque expedi„tionem Constitutionibus Regni con„trariam affirmare nequicquam dubi„tarunt, quin protestatione etiam ad„versus exercitum meum, quod si pro„gredia-

„grediatur, monasteriis & Ecclesiasti- Sæc. XVII.
„cis omnibus extremum immineat pe- A. C. 1618.
„riculum, nec illud prohibere ob furo-
„rem vulgi possint, & extra culpam
„propterea esse velint, usi sunt. Hæc
„& alia an pro me regnoque meo, ut
„ipsi asserunt, defendendo, an vero
„potius pro Majestate Cæsarea, Regia-
„que, quin & universo regno subverten-
„do faciant, sano & prudenti cuilibet
„judicandum relinquimus.„

§. XX.

Mathiæ Cæsaris relatio de turbis in Bohemia per Acatholicos suscitatis.

Ponderatis hisce Mathiæ literis facile cuncti atrocissimas Acatholicorum injurias Cæsari, Regi, & Catholicis illatas detestabuntur, nisi plus fidei hisce rebellibus subditis, quam pientissimo Imperatori habere velint, eumque vel tanquam rerum ignarum aut mendacem traducere non erubescant: quoniam vero Utraquistæ Bohemi pro sui facinoris audacissimi defensione apologias calumniis & suspicionum figmentis refertissimas, expedita fingendi ac fallendi arte jamjam apud illos in naturam versa, in vulgus spargerent, hinc Imperator plenam de eorum turbis re- *Arth. Dantisc. tom. 12. lib. 2.*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

lationem, veluti authenticum ad illorum apologias responsum publici juris fecit. Erat illius tenor sequens: „Postquam anno millesimo sexcentesimo undecimo regni Bohemiæ gubernacula „feliciter suscepissem, graviter apud me „de subditis suis Abbas Brunoviensis „conquestus est, quod se invito & reluctante novæ Ecclesiæ structuram „in oppido suo proprio, quod non alium, præterquam se Dominum cognosceret, meditarentur, imo legitime etiam prohibiti, nihilo tamen segnius operi insisterent, & fabricam „in conspectu suo, magno molimine, „continuarent. Suppliciter opem meam „efflagitabat, ut suprema auctoritate mea Regia interposita subditi, „quibus nullo jure ædificandi ratio „competeret, in officiis continerentur, „& ad debitam fidem atque obsequia „Domino suo præstanda monerentur. „Censebam tum pro æquitate mea alteram alteri parti aurem præbendam „esse, ac proinde Brunovienses, uti „desuper quamprimum accurate me informarent, interim vero cœpto operi „supersederent, benignissime jusseram. „Utrumque ipsi neglectui habentes, & „mandata Regia nequidem responso „dignati, apud Defensores Consistorii „atque Universitatis Pragensis contra

„Cæ-

„Cæsaream Regiamque Majestatem re- „fugium quærentes, majores animos „sumpsere, eoque pertinacius structuram „inchoatam continuarunt, quo vali- „dius sibi patrocinium ab auctoritate „Defensorum accessisse opinarentur; ii „enim literis scriptis auctores ipsis fue- „runt, ne pedem retrorsum ferrent, „sed potius quod viriliter cœpissent, in- „hibitione Regia non attenta strenue „perficerent: graviter & quidem non „immerito pervicaciam istam subdito- „rum suorum Abbas tulit. Ego inte- „rim e Bohemia profectus, aliarumque „Provinciarum gravissimis occupatio- „nibus distentus fueram, iis composi- „tis, cum in Regnum redux anno mil- „lesimo sexcentesimo decimo sexto fi- „nem controversiæ isti imponere voluis- „sem, quamvis jure severius in immo- „rigeros animadvertere potuissem, Di- „ploma tamen, quod vocant Majesta- „tis, penitius introspexi, initamque „inter utriusque Religionis Status trans- „actionem accuratius consideravi. De- „prehendi autem, illud solis Statibus „& Ordinibus Regni jus extruendi Ec- „clesias concedere; subditorum vero „maxime Ecclesiasticorum nullam pe- „nitus mentionem facere: hanc vero „eandem facultatem ad subditos Domi- „niorum tantum Cæsareorum limita-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„tive se extendere, atque sic de jure su-
„premo tertii, adeoque Domini sui non
„disponere, accersito proinde Comite
„Turriano, aliisque e Defensorum nu-
„mero duobus in eam sententiam be-
„nigne clementerque resolvi, subditos
„potestatem ædificandi templa in fun-
„dis Ecclesiasticorum arrogare sibi ne-
„quaquam posse, & neque contentu
„privilegii Majestatis, neque subsecuta
„transactione, neque alia ratione satis
„firma eos niti, qui in hac parte stu-
„dium, operam atque patrocinium sub-
„ditis refractariis præstant. Ea resolu-
„tione licet justissima exacerbati Defen-
„sores convocatis collegis & singulo-
„rum sententiis exquisitis novas sibi
„concessiones, & interpretationes pro
„libitu confinxerunt, & quæ solis Do-
„miniorum Cæsareorum subditis non
„equidem a Rege, cujus quam maxi-
„me interfuerit, ne vilioris conditio-
„nis, quam status sui esset, verum a
„tertiis, qui id loco gravaminis habue-
„runt, permissa essent, ad omnium quo-
„que Ecclesiasticorum fundos atque sub-
„ditos pertinere contendunt, idque
„hoc potissimum argumento, quod Sa-
„cræ fundationes illæ Reges plerumque
„fundatores agnoscant, adeoque bona
„Ecclesiasticorum peculium Cameræ
„(sensu non sano) vocare soleant. Hanc
„suam

„ſuam declarationem declarationi Re-
„giæ e diametro contrariam, uſurpata
„ſuprema auctoritate Brunovienſibus
„Defenſores inſinuarunt, hanc illis nor-
„mam præſcripſerunt, hunc initæ ut-
„rinque transactionis nucleum & ſen-
„ſum genuinum eſſe clamitaverunt, at-
„que pertinaciter defenderunt. Cives
„illi inde obſirmatiores redditi, neque
„iteratis Majeſtatis ſuæ Regiæ manda-
„tis morem gerere, neque a cœpto de-
„ſiſtere, neque claves Eccleſiæ, quod
„juſſi fuerant, ad Bohemicam Cancel-
„lariam deferre voluerunt, usquedum
„primaria factionis iſtius capita & velut
„choragi, ita mandante Majeſtate Cæ-
„ſarea in carceres compingerentur. E-
„jusdem generis quæſtione in pago
„Cloſtergrabenſi oborta, & æquiſſima
„Cæſareæ Majeſtatis reſolutione deci-
„ſa, poſtquam loci iſtius Dominus Ar-
„chiepiſcopus Pragenſis jure ſuo uſus,
„Eccleſiam auctoritate privata nuper
„ædificatam deſtrui curaſſet, novam
„tumultuandi occaſionem nactos ſeſe
„rati defenſores, novum Concilium
„indixere, addictos confeſſioni ſuæ (quos
„ad differentiam Catholicorum *ſub utra-*
„*que* dicunt) quanto potuerint nume-
„ro conſcripſerunt, & de ſalute ſua agi,
„privilegiis vim inferri, diplomati Ma-
„jeſtatis inſidias ſtrui, exercitum, qui

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

„contra

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„contra leges patriæ patriam obruat, „jam conſcriptum, extrema, ni advigi„lent, præ foribus eſſe dictitarunt, his„que & aliis id genus commentis om„nia metu atque terrore compleverunt: „rumores iſti, cum in plebem ſuſpicio„nibus plus nimio indulgentem non mi„nus falſo, quam malitioſe ſparſi tu„multum & ſeditionem ſpectare vide„rentur, mihi ſollicito Patriæ Patri, „pacique publicæ conſervandæ cupidiſ„ſimo Imperatori, quam maxime di„ſplicuerunt, literis id ad Regni locum „tenentes & Officiales datis graviter „conteſtatus ſum, illis tuta & ſecura „omnia, ſi morem Ordines gererent, „pollicitus, a conventiculis abſtineri, & „ſi quid porro dubii vel controverſiæ in„ter utriusque Religionis Status inter„cederet, in adventum meum, quem „propediem in Regnum maturaturus „eſſem, ulterioremque deciſionem diſ„ferri mandavi: interim lites & jurgia „vitari, atque ſuſpicionibus, quarum „cauſa nulla ſubeſſet, modum poni pa„terne hortatus, privilegiis quisque „ſuis libere gaudere permiſi. Hiſce ta„men omnibus neglectis iidem defenſo„res die vigeſima prima Maij frequen„tiore numero congregati, cum pridie „in omnibus templis ex ſuggeſtu per „prædicatores ſuos oratione populari „ple-

„plebem concitari & classicum ad se-
„ditionem cani jam curassent, ea con-
„silia nefarie miscuerunt, quæ proxime
„subsequens Mercurii dies detexit. Ea
„enim die magna armatæ & inconditæ
„multitudinis caterva stipati in arce ip-
„saque Cancellaria Regia, tutissimo ce-
„teroquin asylo, Sacræ Cæsareæ Re-
„giæque Majestatis locum tenentes &
„Consiliarios Regnique officiarios, & Pro-
„ceres illustri inter Bohemos familia
„prognatos, quibus hac in parte cul-
„pæ nihil imputari posse, propriis lite-
„ris suis vix ante hebdomadas septem
„exaratis, professi fuerant, contra ju-
„ra divina & humana, contra Regni
„constitutiones, contra omnium gen-
„tium & sæculorum morem, per vim
„aggressi sunt, & non auditos, nedum
„convictos, vel confessos, nullo pro-
„cessu instituto, & ne tantillo quidem
„temporis indulto, quo prævia piacu-
„lari confessione, & Sacræ Synaxeos
„viatico animarum suarum saluti con-
„sulere potuissent, quod nulli unquam
„famosissimo etiam Latroni humana be-
„nignitas denegavit, indignissimo mo-
„do e fenestris præcipitarunt, atque in-
„de ad omnia contra Sacram Majesta-
„tis Regiæ dignitatem passim audenda
„animos adjecerunt. Capitaneum &
„militum arcis custodiæ deputatum,

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

„atque

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„atque Pragensium, aliarumque Ur-
„bium Regni cives a fide Regi data de-
„scisscere, & in verba sua jurare coe-
„gerunt; nonnullos custodiæ legitimis
„ex causis mancipatos reseratis pro-
„pria auctoritate ergastulis dimise-
„runt; alios Cæsareos Ministros ad-
„ditis severissimis minitationibus in
„carceres compegerunt, alios indicta
„causa bonis atque ingenti pecunia mul-
„ctarunt; arcem & fortalitium Carol-
„steinianum, securissimum & Sacro-
„sanctum Coronæ Regiæ, Thesauri item
„& privilegiorum Regni receptaculum,
„submotis Burggravio, aliisque publi-
„ca Regis totiusque Regni voluntate
„constitutis & juratis Officiariis occupa-
„runt; in redditus præsentes Antemon-
„tanorum Hungariæ confiniorum ne-
„cessitatibus deputatos, aliosque pro-
„ventus Regios manus injecere; com-
„muni Regis statuumque & Ordinum
„voto designatos provincialium contri-
„butionum perceptores submoverunt,
„ipsisque identidem alios subrogarunt,
„atque dictas contributiones, quodne
„Regi quidem licuisset, contra expres-
„sum tenorem generalium Regni Comi-
„tiorum in alios usus converterunt; co-
„pias militares cum pedestres, tum
„equestres conscripserunt, fideles &
„constantes subditos meos minis variis
„in

„in partes ſuas ſollicitarunt, aliorum „ſubditos rebelles & refractarios ſomen- „tarunt, & Sacratiſſimorum Cæſarum „Regumque munificentia a pluribus re- „tro annis, interveniente quoque om- „nium Regni ſtatuum conſenſu, funda- „tam Scholam & celebrem Academiam „optimam juventutis Bohemicæ nutri- „cem, Profeſſoribus & Eccleſiaſtici Or- „dinis viris e tota Provincia in exilium „ejectis, Sacrisque ædibus & bonis il- „lorum occupatis eliminarunt. His „quidem omnibus ſuperaddi nihil potuiſ- „ſet, niſi levius fortaſſe videatur, uſur- „patum in Cæſareos, Regiosque locum „tenentes imperium, quibus ne vel of- „ficio ſuo fungi, vel antequam tempe- „ſtas hæc ſedaretur, loco ſe movere au- „deant, ſevere injungere veriti haud „quaquam fuerint: quodque ſupremum „Regni Burggravium, cujus prima & „præcipua in Regno poſt Regem pote- „ſtas eſt, privati exauctorare, adhibi- „taque militum manu propriis ſuis in- „cludere ædibus præſumpſerint, omni- „bus hisce ſpecioſum hunc prætextum „obtendunt, quod privilegii Majeſtatis „& periclitantis Religionis ſub utraque „conſervatio, inclyti Regni ſalus, & „ipſius Cæſareæ, Regiæque Majeſtatis „nunquam ea de re antea præmonitæ „incolumitas, hunc ipſis neceſſarium „defen-

Sæc. XVII. A.C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„defensionis modum expedire suaserint. „Commenti istius vanitas ex eo liquet, „quod ne ullum quidem hostem vel per „somnium nominare aut confingere possint, cui reprimendo omnia sursum „deorsum moveri, atque in extremas „Regnum necessitates coniici necesse „fuisset. Quatuor quidem personas in „apologia sua ipsi nominant, & tan„quam capitales Regni hostes & tran„quillitatis publicæ perturbatores, qui „camerinam hanc moverint, etsi neque „confessos, neque convictos magnis „convitiis proscindunt, sed judicare „unusquisque rerum æstimator debet, „an propterea obedientiæ jugum excu„ti, rebellioni frœna laxari, leges pes„sumdari, totam Reipublicæ faciem „immutari, & belli non necessarii cala„mitatibus innoxios Regnicolas, a ta„libus, quorum antesignani præcipui „alienigenæ sunt, involvi oportuerit, „an idcirco ad vicinas aliasque provin„cias & Regna, Principes item & Ele„ctores Germaniæ, quin etiam Reges „exteros legationes instituere, animos „illorum exacerbare, atque a Majesta„te Cæsarea, quantum quidem in ipsis „fuit, alienos reddere, opem, consi„lia, conjunctionem animorum & ar„morum contra Dominum & Regem „suum sollicitare subditis licuerit? con„stat

„ſtat privilegiis & quidem diplomati „Majeſtatis ſuam ſemper auctoritatem „inviolatam, neque unquam Majeſtati „ſuæ Cæſareæ Regiæque in mentem „veniſſe, contra datam fidem & beni„gniſſime conceſſas confirmationes ea„rundem vel minimum apicem in du„bium vocare, quemadmodum id di„verſæ reſolutiones atque reſcripta Re„gis hac in cauſa edita luculentiſſime te„ſtari queunt. Eorum vero, quæ pri„vilegio Religionis nequaquam compre„henſa, ac proinde extra omne dubium „occurrerant, quale illud eſt, an jus „ſubditis competat extruendi templa „in fundis Eccleſiaſticorum Dominorum „ſuorum &c. deciſionem, interpretatio„nem, extenſionem, non ad alteru„tram partium controvertentium perti„nere notum eſt, eoque minus falce „ſua alienam meſſem præoccupare de„fenſoribus licuiſſet, ſed finalis eorum „omnium determinatio, deciſio, inter„pretatio, extenſio, limitatio, & re„ſtrictio, tanquam rei, cujus nullam „penitus mentionem novum privilegium „faciat, ſacræ Cæſareæ Regiæque Ma„jeſtatis æquiſſimo judicio ſubmittenda „merito fuiſſet; frivolum proinde Reli„gionis velamen prætexerunt tam enor„mibus, & ab hominum memoria non „auditis exceſſibus & attentatis, quæ

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„auguſtam quoque Cæſareæ Regiæque „Majeſtatis perſonam non leviter con„cernunt: de cetero Cæſareæ Regiæ„que Majeſtati omnibus iſtis ſevere, & „pro merito citra moram vindicandis, „auctoritatique Regiæ tuendæ, neque „animus, neque ſufficientes rationes „deſunt, pro innata tamen & ſingulari „Clementiæ meæ affectu, quo innume„ras belli calamitates prævideo, incly„tum iſtud Regnum oculo miſerante in„tueor, & univerſo orbi teſtatum eſſe vo„lo, non diſplicere mihi, ut vigore „Conſtitutionum Regni per ordinariam „cauſæ cognitionem in hoc facto jure „procedatur, obſervatisque ſolemnitati„bus promulgandæ aliquando ſententiæ „omni ex parte acquieſcatur, interim „miles omnis exauctoretur, & extre„mum Regno impendens exitium juſti„tia mediante, quod ipſa quoque Re„gni ſtatuta dictant, tempeſtive evite„tur, hanc non minus æquam quam „moderatam animi mei propenſionem „tum per literas patentes, tum ſcripto „etiam peculiari ad vos *ſub utraque* dire„cto notificare volui".

Arnold. Hiſt. Hæreſ. part. 2. l. 16. c. 1. pag. 890.

Verumtamen nec hujus facti atrocitas, nec Cæſareæ Majeſtatis reverentia, promeritæque pœnæ formido hoſce rebelles ad pœnitentiæ vel ſubmiſſionis ſenſum inducere poterat, quin-

imo

imo ad tantam etiam prorupere audaciam, ut furiosam hanc crudelitatem velut opus Deo acceptum, quin & Evangelicæ doctrinæ consonum depræedicare, & sacrilega prorsus temeritate iniquissimam hanc violentiam Sanctorum Martyrum exemplis, ac necessariæ defensionis jure honestare auderent. Præterea nefandum hoc crimen aliis, quæ nullatenus excusari possunt, sceleribus ubique locorum perpetratis cumularunt, uti testatur ipsemet Arnoldus secta quidem Lutheranus, sed veritatis pondere ad hoc testimonium coactus.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXI.

Cæsaris consilium de milite in Bohemiam decernendo.

His, pluribusque aliis literis ac monitis Imperator quidem totus in eo erat, ut seditiosos hosce Regni Proceres, juramenti sui immemores ad debitum legitimo Regi suo obsequium deferendum incitaret: attamen solita sua clementia usque adeo apud istos hæreticos nihil profecerat, ut etiam se exterorum Principum copias adversus Cæsarem conducturos minitarentur: quocirca Imperator indignum Majestate sua ratus, ulterius tantas injurias

Carafa comm. de Germ. rest. Epist. Proc. Boh. ad Imp. 30. Junii apud Sigism. Latom. in contin. Relat. pag. 83. & 99.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

in ſuis ſubditis inultas ſinere, die vigeſima quinta Junii miſſis ad eos literis denuntiabat, quod in Bohemiam exercitum ſuum immittere cogeretur, eo quod ſibi conſtaret de ſeditioſis conatibus Turriani Comitis, qui cum exercitu ad Budoviſenſe oppidum profectus, Conſulibus, Senatoribusque per literas, ut & Crumavienſi antea fecerat Magiſtratui, imperarit, uti oppido defendendo deſtinatum a ſe exercitum dimitterent, & urbis deditionem ſibi facerent, ſeveriſſimis comminationibus de ſumma etiam in infantes & fœtum maternum ſævitia, contra ſi faxint exercenda, additis. Hæc equidem, addebat Cæſar, pati etiam in poſterum nulla ratione poſſum: Mandatum igitur de recenſendo & introducendo quamprimum in Bohemiæ Regnum exercitu meo dedi, eo fine, ut fideles ſubditi mei a violentia, & injuria iſta defendantur. Hoc præſentibus literis notum vobis facere volui, ut incommodis, quæ exoritura inde ſint, innumeris conſideratis, a propoſito abſtineatis potius, quam vobis, veſtrisque & toti Regno accelerare perniciem certiſſimam pergatis, fideles interim ſubditos meos animo otioſo eſſe volo, certoque ſtatui, non permiſſurum me, ut damnum ipſis a copiis meis vel minimum

mum inferatur, ſed ut ab externa omni vi defendantur, modis omnibus procurabo. Sæc. XVII. A. C. 1618.

Ad has vero Cæſaris literas mox ſeditionis *Directores* reſponderunt, quod exercitum adverſus ſe parari haud neceſſe foret, cum ipſi duntaxat ſe ſuosque, imo totum Regnum defendere ſatagant, & Turrianus quidem Budoviſenſes, eoquod ſe patriæ hoſtes declarint (*) acerbis verbis objurgarit, non tamen illis injuriam inferre intenderit, „de cetero non dubitamus quidem, proſequebantur illi, quod invidi & adverſarii noſtri, ut Cæſar exercitum in Regnum mittat, ſummo conatu urgeant, ſperamus tamen, nec ſua ſponte Cæſarem id facturum, nec perverſis adverſariorum ſuorum conſiliis locum daturum, nos quidem rem omnem ita geſſimus hactenus, ut de illata ſibi injuria conqueri ex illis, qui *ſub una* ſunt, neminem poſſe ſciamus: quod ſi vero exercitum introduci in Regnum contra conſtitutiones Regni Comitiorumque receſſus contingat, Monaſteriis, Eccleſiaſticisque perſonis omnibus vim a promiſcua plebe illatum iri, quam propulſare non

(*) Scilicet, quia hæc ſola ferme urbs, fida in Cæſaris obſequio permanſit.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„possumus, periculum esse scimus. Cæ„terum, si quæ inde futura sint, caus„sa non nobis, sed ei, qui extraneum „introduxerit in regnum militem, im„putari debebit, nec, si ad aliorum o„pem confugerint eo casu Ordines, mi„rum ulli videbitur, quod ne fieri ad „instinctum perversorum Consiliario„rum, qui malorum istorum omnium „auctores sunt, permittat, Cæsarem „etiamnum submisse exoramus, & ob„testamur.„

Obstupuit Imperator ad summam Protestantium proterviam, qua, cum ipsi omnium primi horum motuum Authores exstiterint, nihilominus Monachorum, Cleri & populi Catholici promiscuas cædes minitari, cruentique hujus diluvii culpam in Cæsarem, si pro defensione sui regni, & vindicanda auctoritate sua militem immissurus esset, rejicere non erubuerunt; cum tamen Imperator, atque ejus nomine Saxonum quoque Elector, Maximilianus Bavariæ Dux, Ferdinandus Bohemiæ Rex, aliique Principes, ut hosce subditos Deo, Ecclesiæ & Regi suo rebelles placarent, reis pacem & impunitatem, hæreticis liberum sectæ exercitium, & literarum Majestatis confirmationem spopondissent: Cum ergo cuncta hæc clementiæ, humanitatisque

Carafa l. c.

que officia horum animos magis indurarent, Cæſar ducibus Tampierio Comite, Henrico Saxenlavenburgico, Marrada Equite, Collato Comite, aliisque compluribus exercitum decem millium equitatu, peditatuque ſelecto conſpicuum unacum tormentis bellicis, Bohemiæ finibus immiſit. Ex adverſo in Bohemia Sectarii clanculum præſertim a Germaniæ Proteſtantibus ad arma in Cæſarem capeſſenda animati, ſuppetiisque ſuffulti, ex Sileſia etiam, aliisque ejusdem ſectæ Statibus, mercede conductis copiis triginta millium facile exercitum contraxere, militaris imperii cura Turriano Comiti demandata.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXII.

Cæſaris reſponſum ad rebellium Bohemorum literas.

Toti in eo erant Proteſtantes Bohemorum Directores, ut Cæſaris apparatum bellicum impedirent, aut ſaltem retardarent, hujusque cunctationis beneficio interim ipſi validum contrahere poſſent exercitum: eo igitur conſilio ad Mathiam Imperatorem nuperas dabant literas, ad quas Cæſar hanc in ſententiam reſpondit: „De fidelibus „meis ſubditis mihi minime perſuadere

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„possum, tam crudeles & Barbaros in „Ecclesiasticos, & monasteria eos fore, „ut tam immane facinus aggrediantur, „cum præsertim Ecclesiastici nullam om„nino caussam huic expeditioni dede„rint, nec ego ullum vobis damnum „inferre unquam cogitarim, sed de in„quietis tantum & contumacibus Pa„triæ turbatoribus pœnam sumere vo„luerim, & quidem milite adhibito non „extraneo, sed in Regno & Imperio „passim collecto. Nihil equidem in vo„tis habui, neque etiamnum habeo ma„gis, quam ut supersedere molestiæ isti „mihi licuisset, quo etiam fine ad vos „literas mature satis dedi, *nec exerci„tum collegi, donec vos prorumpentes, ar„ma bellumque elegeratis*, alia compositio„nis media respuentes. Cum igitur „per contumaciam vestram eo deven„tum sit, ut armis rem experiri cogar, „media mihi non defutura spero, qui„bus tueri innocentes Ecclesiasticos, „ceterosque meos subditos fideles va„leam, idque eo magis, quod omni „rationi, quin ipsi naturæ, omnibusque „comitiorum sententiis, receptæ con„suetudini, legibus, Regnique Consti„tutionibus, factæ inter vos & Catho„licos transactioni, quin ipsi Majesta„tis diplomati factum istud vestrum con„trarium sit, nec a quoquam sanæ men„tis

„tis viro probari possit. Quod in pa- Sæc. XVII.
„cis turbatores animadvertendum cen- A. C. 1618.
„seatis, eadem & mihi mens est, pro
„Turbatore vero nonnisi convictus &
„damnatus haberi potest, aliter si fiat,
„privilegiis & immunitatibus, quin Re-
„gni etiam Constitutionibus vis infer-
„tur, quod ipse quidem Rex justissi-
„mus admittere nullo modo potest.
„Quod de implorando aliorum auxilio
„ad finem scribitis, jam ipso opere &
„facto satis comprobastis. Spero au-
„tem neminem futurum, qui factum
„istud approbaturus sit, cum ne idem
„a suis sibi subditis quoque accidat,
„metuere Magistratus omnes cogantur.„
Ad hasce Cæsaris literas Bohemi, quod responderent, nil aliud promptum habebant, nisi quod dolosis verbis se *ingenuos Bohemos*, *veritatis divinæ amatores*, *fideles Cæsaris subditos*, *patriæ adversus turbatores & perversores*, *qui suis consiliis Cæsari & Regi suo necnon fidelibus Ordinibus*, *totique Regno insidias struunt*, *constantissimos Defensores* jactitarent, cunctosque pro patriæ rebellibus haberent, qui Cæsaris caussam defen-
„derent. Attamen hic semper erat omnibus seditiosis ad honestandam rebellionem familiaris obtentus, quo tamen nunquam excusare possunt proterviam, qua sibimetipsis jus dicere, ar-

Sæc. XVII. A. C. 1718. misque vindicare contra legitimos suos Principes præsumpserunt, quod tamen in nullo eventu licitum est.

§. XXIII.

Hostiles Bohemorum Protestantium motus adversus Cæsarem, eorumque Regem.

Annales Boic. p. 3. l. 3. Struv. Period. 10. sect. 8. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 3.

Postquam Bohemiæ Protestantes oblatam Rudolphini diplomatis, quod præcipue violatum querebantur, confirmationem rejecerant, sat manifeste prodidere, quod *nonnisi Religionis obtentu* præconceptam Imperii, Domusque Austriacæ ruinam tegere intenderint; vix enim quotidie affluentibus Sectariorum auxiliis exercitum suum vehementer amplificatum cernebant, cum illico Ferdinandum Regem suum exauctorandi, exterumque Principem ad Regni gubernacula extollendi consilia agitarent. Ea de re Legatos misere ad Saxoniæ & Palatinatus Electores, imo nec dubitarunt Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci quasi venale diadema Bohemicum proponere, oblato sesquimillionis aureorum pretio ac quinque armatorum millium, expensis suis alendorum sponsione. Fovebat præcipue eorum consilia Fridericus Palatinus Elector, qui eis auctor exstitit, ut conventui

ventui de Rege Romanorum cooptando obluctarentur: Manifeſtius autem eisdem rebellionem in Cæſarem, Regemque ſuum ſuadebant Fœderati Belgii Ordines ſectæ ſuæ ſocii, qui Bohemos magis magisque commoventes, ſedulo eos hortabantur, ut pacificationis ſpecie circumveniri ſe nullatenus paterentur, ſed exemplo quoque ſuo prægravem dominatum, ac obedientiæ jugum excuterent: eam in rem omne etiam ſtudium pollicebantur. Ut ergo Cæſaris copias prævenirent, eorum juſſu, prior Turrianus Comes unacum Kynzkio maxima, qua potuit celeritate in Bohemiam irrumpens, Budoviſium urbem, eoquod in Cæſaris obſequio immota perſtitiſſet, acriter oppugnare cæpit: viciſſim vero Tampierus Comes primo Landſteinium, irrito licet conatu, aggreſſus, Biſtricium contendit, illudque oppidum occupavit, in eoque circumjectis aggeribus, ductisque foſſis ſeſe communivit, promotisque ad Novodurnum ſeu Neuhuſium caſtris, cum a rebellibus fruſtra deditionem poſtulaſſet, incenſis eorum ſuburbiis Pilgramium feſtinavit, quo prius perveniens, in via ſubmiſſas a Turriano ſuppetias delevit, quamvis ſeditioſorum copiis eum ſtrenue inſequentibus, ad Biſtricii pene portas usque ſe recipere

Sæc. XVII.
Sæc. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

cipere compulsus esset; retrogressis autem hostibus in finitima Bohemicæ factionis loca populabundus subinde erupit, Gomiziumque oppidum astu intercipiens, illud magna annonæ copia refertum militibus suis diripiendum permisit, eo fine, ut validum Pilsensibus, qui Bohemorum rebellium sectam perfidiamque detestabantur, præsidium importare posset: ipse vero postea a Cæsare Viennam revocatus, Bucquoio Comiti Cæsarei exercitus imperium cessit. Hic autem per Moraviæ fines Bohemiam ingressus, Teutobrodam urbem ceperat.

§. XXIV.

Dolosa Correspondentium Principum consilia in favorem rebellionis Bohemicæ.

Struv. Hist. Germ. Period. 10. sect. 8. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 3. Hist. de la ribell. de Bohem.

Interim Acatholici in Germania, Fœderis *Correspondentium* seu unitorum Protestantium Auctores, Ducesque, unice in id intenti erant, ut rebelles Bohemos consiliis & suppetiis ad continuandum belli cursum adjuvare possent, eo hujus opis emolumento, ut Mathia Cæsare in Bohemia curis armorum demerso, ipsi interim eo licentiosius in Imperii viscera & Catholicorum bona armis suis grassari possent. Ut autem per-

perversum hoc consilium aliquamdiu tegere valerent, missis ad Cæsarem Legatis eundem a bello Bohemis inferendo subdole dehortabantur, eodem tamen tempore non modo seditiosis reconciliationem cum Cæsare dissuaserunt, sed ipsos etiam Bohemiæ Acatholicos instigarunt, ut studiose Cæsarem a bellicis in Bohemiam expeditionibus avertere niterentur. Insuper futuri auxilii a Germaniæ Protestantibus promissi fiducia Bohemos eo impellebat, ut missis ad Cæsarem literis die vigesima quinta Septembris exponerent, quod Cæsaris exercitum in Bohemiam irrupisse, ægerrime ferrent, cum tamen omnes sacrosancte Cæsari affirmarent, quod in fide ejus, ut *hactenus* (scilicet, inchoato jam in Imperatorem bello) semper perseverare velint, plurimumque lætentur, quod Cæsar omnia eis concessa privilegia sarta tecta conservare velit: proin sperarent, quod exercitus sui progressum inhiberet, sibique persuasum haberet, *se, dummodo de religione sua securi essent*, plene Cæsaris expectationi satisfacturos. Speciosis hisce non minus ac fallacibus promissis minime collusit operis constantia; quippe eodem tempore a Fœderatis Belgii Ordinibus, necnon ab ipso Turcarum Imperatore, uti fama ferebat, auxilium

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

lium petierunt, Moravosque, & Silesitas Protestantes, qui de rebellium proposito adhuc minus edocti, auxilio esse recusabant, jamque submissas copias ad Brigensis Ducis relationem revocaverant, datis ad eos literis, transmissaque apologia ad rebellionis societatem animarunt. Quapropter Imperator Bohemorum fallacias probe prospiciens ad dolosas eorumdem literas respondit, quod ad hanc expeditionem pro avertendis malis, quæ suis subditis fidelibus tam Ecclesiasticis quam Politicis ex ipsorum iniquis ausibus imminerent, fuisset coactus, eoquod paternas suas admonitiones sprevissent, ac ipsimet expeditionum bellicarum initium fecissent, proin ad officium redirent, cum indignum foret, si Cæsar cum armatis subditis pacisci cerneretur.

„Equidem, pergebat Cæsar, innocentes affligi, & patriæ damna inferri „ægerrime fero, ejus tamen caussa in „paucos ex vobis scilicet Pragensis tumultus Auctores est refundenda; hi „enim, ut promeritas evitarent pœnas, „ceteros ementito Religionis oppressæ „obtentu, minisque sibi seditionis socios adjunxerunt: de cetero, si reipsa, „ut asseritis, fideles estis subditi, a „male usurpato hactenus imperio abstinete, dimissoque milite adversus „me

„me, Regemque vestrum in aciem e- Sæc. XVII.
„ducto ad quietem vos componite, Cæ- A. C. 1618.
„sareisque edictis pareatis velim, non
„autem vestra bona, privilegia & liber-
„tatem opprimi, falso obtentite, eoquod
„hæc, imo & *literas Majestatis*, alia-
„que pacta me conservaturum jam pri-
„dem recepi, atque etiamnum in ea-
„dem persisto sententia, simulque pol-
„liceor, justitiam omnibus damno quo-
„dam præter meritum affectis plene ad-
„ministratum iri: militibus quoque
„meis in mandatis dedi, ut nihil de-
„trimenti fidelibus subditis meis infe-
„rant.„ Quoniam vero rebelles Bohemi iisdem literis, quibus Saxoniæ & Palatinatus Electores, necnon Silesiæ Ordines in sui defensionem sollicitabant, simul Ferdinandum Regem, & Maximilianum Archiducem, ut pro ipsis Cæsaris clementiam exorarent, subdole rogassent, hinc Ferdinandus eisdem hæc in responsis dabat: „per-
„cepto Bohemiæ tumultu etiam non
„rogatus de turbis hisce componendis
„cum Cæsare egi, idem etiamnum præ-
„stabo, meque effecturum spero, ut
„turbæ motus isti omnes componantur,
„dummodo vobis ipsis vestra inobedien-
„tia impedimento non sitis. Cum igitur Mathias Cæsar & Ferdinandus Rex ipsis omnia, quæ postulabant, & de qui-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Jæger. Hist. Eccl. l. 8. c. p. 274.

quibus querebantur, clementissime indulsissent, ipsi tamen adhucdum rebellionem suam toto studio prosecuti fuerint, manifeste patet, quod hosce motus concitando unice Cæsaris, Regisque sui imperium excutere, Domumque Austriacam evertere, Ecclesiasticorum & Catholicorum bona sibi vendicare, & Cæsaris iram, quam audaci suo facinore provocabant, armorum violentia prævertere intenderint; sua igitur agendi ratione semetipsos mendacii arguebant, cum toties, palamque profiterentur, *se nihil adversus Cæsarem, Regemque suum moliri*, sed duntaxat se suæque sectæ libertatem defendere. Ceteri Bohemi ad Maximilianum quoque Bavariæ Ducem suos decernebant Legatos, supplices, ut milites in sua ditione conscribi, aut in Bohemiam conscriptum transmitti non permitteret: quibus tamen Dux acriter exprobabat, quod Cæsareos Ministros armata manu aggressi sint, & insuper Ecclesiasticos nequidem auditos Regno expulerint: quod nonnisi in odium fidei Catholicæ ab ipsis fuisse factum edicebat.

§. XXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XXV.

Melchior Cleſelius Cardinalis in cuſtodiam datus.

Hoc item anno Melchior Cleſelius ſibi oppido infeſtam experiebatur fortunam. Erat is Petro Piſtore in Auſtria natus, animo tamen, ac moribus ad aulam accommodis, necnon tanta ſcientia, induſtria, rerumque gerendarum dexteritate præditus, ut apud Mathiam Cæſarem gratia & auctoritate plurimum valens, ex arbitrio ſuo Imperium adminiſtrare diceretur: Hæc ipſa vero ſua apud Imperatorem auctoritas, quam publice quandoque nimis audacter efferebat, magnam eidem conflabat invidiam, præcipue apud Maximilianum Archiducem, & Ferdinandum Regem: Variant autem Scriptores in aſſignanda hujus odii cauſſa & Authore; nonnulli enim inculpant hæreticos & præcipue Calixtinos, qui a Cleſſellio multos ad Catholicam veritatem revocatos indignati, eundem de Sectæ, & Nationis ſuæ privilegiis ipſo Authore a Mathia violatis inſimularunt. Alii Scriptores cauſſam coniiciunt in Hiſpanos, qui Imperii negotia ſibi vendicare intenti, ægre ferebant, quod Ferdinando, quo ſine liberis decedente Bohemiæ

Arth. Dantiſc. tom. 12. lib. 2.
Barre Hiſt. d'Allemagne tom. 9.
Jæger. l. c.
Ciacon in vit. Paul. V. p. 441.
Gramond. Hiſt. Gall. lib. 4.
Nanus Hiſt. Priorat.
Hiſt. di Ferd. II. p. 1. l. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

hemiæ Regnum in Hiſpanos transferri ſperabant, exercitus Imperium a Cæſare fuerit primo denegatum, demum vero conceſſum quidem, ea tamen lege, ne Ferdinandus quid in bello ſuſciperet ſine præſcitu aut conſilio eorum, quos ei adjungere Cæſar velit. Accuſabatur inſuper Cleſelius ab Hiſpanis, quod Hæreticis plus juſto faveret, in eorumque favorem anno 1609. edictum de libero Sectæ uſu impetraſſet, neque magnitudinem Domus Auſtriacæ pro viribus tueretur, ac officia publica exponeret venalia, quod tamen haud veroſimile fuit, eoquod hic Cardinalis in pingui etiam Epiſcopatu ne tenues quidem opes poſſediſſet. Ut ut autem res ſe habuerit, id omnino certum eſt, quod inſtigante Ognato Oratore Hiſpano Cleſſelius ex Hungaria Vienam reverſus die vigeſima ſecunda Julii coram Ferdinando Rege, & Maximiliano Archiduce in arce comparere juſſus, unacum Nuntio Apoſtolico ad aulam proceſſerit: aſt ab alloquio excluſus, per Sigiſmundum Panierum & Tampierium percipere coactus fuerit, decretum eſſe a Domo Auſtriaca, necnon cum Papa transactum, ut ob male adminiſtratam Provinciam, cauſſasque alias plures haud ultra in Aula toleraretur, proin depoſita Purpura nigrum in-

indueret habitum, ac Panierum nulla mora sequeretur. Frustra obnitebatur, cœlumque ac terram implorabat Clesselius, qui captus, curruique impositus, inscio Imperatore, & si scivisset, non passuro ad fines Styriæ, indeque porro in Tyrolensem Regionem abstrahitur, non quidem ad profanos carceres detrusus, sed in custodiam cuidam Abbati traditus, ubi usque ad annum Domini millesimum sexcentesimum vigesimum tertium hæsit. Abducto Cardinale literæ ejus, & quicquid in arcano habuit, evolvebantur, Rex vero necnon Maximilianus Archidux ad Cæsarem sese conferebant, eumque de gestæ rei serie, caussisque captivitatis plene edocebant. Fertur tamen, quod Mathias hujus Cardinalis fatum iniquo ferens animo plures noctes insomnes duxerit, sæpiusque exclamarit, *reddite mihi Cleselium*, *restituite Cardinalem*: tandem vero Dietrichsteinius Cardinalis, Vir magnæ auctoritatis & judicii allatis validis rationibus inquietos Cæsaris motus composuit. Vehementius autem indignabatur Pontifex, qui hujus facinoris conscios censura Ecclesiastica innodare decreverat, id tamen præpediente Bellarmino Cardinale, qui dixerat, quod Principibus permissum sit, captivum detinere Cardinalem, si Res-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

publica ingentis damni periculum subiret. Nihilominus Papa captum sibi tradi postulans ea de re Fabritium Verospium Rotæ Auditorem in Germaniam ablegabat, eo autem re infecta Romam reverso, ac Paulo V. interime vivis erepto, Gregorius XV. rursus eundem Verospium Viennam decrevit, tandemque annuente Cæsare Clesselius Romam abductus, ibidem per paucos dies in arce Sancti Angeli detinebatur: postquam vero caussam suam mira eloquentia dixerat, haud invito Cæsare ad Viennensem suam Ecclesiam summo cum honore remissus est, nunquam de Austriacis conqueri auditus.

Piasecc. pag. 366.

§. XXVI.

Udenheimium ab unitis Protestantibus solo æquatum.

Cum interim Protestantes Germaniæ Principes Cæsarem variis pacificationum artibus detinerent, eumque Bohema seditione præpeditum haud facile posse malis Imperii subvenire cernerent, ut turbatis rebus, sectæ ac fortunæ suæ consulerent, in jam dudum præparatam violentiam erumpebant adversus Philippum Christophorum Episcopum Spirensem, qui Udenheimium Spirensis Episcopatus arcem, quæ hodie *Philippoburgum* vocatur, aliquot jam an-

Struv. Hist. Germ. period. 10. sect. 8. 9. 10. Caraf. Germ. rest. Arthus tom. 12. l. 2.

annos munitissimum reddebat: Id ægerrime ferebant Protestantes, veriti, ne Princeps Spinola in hanc arcem Hispanum præsidium immissurus esset: Unde in vulgus spargebant, hanc arcem terris Palatinis esse damnosam, eamque contra Spirensis urbis privilegia fuisse munitam: Hic obtentus sat validus videbatur Protestantibus, ut Heilbrunæ de evertenda hac arce deliberarent, atque ex eorum sententia Fridericus Elector Palatinus tanquam Advocatus urbis & Episcopatus Spirensis, unacum Duce Würtenbergico, Marchione Badensi, & Christiano Principe Anhaltino die decima quinta Junii assumptis quatuor equitum peditumque millibus, & mille ducentis fossoribus arcem invaderent, eamque impetrata deditione aliquot horarum spatio penitus demolirentur, unde una hora ad centum millia florenorum Episcopo damnum intulerunt: nihilominus hanc violentiam edito in publicum libello honestare nitebantur, exponentes, quod „hujus „arcis munitio *de Consilio & consensu* „Electoris Palatini ab Episcopo in„choata quidem fuerit, ne tamen mu„nitissimum propugnaculum erigeretur, „obstarent Spirensis civitatis privilegia, „vi quorum ad tria milliaria urbi mu„nitionem opponere haud liceret: quam-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„vis autem Episcopus iterato demonstra„ret, quod hæc fabrica propugnaculi no„men minime mereatur, nec Episcopi „nec Capitularium mens unquam fuerit „ut hoc ædificium aliis æmulationem „aut formidinem moveret, sed dunta„xat hunc locum ita munire voluerint, „ut Episcopus, qui ibidem suam sedem „habet, cum suis tutus ab externo pe„riculo sese necessitatis tempore con„tinere posset Nihilominus ab Archi„tecturæ peritis relatum esset, quod „firmissimum esset propugnaculum, ex „quo in Palatinatum ingens damnum „imminere posset; eapropter Elector, „cum ad conservandum suum jus, & „prævertendum damnum nullam aliam „viam, quam vindicationis propriæ ha„beret, structuram hanc merito destru„endam curarit, *sine tamen Episcopi aut „alterius damno*, cum ad pacem *in Impe„rio* cum omnibus, maxime vero *cum „Ecclesiasticis* conservandam paratissi„mus sit, magis autem expediat, ma„lo in tempore occurrere quam post exi„tum vindicare". His rationibus Protestantes suam violentiam honestare intenti destructa hac arce pecuniis, consiliisque gliscentes Bohemorum motus ut laude dignissimos approbarunt, novasque seditiones ipsi Cæsari summopere noxias, suis tamen rebus percommo-

modas in Imperio adornarunt: Ut vero hæc consilia felicius succederent, Bohemos in sua rebellione armis quoque fovendos rati, mox militem conscripsere, atque exterorum opem ad res hactenus non auditas pertinaciter incipiendas temerarie implorarunt, uti testatur Carolus Carafa, & ex arcanis consiliis, quæ in Cancellaria Anhaltina leguntur, & infra adducentur, sat luculenter demonstratur. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXVII.

Prælium inter Cæsareos, & Bohemos rebelles commissum.

Hæc dum in Germania gerebantur, Carolus Longevallius Bucquoii Comes die nona Novembris Camnizio Budovisium versus castra moverat, insequentibus eum Bohemorum quatuordecim millibus. Hi novissimas Cæsarei exercitus legiones invasere, quos tamen Bucquoius strenue aggressus, eosque, dum pontem quemdam præoccupare festinarent, mira celeritate prævenit, ac trecentis sclopetariis insidens, tam feliciter hostes remoratus est, ut hi ponte interim dejecto grandiora sua belli tormenta, uti contenderant, trajicere haud valerent. Inter hæc Bucquoius etiam restitutis suorum Ordinibus, in prælium aciem instruxerat, du- *Annal. Boic. part. 3. l. 3.*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

centis ad primum proximæ ſylvæ aditum collocatis peditibus, qui aſſidua ſclopetorum exploſione tamdiu Bohemos innoxio Sylvæ ingreſſu prohibuerunt, quoad evicto penitus ſaltu Cæſarei apertam in planitiem prope Saslaviam evaderent. Concurſum igitur illic eſt, tamque ardenti utrinque pugnandi vincendique aviditate continuis quinque horis dimicatum, ut certamini finem non animi defectio, ſed nox ingruens impoſuerit, cæſi ſunt Bucquoianorum quadringenti, Bohemorum autem, quibus locus ad certamen ſecundior, & pugnantium multitudo copioſior erat, pauciores interiere: E Cæſareis capti ſunt ducenti Pragam transmiſſi, quos Bohemi ibidem velut in triumphum duxere, atque ad ſua ſigna ſollicitarunt. Bucquoius vero intempeſta nocte cum exercitu ſuo e campo diſcedens, Budoviſium oppidum obſidione liberavit, ac triduo poſt Crumaviam intercepit, impoſitoque milite firmavit, inſigni Cæſaris emolumento & grandi rebellium damno. Interea Erneſtus Mansfeldius Comes Petri Mansfeldii ſpurius Filius, ſecta Lutheranus, moribus ferox, verſipellis, protervus, impius, ac diſſolutæ conſcientiæ juvenis, relictis Sabaudi Ducis caſtris a Germaniæ Proteſtantibus cum

Hiſt. d'Allemagne Barre. tom. 9. pag. 464.

Merc. Galloh. t. 12. l. 3.

cum aliquot armatorum millibus in Bohemiam missus advenerat, summo rebellium applausu exceptus. Hic a Turriano Comite suprema rei tormentariæ Præfectura honestatus, Pilsnæ urbis religioni ac Cæsari fidissime cives ad deditionem & ejurandam fidem sollicitare, detrectantes vero expugnare armisque exuere jubebatur.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Relat. obsid. Pilsnæ. edit. 1618.

§. XXVIII.

Pilsnensis urbis obsidio.

Cum autem Protestantes Bohemiæ Proceres die decima tertia Augusti datis literis Cæsari exposuissent, quod ipsis nunquam in mentem venerit, ut damnum aliquod Pilsnensibus darent, multo minus, ut hanc urbem obsidione cingerent, hinc cives eorum promissis nimium confisi, a validioribus præsidiis comparandis abstinuerunt: insuper præter omnem exspectationem acciderat inchoatæ obsidionis nuntius, eoquod Protestantes ex Rotenburgensi suo Conventu non ita pridem oblatam a Cæsare pacificationem se gratam habere testati fuissent; cognita igitur iterata eorum perfidia Cæsar apud Saxoniæ Electorem, qui hanc quoque pacis negotiationem promovere toto studio adlaborabat, questus est, quod per-

Sæc. XVII A. C. 1618. fidi hi Bohemi decreta Pilsnensi obsidione malitiose concordiæ viam obstruerent: Maximilianus quoque Bavariæ Dux, postquam Pilsnensem urbem a rebellibus jam cingi intellexerat, eosdem missis literis ab ulterioris obsidionis violentia dehortabatur. Verum surdis canebatur, erantque illis arma omni pace & quiete potiora: hinc admoto ad urbem exercitu, nil ad validam obsidionem intentatum reliquit Mansfeldius, nec aliquid pro sui defensione Pilsnenses, usque adeo imperterriti, ut Mansfeldius obsidionem solvere, atque ad tertium a Pilsnæ mænibus lapidem sese retrahere cogeretur: quo comperto cives supra fortunam sese efferentes, in vicina rebellium loca excurrere, & Mansfeldio ignaviam suam imprudentius exprobare cæperant; Verum hic crebris hisce contumeliis irritatus, redintegrata obsidione urbem admotis totius bellici apparatus instrumentis tanta vi oppugnabat, ut nudata magna mænium parte muralibus machinis decussa, domibusque ferme cunctis in cineres & ruinam subsidentibus, tandem die vigesima quarta Novembris urbem deditione caperet, civesque armis, portarum clavibus, & libertate spoliatos in verba fidemque Sacramento seditiosis Bohemiæ Proceribus

bus adigeret, qui poſtea tamen die decima nona Februarii anno ſequenti a Cæſare proſcriptionis pœna mulctatus eſt. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXIX.

Proteſtantes Bohemi in Auſtriam hoſtiliter excurrentes.

Poſtquam Turrianus Comes rebellionis Princeps Sileſitas a Sacramento Cæſaris ad conjurationis Bohemicæ partes pellexerat, eosque ductore Marchione Brandeburgico Jægerndorffii Dynaſta, in Bohemiam contra Cæſarem pugnaturos acciverat, mox copias ſuas in geminum partitus eſt exercitum, quorum primum Marchio, alterum vero Comes duceret; ſub idem tempus Auſtriæ Ordines tam Catholici, quam Proteſtantes ex mandato Cæſaris comitia agebant, in quibus de validis Bohemiam contra rebelles defendendi mediis deliberaretur: cum vero Proteſtantes, quibus non patriæ ſalus, ſed ſectæ libertas cordi erat, de Cæſaris propoſitione agi nollent, niſi prius de abrogandis, quæ Imperatori ſcriptotenus conſignabant, exiſtimatis gravaminibus decerneretur, & quid de Catholicis ſperandum cognoſcerent, hinc Mathias Imperator rurſus Bohemos

Barr. Hiſt. d'Allemagn. tom. 9. Merc. Gallob. l. 3. t. 12. Annal. Boic. l. c. Carafa l. c.

officii

Sæc. XVII. A. C. 1618.

officii ſui admonens, juſſit Ordines Auſtriacos, ut moras, quas conſultando trahebant in longum, cum ex eventis ſua metirentur Conſilia, abrumperent, & publica privatis anteferrent ſtudiis; tempus enim mutuis altercationibus ob Religionis diſſidia otioſe terebant, dum hoſtis interim, aliquot jam locis Auſtriæ finitimis potitus, ipſis Auſtriæ finibus ad Catholicorum præcipue perniciem immineret: Præterea ſat compertum habebat Cæſar, quod Bohemi rebelles poſt captam Pilsnenſem urbem unice intenti eſſent, ut vana promiſſæ pacificationis ſpe bellicum Cæſaris apparatum retardarent; atque interim Cæſarem, cui præter pauca, eaque ignobilia Bechinenſis tractus oppida in Bohemia nil reliquum erat, omnibus inſuper ditionibus exuerent, interim vero ſpecioſis non minus ac doloſis verbis pollicerentur, *aliud ſibi animi nunquam fuiſſe, quam ut ſeſe coram Cæſare humiliarent, pro Rege ſuo ſolum eum agnoſcerent, & debita ſua ſubjectione placatum ſibi reconciliarent, & a fide, ejusque obedientia ne latum unguem recederent, dummodo per conſcientiam & Religionis libertatem id non facere cogantur;* quibus tamen poſtremis verbis aperte teſtati ſunt, quod eorum ſectæ uſus debitam obedientiam erga legitimum ſuum Principem,

Boh. Reſp. ad Sax. Elect. let.

Epiſt. Bohem. Proteſt. ad Bavar. Princip.

cipem, ſi Catholicus eſt, excludat. Quam ſincera autem fuerit eorum obedientia, patuit, dum pacificationis conditiones a Cæſare propoſitas nimium ſibi periculoſas, & haud tolerandas eſſe perſcribere non dubitarent; cum tamen Cæſar ab eis haud amplius petiiſſet, quam ut redirent ad officium, arma iniqua deponerent, ab uſurpata Regni adminiſtratione abſtinerent, atque edictis Cæſareis parerent, viciſſim vero Cæſar eis polliceretur, quod copias ſuas revocare, præteritorum obliviſci, & de moleſtia nulli inferenda cavere velit. Enimvero nimium duræ erant hæ conditiones a legitimo Principe præſcriptæ ejusmodi rebellibus ſubditis, qui tam arcte factionis, ſectæque ſuæ ſtudio detinebantur, ut nullum alium Regem agnoſcere vellent, niſi qui ſub duplici ſpecie communicaret, & Papam vocitaret Anti-Chriſtum: Hoc fanatiſmi impetu motus Schlikius Comes libellis per Provincias ſparſis intrepidam poſthac Religionis libertatem, & opimas e bonis Eccleſiaſticis prædam pollicitus, populos ad rebellionis ſocietatem ſollicitabat, demum cladibus, prædisque faciendis intentus, ad Budeviſium mille Cæſareos delevit; pariter Schwenbecius Comes ſectæ ſocius Zwetelam oppidum & Abba-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Boh. lit. de condit. tract. ad Cæſar.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

Abbatiam infeſtans, cum quatuor plerumque prædonum millibus ad nonum uſque milliarium propius Viennam excurrens, Hochfurtum, pluraque Monaſteria diripuit; nihilo moderatius agebat Turrianus Comes, qui itidem in Auſtriam Viennæ viciniorem, viam aperientibus Aniſianis, ut mox referemus, cum valido exercitu irrumpens, Bucquojanos in montes Auſtriæ vicinos profugere compulit, ac demum varie cis Danubium in Auſtria vagus, ingentem ubique ſtragem edidit: Nec tamen hæc Turrianorum violentia omnino impune abibat, quippe Tampierius Comes contracta celeriter ſuorum ter millium manu circa Cremiſanium aliquas hoſtium phalanges profligavit: Cum autem Proteſtantes Auſtriæ inferioris Ordines hiſce proſperis Bohemorum adverſus Cæſarem ſucceſſibus parum angerentur, hinc non obſtabant quidem, quo minus extemporales haberentur Provincialium delectus, nimis tamen tenue ac infidum noverant hoc fore præſidium adverſus ſectæ rebellionisque ſocios: quocirca Cæſar, ut populi ſibi fidelis calamitates malaque impendentia propriæ etiam auctoritatis diſpendio redimeret, rurſus Turrianum Comitem hortatus eſt, ut poſitis armis bimeſtres ſaltem inducias admitteret,

Regem-

Regemque Ferdinandum culpæ tam multiplicis deprecatorem interpellaret, necnon aliquos captivos cum Jeſſenio itidem captivo commutaret. Turrianus autem, qui jam Cæſari leges dare, non vero accipere ſuetus erat, Panzonum ictum, ac Villingum quidem dimiſit, cetera autem injuſſu ſuorum Fœderatorum facere, ſibi haud integrum eſſe reſpondit. Poſtea ſuam in Auſtriam irruptionem edito ſcripto excuſare haud dubitabat, allegans ſe ad id coactum fuiſſe, ut hoſtibus ſuis, ſcilicet Cæſari, copiisque eidem fidis, *aditum in Bohemiam præcluderet, omnemque vim a ſubditis, fidelibusque ſuis amicis propelleret.*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXX.

Aniſiani Auſtriaci Proteſtantes in Cæſarem rebelles.

Haud minus inſolentes, atque in Cæſarem pervicaces ſeſe exhibebant Sectarii ad Aniſum fluvium ſiti. Hi enim, quicquid in Religionis negotio ſibi placeret, etiam licere, ac concedi impudentia hucusque non audita a Cæſare expoſcebant, repulſam autem paſſi futuræ defectionis ſpecimina palam edebant, nam inconſulto Cæſare ſecundum Danubii ripam propugnaculum ſuggeſta humo, ductaque per ambitum foſſa

Annal. Boic. num. 30. Bellus laur. Auſtr. p. 127. l. 3. Khevenhill. lib. 9.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

fossa excitarunt, sylvestresque Bohemici saltus angustias decussatim positis arboribus egressui clauserunt, eo fine, ut Bucquoium, ceterosque Duces Cæsareos ultro citroque commeandi facultate intercluderent, eosque prohiberent, ne in Bohemos rebelles, quibuscum ipsi clandestina fovebant consilia, exercitum per Austriæ fines ducere possent: Ea res cum ad Maximiliani Archiducis & Passaviensis Episcopi aures pervenerat, horum hortatu Cæsar nulla mora jussit Anisianos, ut dejecta munitione vias disseptas aperirent, Cæsaris copias armorum societate, ultro citroque commeandi opportunitate, & si res deposceret, annona juvarent. Nihilominus ut luculenter demonstrarent Anisiani Protestantes, quod eorum consilia nil nisi apertam respicerent rebellionem, contra, quam Cæsar mandasset, egerunt universa. His denique singularis perfidiæ monumentis Protestantes annum a Sectæ suæ sæculo nuper celebrato primum reddidere celebrem, clariusque futurum malorum præsagum, quam ille cometa, qui hoc anno die decima sexta Novembris minaci cauda tanquam flagello quopiam, seu ut alibi visus est, serpentini gladii mucrone armatus apparuit; unde paulo post monetæ aureæ argen-

argenteæque fuerunt procusæ hoc lemate: *ardet offensi Numinis astrum.* Censet (*) Petitus Parisiensis celebris munitionum Præfectus, quod Cometa, qui anno 1664. apparuit, fuerit idem cum Cometa hujus anni. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXXI.

Protestantium Germaniæ Principum consilia adversus Cæsarem & Catholicos.

Ut Protestantes Germaniæ Principes eo validius Bohemos in sua seditione fovere, Cæsaris jugum excutere, turbatisque Germaniæ rebus, oppressisque Catholicis sectam suam propagare valerent, Fridericus Palatini Elector, Christianus Anhaltinus, & Joachimus Ernestus Brandeburgicus Duces, qui a suis Triumviri appellitabantur, arcana volutabant consilia, quorum notitia præter Albertum Solmensem Comitem, Volradum Plessium, Ludovicum Camerarium, Achatium & Christophorum de Dona nemini alteri ex fœderatis fuit communicata. Præprimis igitur, postquam Palatinus ex copiis a Sabau- *Caraf. com. de Germ. rest. Struv. Period. 10. Sect. 8. §. 10. Cancell. Anhalt.*

(*) In sua dissertatione de Cometarum natura Parisiis anno 1665. edita.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sabaudiæ Duce dimissis duo peditum millia ductore Mansfeldio receperat, hi Triumviri spe ad majora audenda inflati ab eodem Sabaudo exercitum quindecim millium, misso hanc in rem Legato petebant, eo fine, ut delectu habito in Herbipolensi Episcopatu, Alsatiam invadere, eamque Friderico Palatino asserere, Tyrolis atque Italiæ transitus obsidere, necessariam Bohemis opem tam suppeditatis pecuniis quam copiis clam ferre, ac demum mare Adriaticum cum Oceano conjungere valerent. Conclusum pariter inter eos fuerat, ut res eo deducatur, quatenus Vicariatus Imperii, perinde ac si interregnum esset, substitueretur, simulque Catholici Episcopatus, servata partium æqualitate distribuerentur, ea tamen dexteritas & cautella adhiberetur, ut suspicio esse nequiret, quod uniti Principes non modo Catholicos Status, sed ipsam etiam Catholicam Religionem extirpare intendant: Tempore autem ejusmodi interregni gravamina iterato inculcata (rejecta omni deinceps amica compositione) nonnisi armorum vi expedirentur, huncque in finem Palatinus Sabaudi copiis in expeditione Bohemica uteretur, hacque ratione sibi Bohemorum animos conciliaret. Initus postea fuit ab hisce Triumviris Conventus

tus, in quo de ingenti pecuniarum summa pro futuro bello, de Palatino Electore ad coronam Bohemiæ promovendo, de summo exercitus imperio eidem deferendo, necnon de duobus Legatis, quorum alter cis Rhenum, alter vero in Franconia imperaret, substituendis deliberatum est. Præterea Triumviri, cum Brisacenses Catholicos opprimi & sine Badensi Marchione Adriaticum mare cum Oceano conjungi, haud posse, probe cognoscerent, hinc ipsum admonendum esse censuerunt, ut consilii particeps opportunam sibi ditionem invaderet. Proponebant insuper, quod Fridericus Palatinus Elector, *pro innata sua modestia*, uti falso affirmabant *non quidem ad coronam Bohemicam aspiraret*, eadem tamen ipsi affereretur, eo quod Status Bohemici, utpote novarum rerum cupidi quam maxime in hanc mutationem inclinarent, gaudentes contra Ferdinandum Regem has turbas excitari: Sabaudo insuper Duci dignitatem Imperialem pollicebantur, si ejus auxilio Palatinus Elector coronam Bohemiæ assequeretur, cum nihil sit dubitandum, quin hic duorum suffragiorum in Collegio Electorali potens, Brandeburgici etiam voti securus, facile etiam Trevirensem Electorem in ejus partes inducturus, tantum beneficium

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

debita gratitudine compensando par futurus esset. Hæc porro Protestantium consilia luculenter eo tendebant, ut Bohemici tumultus ope Cæsarem aut omnino exauctorarent, aut Religionis libertate armis extorta pacem nanciscerentur, qua Imperatorem facerent servum, & perpetuum suorum subditorum mancipium: eo ex fine sua privilegia, quæ per violentiam extorserunt, semper latius, quam per Imperii leges permissum, extendere nitebantur; postquam enim se mera sectæ *tolerantia* contentos fore simularant, paulopost *æqualitatem* cum Catholicis deposcebant, dein nec hac contenti, conjuratione facta Religionem Catholicam ex universa Germania primum sub violatæ pacificationis obtentu, dein armorum potentia extirpare moliebantur.

§. XXXII.

Pax inter Turcarum Imperatorem & Persiæ Regem.

Sagredo Mem. de Monarch. Ottom. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 3. Ludolff Schaubühne *cap.* 11.

Postquam Mustapha ab Ottomanico Solio in carcerem a Vezirio seu supremo militiæ Prætore retrusus fuerat, Osmanes Achmetis filius natu maximus per eundem Vezirium imperii gubernacula Mense Januario cepit: Hic etsi duodecenni non major, ingenii tamen tum

tum fervidiſſimi Princeps a rebellibus Hungaris Proteſtantibus ſollicitatus, Mehmetem Janiſſarorum Tribunum ad Bohemos deſtinare Legatum, decreverat; inde ſparſus brevi rumor erat, quod Acatholici in Bohemia Turcarum Imperatorem ad faciendum in Hungariam impetum literis ſuis ſollicitaſſent, & quamvis harum literarum exemplar ad Cæſarem fuiſſet transmiſſum, hanc tamen ſuſpicionem Proteſtantes Bohemi a ſe alienare nitebantur, nullo alio in ſui defenſionem allato argumento, niſi *quod Religione ſua prohiberentur, quo minus cum jurato Chriſtiani nominis hoſte conſilia agitent, aut in Chriſtianorum perniciem eum excitent:* nihilominus Proteſtantes Germaniæ Principes in Rotenburgico conventu congregati in ſuis ad Cæſarem literis inſinuare haud dubitarunt, quod ſi Cæſar Bohemicam expeditionem intermittere neglexerit, *periculum foret, ne Chriſtianis in propria viſcera ſævientibus, & Hungariæ propugnaculis omni apparatu bellico ad turbas iſtas adhibito nudatis, ad irruptionem faciendam Turcis occaſio præbeatur.* Ceterum Oſmanes nondum aperto bello Hungaros Proteſtantes Regi ſuo rebelles defendere, haud conſultum arbitrabatur, ſolio ſuo contra Perſicam potentiam necdum ſatis firmato; quocirca e Thra-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

cia & Natolia præprimis lectum validumque exercitum adversus Schach-Abam Parthorum, Persidisque Regem emisit. Concursum quoque summis utrinque viribus est ad Ardavillam urbem, initoque prælio millia propemodum octoginta Turcarum, Persarumque promiscue deleta sunt, & quamvis Turcarum clades longe major esset, nihilominus Persarum Rex suorum strage perterritus, victoriæ suæ toties reportatæ cursum ultro repressit, perturbatusque adversæ sortis metu pacem in posterum ab Osmane II. quæsierat, annuumque sericarum telarum tributum pendere promiserat: Hanc pacis conditionem Vezirius fastidiose trutinans, in interiora Persici Regni victricibus suis armis penetrabat, ubi tamen ingenti annonæ penuria pressus, pacem ea lege firmabat, ut Ottomanico exercitui Persarum Rex copiosam adveheret annonam: quo facto anno sequenti concordia utrinque stabilita est, interim vero Mogolis Rex Candoharam Metropolin Persis astu eripuit, & Turcarum Imperator magnam cladem a Melitensibus accepit. Hi enim cum duodecim navibus classem Turcicam ex Syria reducem aggressi, collectum undique tributum trigesies centum millium aureorum cum opima præda interceperunt. Paulopost

lopoſt Osmanes ad Ludovicum XIII. in Gallias Oratorem decrevit, ut ob Franciæ Legatum Conſtantinopoli a Muſtapha male acceptum Regi ſatisfaceret.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXXIII.

Conſpiratio contra Venetos feliciter detecta.

Pacis inter Ferdinandum & Venetos inſtauratæ primordia Reipublicæ oppido funeſta accidiſſent, niſi intentatam perniciem Dei Providentia in ipſos mali machinatores detorſiſſet; quippe Jacobus Piereus natione Gallus, patria Normanus, celeberrimus Pirata, homo ad quævis audenda proclivis, & ad omne periculum intrepidus flagrante Auſtriacos inter & Venetos bello Venetias venit, injuriam, qua ſe ab Oſſuna Pro-Rege Neapolitano affectum fingebat, ulturus: Hic obtentus Venetis adeo ſpectabilis videbatur, ut hunc hominem ad ſua ſigna reciperent, ſpe concepta, quod hic Pirata utilem adverſus Auſtriacos atque Hiſpanos operam Reipublicæ præſtare poſſet, præcipue cum præter plures naves inſuper Longladam inſignem pyrobolarium pluresque magnanimos juvenes ſecum conduceret. Monebat Simeon Contarinus

Jæger. Hiſt. Eccl. l. 8. cap. 8. Ferrer. cont. Hiſt. Hiſp. tom. 1. c. 2. §. 135. Ziliolo p. 2. l. 1. Nanni Hiſt. Venet. l. 3. pag. 186. Brachel. Hiſt. l. 1.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

rinus tum Romæ Legatus Rempublicam, ut caute ageret, eoquod rumor esset, quod Ossuna Dux, Petrus Toletanus & Bedmarus Marchio per ejusmodi homines insidias Venetis struere machinarentur. Hujus suspicionis fama ad ipsas etiam Ossunæ aures pervenit, qui inde graviter offensus, clam Pierei uxorem in carcerem conjecit, maritum vero a suis obsequiis olim profugum amplis promissis ad reditum sollicitavit, hancque in rem ad eum literas dedit, quas cum Piereus Senatui exhiberet, Ducemque destructis ab eo insidiis falso accusaret, tantam sibi apud Venetos conciliabat fidem, ut in armamentarium unacum Longlada ad exercendam artem pyrobolicam, susciperetur. Obeunte autem Nicolao Donato Duce Veneto statim plusquam sexaginta militares Tribuni in secretas contra Senatum indignationes & criminationes erumpebant, vel ob soluta sibi maligne stipendia, vel quod missionem denique parum pro meritis honestatam aut donatam acceperint. Hi ergo suæ indignationi plus æquo indulgentes, in Reipublicæ perniciem conspirarunt, atque in perversi sui consilii societatem adlecto Piereo, ceterisque ejus sociis, Senatum trucidare, Curiam & urbem injectis flammis

flammis delere condixerunt: Communicabant hi parricidæ tanti ſceleris conſilia aliis inſuper ſeptingentis per urbem ſparſis: extra ditionem quoque circiter mille partim Gallos partim Burgundiones, & variarum Nationum homines in audaciam exercitatos diſperſerant, eo fine, ut dato ſigno ſociis ſuam jungerent operam: accerſebatur quoque quidam Anglus nomine Haillotus, qui navigio variis ad ſuſcitanda & propaganda incendia idoneis inſtrumentis, onerato appelleret: Iſtriam verſus majores naves belli tormentis, & ſecuribus, quibus pontes & tranſitus interſcinderentur, flammamque reſtincturis aditus eriperetur, inſtructas tenebant: in urbe vero Langladus armamentarium nitrati pulveris vi unacum fornicibus quinquaginta arcuatis in aerem protruderet, alii officinam monetariam, potioraque urbis loca occuparent, audaciores autem Curiam & principalium Senatorum ædes invaderent, ut occiſis Primoribus reliqui eo facilius in ordinem redigi poſſent. Jam Menſis Majus exequendo huic conſilio præſtitutus advenerat, quin in tam ingenti conjuratorum numero, quod ſatis rarum eſt, ullus arcanum proderet, jamque noctu ex condicto appropinquabant navigia, quæ tamen exorta ſubito tempeſta-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Merc. Gallob. tom. 12. l. 2. & 3.

Sæc. XVII. A. C. 1618. peſtate partim confracta, partim disjecta fuere: Tandem vero Gabriel Montcaſſinus patria Normanus, & Balthaſar Juven ex Delphinatu oriundus, proditionis conſcii, ob diſpar tamen crimen carceri addicuntur, ex quibus unus, ut promeritas effugeret pœnas, conſpiratione patefacta, calamitatis inde imminentis effugiendæ viam aperuit. unde continuo proximis quibusque, quos ille manifeſtaverat, arreptis, ſcelusque faſſis ceteri, quotquot in manus venerant, laqueo e collo, partim a pedibus ſuſpenſi pœnas dederunt; Nobiles etiam aliqui Veneti proditionis participes nocturno tempore, ne dedecori familiæ eſſent, undis ſubmerſi perierunt, pari ſupplicio die decima Octobris ducentis extra portum affectis reliqui debitas pœnas diffugiis eluſerunt: quidam tamen Præfectus natione Gallus, nomine Sadoperus ad triremis malum a pedibus ſuſpenſus periit, Piereus denique & Langladus in mare præcipites acti, ſuffocati fuere. Ceterum Bedmarus Hiſpaniæ Legatus, eoquod conjurationis Auctor a nonnullis haberetur, in ſummo verſabatur diſcrimine, ne a furente populo vivus diſcerperetur. Oſſuna vero Prorex Neapolitanus multis contendebat, nullam partem in ea conſpiratione ſe habuiſſe: id igitur

tur omne, ne Hiſpaniam vicinam irritaret, provide diſſimulabat Senatus, qui unacum Reipublicæ Duce Antonio Priulo Donati Succeſſore die vigeſima ejusdem Menſis ad Templum Divi Marci proceſſit, pro detecta conjuratione ſolemnes Deo acturus grates. Paulopoſt morbus Venetiis admodum perniciosus invaluit, quo non pauci quotidie correpti perierunt: eodem quoque morbo & peſte ſimul Conſtantinopoli ſingulis diebus circiter mille quingenti abſumpti ſunt, excitatoque ingenti incendio plusquam quadringentæ ædes conflagrarunt, Janitſaris interim Chriſtianorum & Judæorum tabernas pro more ſuo diripientibus.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXXIV.

Griſonum tumultus in Rhætia contra Catholicos.

Sub idem ferme tempus Rhæti ſeu Griſones ſecta Zwingliani in Rhætia Catholicos dire vexabant. Vetus enim erat diſſenſio in Valle Telina Rhætos inter & Valtelinos tam ob controverſum Dominii jus, quam propter Religionum diverſitatem; hi enim Catholici, Rhæti vero ſecta Calviniani fuerant. Gallis antiqua fœdera erant cum Rhætis, Hiſpanis autem, & nunc Auſtria-

Ferrer. l. c. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 3. Gramond. Hiſt. Frant. l. 8. p. 387. Bucelin. Rhæt. Chronolog.

Sæc. XVII. A.C. 1618. Auſtriacis cum Valtelinis: hinc Philippus III. Hiſpaniarum Rex genti Auſtriacæ percommodum fore ratus, ſi prævalida arce muniretur Mediolanum, qua parte Valli Telinæ imminet, Fidentium munimentum exſtrui curabat, obſtrepentibus Italiæ Principibus, & præcipue Venetis, quibus etiam excluſis Petrus Toletanus Mediolanenſis Gubernator fœdus cum Valtelinis perficere nitebatur, hancque in rem die quinta Februarii omne commercium inter Griſones & Mediolanenſes edito diplomate inhibuit: viciſſim vero Griſones cum Mediolanenſibus negotiari prohibebantur, quos Franciæ Orator valide protegebat, ut Hiſpanos æque ac Venetos a priſtino cum iis fœdere averteret. Inde vero non modo in Bruxalenſi conventu ingens oriebatur contentio inter Calvinianos Præcones, ſed præcipue inter Superioris Caput-Oeni cives, dum hi de nova Magiſtratus electione deliberarent; quippe inferioris Taſanæ Vallis incolæ Venetis, Superioris vero favebant Hiſpanis, proin Plantanis Fratribus, qui illis in Vallibus capita, columnæque Catholicorum erant. Hos igitur, ut ſpecioſo ſub obtentu opprimere poſſent, accuſabant inferioris Taſanæ Primores, quod abrogato ſtatu Democratico omnem

Khevenhill. t. 9. p. 138.

nem ſibi poteſtatem per nefas arrogarent, exterosque Principes, Proceresque tam amplis promiſſis, ac muneribus conciliarent, ut plus quam præſtare poſſent, promittentes, nationis exiſtimationem apud Fœderatos imminuerent: Ut ergo patriam, libertatemque ab hac, ut ajebant, oppreſſione & tyrannide vindicarent, Curæ primum, & poſtea Turſetti conventum agebant, populo armato turmatim confluente. Dein variis artibus inferioris Taſanæ incolas ad ſuas pertraxere partes, atque ex ſingulis Provinciis certum armatorum numerum ſibi ſubmitti petierunt. Horum potentia freti pœnale judicium conſtituebant, ex cujus ſententia in Catholicos ſævire cæperant. Præprimis igitur Joannem Prevoſtum & Zambrium capite damnant, quosdam ſedibus ſuis dejiciunt, alios cædunt, eos vero qui ex rei privatæ neceſſitate remanſerant, Catholicam fidem abdicare, & Calvini ſectam amplecti cogunt, incenſisque eorum Baſilicis Sacram ſuppellectilem hæretica manu profanant, necnon ambos fratres Plantanos Rudolphum & Pompeium Catholicorum Principes perpetuo exilio mulctatos aqua & igni interdicunt, & poſtea melioris notæ Catholicos patibulo affigunt. Denique die vigeſima ſecunda

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Julii

Sæc. XVII. A. C. 1618. Julii innovato furore Joannem Episcopum Curiensem inique exauctoratum capite plecti jusserunt (*), Archipresbyterum vero Sonderensem nomine Nicolaum Ruscam Virum æterna memoria dignum in vincula conjecerunt, eumque, priusquam ob constantiam in professione Religionis Catholicæ trucidarent, suspensum in equleo, applicitis ad nudam carnem faculis, & corpore costarum illiumque tenus, sævis ungulis discerpto per plures horas bina vice, ut diu ac sæpius moreretur, tamdiu torserunt, donec die tertia Septembris tot tormentis excarnificatus Spiritum exhalaret: Alium quoque septuaginta quatuor annorum senem, & uxore, novemque liberis vita superstitibus gravatum, eoquod Fidentii munimenti exstructionem suasisse insimularetur, capite plecti jusserunt, proscriptis omnibus ejusdem bonis. Illos quoque, qui hanc Calvinianam lanienam tempestiva fuga declinaverant, e patria proscripsere, ad supplicia varia, si quando forte deprehenderentur, destinatos. Ceterum non modo Catholici, sed etiam ex Protestantibus moderatiores vehementer querebantur, quod hujus

(*) Huic supplicio provida fuga sese subduxerat Episcopus.

hujus Archipresbyteri nec confessi nec convicti, sed omnino innoxii corpus sub patibulo fuerit sepultum. Tam inhumane a Calvinistis habiti Catholici suam innocentiam adversus impactam proditæ patriæ calumniam non modo scriptotenus vindicabant, sed insuper Feriæ Ducis novi Mediolanensis Gubernatoris opem implorabant, quo autem successu, postea referemus: Attamen sequenti post Ruscæ cædem die hanc Calvinistarum sævitiem vindex Deus castigabat repentino Plursii Grisonici municipii excidio, ac *rarissimo Divinæ indignationis exemplo;* quippe die quarta Septembris hora diei sexta vespertina subito fremitus ac fragor a monte Contonio cooritur, mons scinditur, & vastissimæ magnitudinis rupes dissiliens, immani cum tonitru deruit, unoque momento omnia ædificia, pecora, & homines ad unum omnes mille quingentos opprimit, immensoque saxorum aggere contumulat, nec admirandi, aut exclamandi, ne dicam fugam tentandi spatio incolis relicto.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Cluver. epit. pag. 777. Bell. laur. Austr. l. 2. pag. 65.

Periit itaque quicquid Plursii nomine censebatur ad Seilanum usque cis, & trans Meram universum, ne relicto quidem oppidi vestigio; ubi hodie loco hujus urbis jam lacus apparet sesquimilliari Italico longus: Foris mortem effu-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

effugere nonnisi quinque homines, tantæ calamitatis testes, horum primus erat quidam pauperculus, qui Dei monitu oppidum egressus erat, alter Prætoris Plursini frater negotiorum caussa Rongaliæ tunc distentus. Tertius quartusque Franciscus Fornus & quidam faber cæmentarius foras in cellam egressi vinariam, ac denique puer quidam, qui fame pressus extra Plursium ad poma persica direptum exierat. Fertur, quod pridie insolitus quidam fætor undecunque spargi cæperit, atque operarius quidam tam Wertemano Cancellario, quam aliis compluribus incolis proximum oppidi excidium denuntiarit, eosque ad fugam, atque eorum, quæ cuique forent chariſſima, exportationem identidem excitarit, ast sicut in diebus Noe, spretus, fidem non invenerit. Advolarunt postea fossores, ut forte spirantibus adhuc sub ruina, auxilio essent, hos vero tanta fœtoris intolerantia obruit, ut pluribus illorum suffocatis ceteri dilaberentur, a spectro admoniti, ut nunquam de instaurando loco cogitarent. Postea tamen trucidati Archipresbyteri corpus exhumatum est, Fabariamque translatum plane incorruptum reperiebatur, cordis vero pars, insigne incoruptionis monumentum, Veldtkirchii asservatur.

Eidem

Eidem quoque Martyrii laureolam prædixisse & gratulatus esse fertur S. Carolus Borromæus, cum ex ejus capite quondam flammam cælum versus exsplendescere intuitus esset.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXXV.

Arminiani a Gomaristis & Principe Arausicano pessime habiti.

Pari furore, quo Calvinistæ in Rhætia Catholicos insectabantur, hoc quoque anno in Belgio Arminianorum & Gomaristarum factiones inter se collidebantur, vis & arma in se mutuo convertentes; cum enim Fœderati Belgii Ordines sua ab Arminianis mandata vilipendi cernerent, veriti, ne hi sub obtentu Religionis Regimen ambirent, jugumque subjectionis excutere molirentur, hinc ineunte hoc anno decrevere, ut Mauritius Nassoviæ ac Arausiæ Princeps Gomaristis addictus cum copiis suis Arminianas urbes hostiliter invaderet, exauctoratoque Magistratu hujus sectæ Præcones expelleret. Hic ergo Noviomagum & Zutphaniam profectus ex Magistratu cunctos Arminianæ sectæ faventes expulit, nullaque mora Præcones urbe excedere jussit. Postquam vero ad Transisulanam Provinciam, ac præcipue ad Campedunensem

Neuvill. hist. di Holl. l. 1. cap. 5. Massen. annal. Trev. l. 23. Arth. Dantis. t. 12. l. 2. Jæger. hist. Eccl. l. 8. cap. 7.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

ſem urbem, quæ veluti Arminianæ ſectæ Metropolis habebatur, arma converteret, Præconum authoritas & potentia expeditionis ſuſceptæ curſum remorari videbatur; ibidem enim quatuor præcipui Prædicantes, Goswinus, Schoterus, Wiſelinus, & Mathiſius non modo populum ad ſtrenuam ſui defenſionem crebris declamationibus accenderunt, ſed etiam veluti Arminianæ Eccleſiæ ſummi Pontifices per urbes & Pagos ad exponenda novæ ſectæ capita reliquos Præcones tanquam Apoſtolos ſuos emiſerunt; utque ſaltem inter eos concors eſſet errandi norma, novam fidei confeſſionem Genevenſi & Heidelbergenſi oppoſitam typis evulgarunt; nihilominus his validior Præco erat Mauritius, qui ſuorum militum ope Calvini honorem, doctrinamque eliminato Arminianismo revocabat: Agebatur jam de ſubjuganda Arnheimenſi urbe, quam præter Provinciæ Senatum, præſidiarii milites magno numero collecti formidabilem Mauritio reddebant: Hic igitur opem conſiliumque in aſtu quærens, ſe Trajectum profecturum ſimulabat, ſimulque nonniſi in tranſitu pernoctandi licentiam petebat: id vero eidem duobus ex Senatu denegantibus, nec ſatis ſe tutum in urbe ob vulgi furorem fore aſſerentibus, Mauritius

ritius ſpreto eorum obtentu urbem cum ſuis copiis ingreſſus eſt. Præceperat viciſſim Arenheimenſis Senatus ſuis militibus, quos *expectantes* vocabant, ut ſi quid Mauritium moliri cernerent, mox arma corriperent. Verum nimis ſera erat hæc cautela; quippe Mauritius Erneſto etiam Naſſovio cum ſuo agmine altera die urbis portas infeſtante necnon Arminianis militibus, quos Gomariſtæ auro corruperant, nequaquam obſiſtentibus, urbe & arce potitus eſt, Senatorum quibusdam aufugientibus, aliis ab officio ſemotis: Poſtea Princeps ceteris in Curia congregatis ſignificari curabat, ut quiete ſubſiſterent, & pro dirimenda fidei controverſia Synodum proximam expectarent. Armatæ hujus Prædicationis rapiditas, necnon ſeverum mandatum de *expectantibus* copiis intra viginti quatuor horarum ſpatium exauctorandis Lugdunenſem & Harlemenſem, aliasque civitates eo adegit, ut circa nota Religionis capita ſeſe ad potentiorum arbitrium componere decernerent: Inde vero Joannes Barneſeldius præcipuum caput & Arminianorum Protector, necnon Trajectenſes, atque Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines anxiis curis agitari cæperant, quapropter datis ad Mauritium literis rogabant, ut Tra-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

jectum declinare, nec se populi tumultibus exponere velit. Interim vero Trajectenses suadente Barnefeldio urbem & circumvicina loca valido muniebant præsidio.

§. XXXVI.

Trajectum aliæque Hollandiæ urbes Arminianis addictæ a Mauritio occupatæ.

Ex violenta hac agendi ratione Arminiani sat luculenter cognoverant, quod Gomaristæ firmum fixumque haberent, ablata conscientiæ libertate, quos nec ratione nec Scripturæ pondere possent, saltem armorum vi ad sectæ suæ placita pertrahere: Ea de caussa Hollandiæ & Westfrisiæ Ordines die octava Maij ad cunctas sibi addictas urbes mandatum dederunt, vi cujus inter se novum fœdus inire, ac Belgii Ordinum ausibus obsistere admonebantur: cum autem Trajectenses vanis altercationibus tempus tererent, & veteres præsidiarii exorta æmulatione contra *expectantes* milites ad Arausionensis Principis partes deficerent, ingens in urbe concitabatur tumultus, qui tamen Rumoldi Hogerbetsii, & Hugonis Grotii auctoritate sedatus est: postea vero Moersbergus Consul Trajecten-

jectensis, & Ægidius Ledenbergius hujus Provinciæ Tabularius cunctos cives ad capessenda arma concitarunt, occupatisque præcipuis oppidi locis *expectantes* præsidiarios imponere festinarunt. Hos tamen prævenit ad omnes casus intenta sedulitas Mauritii Principis, qui repulsis *expectantibus*, civibusque in officium redactis, Magistratus officio suo amovit, Senatorum nonnullos & Ledenbergium carceri mancipavit, & præcipuis seditionis auctoribus exilio mulctatis, Provinciam, urbemque Trajectensem Fœderatis Ordinibus asseruit.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XXXVII.

Barnefeldius unacum aliis in vincula conjectus.

Enimvero Hollandiæ Ordines hac Mauritii molitione veteres patriæ leges & præcipue fœdus anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto initum violari querebantur, incassum tamen; quippe Arausionensis Princeps Hollandiam in novam regiminis formam redigere, sibique supremum Belgii Fœderati imperium asserere intentus, Arminianos penitus extirpare statuit; unde aucta Gomaristarum factione, necnon militum obse-

Neuvill. l. c. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

quio fretus, octo Calvinianos Ministros sibi addictissimos sub specioso Fœderatorum Ordinum nomine congregavit, ac die vigesima quarta Augusti Barnefeldium celebrem quondam Reipublicæ Hollandicæ Catonem, dum e Provinciæ Ordinum conventu solus egrederetur, Hagæ Comitum comprehendi, vinctumque ad arcem conduci jussit: postea Hogerbetsius, Grotius & Ledenbergius pariter in vincula conjiciuntur, Moersbergus vero domi captus detinetur. Eodem die Fœderati Ordines seu verius octo illi Prædicantes Principis mancipia, ut populi invidiam turbasque a se amolirentur, publicas literas hanc in sententiam affixere. „Postquam in commotione Trajectensi, „res ejusmodi detectæ, & manifestatæ „fuerunt, quæ in Provinciarum omnium „perniciem cedere, & non Trajectensi „solum, sed aliis quoque civitatibus „cædem & damnum maximum accer„sere potuerint, auctores vero rerum „istarum primarii Advocatus Hollan„diæ Joannes Barnefeldius, Romoldus „Hogerbetsius, & Hugo Grotius ha„beantur, Ordines pro periculo omni a „provinciis avertendo, & restituenda „omnibus concordia, pace & tranquil„litate pristina, viros istos tres, donec „administratæ provinciæ, actionumque

„sua-

„ſuarum omnium rationem reddant, „detinendos Hagæ-Comitis curarunt, „qua de re ulteriorem declarationem „ſuam brevi ſunt in lucem daturi.„ Sæc. XVII. A. C. 1618.

Huic criminationi Gomariſtæ binas adhuc alias a Franciſco Aerſſenſio calumnias, quas Hugonottæ Galli in ſuis etiam conventibus divulgabant, contra Barneſeldium addidere, & quidem I. quod Hollandiam ad Religionem Catholicam reducere. II. Hiſpanorum dominationem rurſus invehere molitus eſſet. Ne vero tam Princeps quam Fœderati Ordines, quibus nullum jus in particulares Provinciarum ſubditos competebat, de uſurpatæ jurisdictionis crimine poſtularentur, ſeſe *totius Reipublicæ Conſervatores* jactitabant, quod exoſum ſane nomen fuit apud illos populos, qui propriam libertatem ſua vita potiorem habentes, tot respublicas, quot urbes condidere.

§. XXXVIII.

Franciæ Regis conatus de revocanda Provinciarum unione.

Fervente hoc tumultu Morierus Franciæ Regis Orator Ludovicum XIII. de proxima Reipublicæ Batavinæ ruina, ni tempeſtive diſſidia componerentur, certiorem reddidit. Eapropter *Neuvill. hiſt. d'Hollanb. cap. 7.*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Rex ineunte Menſe Majo Boiſſiſium, Virum Batavis haud incognitum nec ingratum Hagam Comitum ablegabat, ut contendentes ad concordiam interpoſita etiam Regis auctoritate revocare niteretur. Verum Mauritius, qui turbatis Belgii rebus ſibi utilius proſpicere poterat, hæc pacis conſilia dextere eluſit, ſuamque factionem firmaturus, omnes Hollandiæ & Weſtfriſiæ urbes armis ſubjugare ſtatuit. Hanc in rem Lugduni, Delphti, Harlemii & in pluribus aliis urbibus, exauctoratis Magiſtratibus Senatores Barnefeldio atque Arminianis adverſos ſubſtituit, urbesque validis præſidiis munivit, necnon Arminianorum Eccleſias Gomariſtis attribuit: Poſtea Hagam reverſus præcipuos hujus ſectæ Prædicantes, atque inter eos Voſſium, Bertium, Grenvikhovium, Venatorem, & Corvinum urbe, ac Republica expulit: Joannem vero Utenbogardum ſibi quondam familiariſſimum tanquam læſæ Majeſtatis reum proſcripſit, eoquod Arminianorum dogma magis pium, quam Gomariſtarum doctrinam eſſe aſſeruiſſet: quo cognito Ledenbergius, qui ex tot nobilium capitum ſupplicio ſuum ſibi fatum præſagiebat, violentas ſibimetipſi manus injecit. Interim captivi ſexto jam menſe in carcere tabeſcebant, quin adhuc

Vid. Supra Lib. CLXXXIV.

adhuc auditi essent, quocirca Franciæ Rex suis Legatis negotium dabat, ut Fœderatos Ordines ad majorem erga captos humanitatem inclinarent, necnon de famoso Francisci Aerssensii libello quererentur, eoquod hic Author Regis Senatum, & Ministros convitiis lacessivisset. Verum cuncta Regis Christianissimi consilia evertit Jacobus I. Angliæ Rex, qui se in fidei quæstionibus versatissimum reputans, Gomaristis adhæsit, de Barnefeldii exitio tripudians, eoquod hic sua olim dexteritate Flessingam, Briellam, aliasque urbes Anglico præsidio evacuasset.

Sæc. XVII. Sæc. 1618.

§. XXXIX.

Hollandiæ & Westfrisiæ oppositio adversus Dordracensem Synodum.

Ut vero Gomaristæ, & Fœderati Ordines invidæ oppressionis calumniam a se amoverent, ac duntaxat religionis tuendæ studio accensi arma sumpsisse crederentur, dissidentes inter se Theologos indicto Concilio Nationali conciliare satagebant, hancque in rem Dordracensem seligebant urbem, in qua (uti jam die prima Decembris anni prioris decreverant) ad primam Decembris diem præfata Synodus, totam

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Belgicam Ecclesiam, ceterasque omnes Calvini & Zwinglii doctrinæ addictas repræsentans, celebraretur. Convocabantur etiam omnium totius Europæ Ecclesiarum Ministri, & Doctores Calviniani; jubebantur quoque prius provinciales habere conventus, in quibus de articulis in Nationali Concilio proponendis, necnon de Doctoribus ad id deputandis ageretur. Paruere his jussis Gomaristæ, Arminiani e contrario & præcipue Hollandi, atque Ultrajectenses declarabant, hujus Synodi convocationem esse irritam, utpote libertate destitutam, Gomaristas simul judices, reosque esse, Arminianos prius cecidisse caussa, quam auditi fuissent, ac demum ad tollenda mala sufficere Synodum Provincialem, sique Nationalis foret necessaria, opportere, ut hæc esset Oecumenica. Nec vana erat horum oppositio; quamvis enim Prædicantes exilio mulctati ad hanc Synodum reverterentur, cognita tamen violenta Magistratuum abdicatione sibi tempestiva fuga consuluere; ceteri suos ad hoc Concilium ablegare renuerunt, eoquod Gomaristæ numero & potentia Arminianis prævalerent, nullumque admitterent, nisi aut Barnefeldio adversaretur, aut Gomaristis faveret: præterea Gomaristæ Arminianorum oppo-

sitione

ſitione irritati in ſuis privatis conciliabulis ferme omnes hujus ſectæ Prædicantes officio ſuo dejecerunt, utque iniquam hanc vim honeſtarent, in vulgus ſparſere, quod non ob eorum doctrinam utpote nondum diſcuſſam nec damnatam, ſed propter corruptos illorum mores, & Socinianismi (*) errores exauctorati fuerint.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XL.

Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum literæ ad Electorem Palatinum & Angliæ Regem pro impedienda Synodo Dordracenſi.

Cum igitur Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines probe intelligerent, quod præconceptum Dordracenſe Conciliabulum rationum pondere haud ultra impedire poſſent, Palatini Electoris patrocinium implorarunt, datis ad eum literis, quarum ſumma hæc eſt. „Ab „initio repurgatæ apud nos religionis „duæ

Jæger. hiſt. Eccl. l. 8. cap. 7.

(*) Ab hac labe ipſe Basnagius Arminium vindicat, referens, quod hic coram Hollandiæ Ordinibus hanc calumniam a ſe amolitus ſit. Hiſt. de la Relig. des Eccl. Ref. pag. 281. & pag. 285. Socinianismi accuſationem non fuiſſe ſat fundatam fatetur.

Sæc. XVII. A. C. 1618. „duæ nos præcipue difficultates exer„cuerunt. Prior de eo imperio, quod „circa *Ecclesiastica Christianis Magistrati„bus* competit; in quo itidem, ut om„nes Reformati Reges, Principes, ac „Magistratus, & Reipublicæ, & Ec„clesiæ incolumitatem inprimis sitam „semper existimavimus; contra Mini„strorum quorumdam Sententiam, qui „Ecclesiasticum regimen externum sum„mo in republica imperio non subjectum „aperte profitebantur: *Altera vero de „diversis Theologorum Sententiis super di„vina Prædestinatione, annexisque capiti„bus*: Sua placita non sine aliorum „condemnatione, aut ignominia Mi„nistris quibusdam rigide urgentibus „contra existimantibus nobis, satius „esse, tales controversias plebis captum „superantes a suggestis amoveri; nihil„que obstante sententiarum diversitate, „super quæstionibus inter veteres, re„formatosque Doctores adeo decertatis „pacem Ecclesiæ servari: *eo magis quod „Reformatæ Ecclesiæ, præsertim vero tua „Electoralis Serenitatis Parentes, ipsa tua „Electoralis Serenitas ejusque præstantissimi „Theologi longius dissidentibus* confessionis „Augustanæ Ecclesiis, *eandem pacem, „fraternamque communionem sæpius obtulis„sent.* Et spes quidem fuerat, positis „armis, quæ olim omnem ferme curam

„ac

„ac sollicitudinem nostam in se verte- Sæc. XVII.
„rant, consilio piorum virorum & pub- A. C. 1618.
„lica auctoritate Ecclesiam, legibus
„stabilitam, & moderata æquitate com-
„pactam, in solido a nobis posse con-
„stitui: quo fine plurimi a nobis labo-
„res optimo proposito suscepti sunt; ut
„ex earum literarum, quas ad serenis-
„simum ac potentissimum Regem Brita-
„niæ mittimus, exemplo, aliisque eo-
„dem pertinentibus chartis, promptum
„erit Electorali tuæ Serenitati cognos-
„cere. *Sed Ministri quidam & officii sui & nostri in ipsos juris beneficiorumque immemores, haud ante quieverunt, quam Ecclesia miserabiliter discissa, plebi, sed præsertim externis apud nos commorantibus, inobsequentius se gerendi exemplum aut occasionem præberent:* „qui sicut antehac
„Synodis, quas nationales ipsi vocant,
„aggressi sunt fratres in controversiis dif-
„ficilibus, ut diversus est humani in-
„genii captus, haud pariter secum sen-
„tientes acerbioribus censuris premere,
„& ab electione Pastorum, & reliqua
„Ecclesiæ inspectione amovere Magi-
„stratum: ita nunc quoque existimant,
„id sibi restare, ut quod contra leges
„moliti sunt hactenus, nunc Synodicis
„decretis vim accipiat, atque auctorita-
„tem. Quamquam vero Provinciæ quæ-
„dam nostri fœderis, illis, quas dixi-
„mus

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„mus, controversiis minus obnoxiæ, „eo perductæ sunt, ut in Synodi talis „indictionem consentirent, literasque „eam in rem scriberent, usurpato Ordi„num generalium nomine: *nos tamen „gnari, & aliam esse apud nos Ecclesiæ „constitutionem, & eo, quod cum vicini„inivimus, fœdere jus, rempublicam, & „in republica Ecclesiam, gubernandi soli„dum atque illibatum penes nos mansisse, ne„que ea in re nos aliorum teneri imperiis, „non magis quam alii nostris teneantur, alia „remedia monstravimus;* quæ salvo jure „nostro, ac publicis legibus ad resar„ciendam Ecclesiæ pacem rectius duce„rent: quæ itidem videre erit in char„tis, quas transmittimus. Plane au„tem confidimus, Electoralem tuam „Serenitatem, hisce cognitis, non mo„do *nulli adjutricem fore ad eas res, quæ ju„ri nostro adversantur, sed contra omni „occasione daturam operam*, ut & aucto„ritas nostra in Ministros nostros salva „maneat; & Ecclesiarum Evangelica„rum unitati, quæ ex difficilium con„troversiarum definitionibus periclitari „solet, leniore quadam via Christiana „scilicet moderatione, ac tolerantia, „consulatur".

Hæc Arminiani pro impediendo Dordracensi Conciliabulo ad Palatinum perscripsere, eodem autem tempore Ja-

Jacobum I. Angliæ Regem de tota diſſidii ſerie certiorem reddebant, ſupplices, ut interpoſita ſua auctoritate jubere vellet, quatenus utraque ſententia inter partes controverſa interim *toleraretur*. Hanc in rem ſequentes ad eum dederunt literas. „Quo primum tem„pore hiſce in regionibus Erasmi, Lu„therique ſcriptis accenſa lux eſt, qua „colluſtrati homines haud pauci tyran„nidem Paparum, idololatricos ſuper„ſtitioſosque cultus, & alios paulatim „in Eccleſiam invectos errores agnoſce„re cæperunt: Paſtores, qui paſſim „pios cætus collegerant, cum leges pu„blicas ſibi adverſas haberent, atque „ideo earum præſidio uti non poſſent, „*neceſſitate compulſi*, ad Galliæ exem„plum, *Regimen quoddam conſtituerunt Eccleſiaſticum, quod, ex Paſtoribus & delectis e fidelium multitudine Senioribus conſtans, e conſeſſibus minoribus in majores, quaſi per gradus quosdam aſſurgeret.* Poſt„quam vero nos primi omnium, cum „Zelandiæ Ordinibus, ductu laudatiſ„ſimi Herois, Guilielmi, Arauſionen„ſium Principis, *armis ſumtis ad vindi„candam ab illegitimis imperiis avitam* li„bertatem; ſimul, quod pias poteſta„tes decebat, ad ſublevandam Eccle„ſiam animum adjecimus; templa ima„ginibus purgata, emendatioris Doctri„næ

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„næ magiſtris tradidimus, eosdem li„beralibus e publico ærario ſtipendiis „ſuſtentavimus; ſtatim inter Paſtores „quosdam & Magiſtratum plerosque „ortæ contentiones: cum illi quidem „id, quod perſecutionum *neceſſitate invaluerat, regimen ſine ulla mutatione retentum vellent, ſibique ac Senioribus poteſtatem omnem ferendarum legum Eccleſiaſticarum, conferendique munera Eccleſiaſtica, vindicarent:* hi contra, mutatis tempo„ribus, manente functionum diſcrimi„ne, *mutandam nonnihil cenſerent formam „Gubernationis:* quippe cum, ut ex ver„bo Divino docet Belgica Confeſſio, „non id modo *munus ſit Magiſtratuum, ut de civili politica conſervanda ſint ſolliciti;* ſed &, ut *operam dent tollendis adulterinis cultibus, prædicando Evangelio, propagando Chriſti regno*: quod cum of„ficium faciunt, Magiſtratus eosdem „eſſe ſupremos, & civilium, & Eccle„ſiaſticarum rerum Gubernatores: ac „proinde nullum eſſe regimen exter„num, quod non Supremo in Republi„ca imperio ſubordinetur: quia ut fert „inſignis Optati Millevitani Sententia, „*non Respublica in Eccleſia, ſed Eccleſia „ſit in Republica.* Hujus Sententiæ „cum eſſet fortiſſimus, ac potentiſſi„mus Arauſionenſium Princeps, leges „concepit, easdem ab Eccleſiaſticorum

„quo-

„quorumdam objectionibus vindicavit. Sæc. XVII.
„Auctor præterea nobis & Zelandiæ A. C. 1618.
„Ordinibus fuit, ut eandem in curam
„toto animo incumberemus, vaticina-
„tus, si hanc muneris nostri partem ne-
„gligeremus, exitiale id Reipublicæ at-
„que Ecclesiæ fore: in mandatis, quæ
„a nobis idem Princeps Arausionen-
„sium de exercitio collatæ sibi pote-
„statis accepit, fuit illud quoque, ut
„quæ ad religionem pertinent, ordi-
„naret: item, ne Consistoria ulla esse
„pateretur, nisi a nobis, aut Magistra-
„tibus instituta.„

„Verum hæc omnia hodie evertun-
„tur. Sunt, qui a ferendis legibus,
„quæ ad ordinem aut decorem Eccle-
„siæ pertinent, ab ultima cognitione
„rerum Ecclesiasticarum, ab Electione
„Pastorum ac Seniorum, Magistratus
„omnes, ipsasque summas potestates
„aperte excludunt, nihilque ipsis relin-
„quunt, præter executionem eorum,
„quæ Ecclesiasticis placuere. Verbis
„facta congruunt. Habentur Ecclesia-
„stici conventus ab Ordinibus non in-
„dicti, imo interdicti: honor Magistra-
„tuum libellis, & jactis in vulgus vo-
„cibus lancinatur: pluribus in locis,
„ubi dogmatum controversiæ sunt nul-
„læ, vinculum Ecclesiasticæ unitatis
„ob id abrumpitur, quod Magistratus,

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„more veteris Ecclesiæ notissimo, assi„dent Ecclesiasticis conventibus, & ad „electionem Pastorum ac Seniorum „juxta ipsos Pastores ac Seniores dele„gantur. Hac de causa conquisitis si„gnationibus ad deferendos cœtus ve„teres plebs concitatur. Si obsistant „Magistratus, & pessimi exempli se„cessionem probare nolint; sunt, qui „vim aperte minantur, fuere &, qui „intentarent. Nos interim gnari, quan„to ampliora jura in ordinandis Eccle„siæ rebus, & designandis Pastoribus „exerceant, non Reges tantum, & „Electores Evangelicam veritatem pro„fessi, sed Comites quoque Germaniæ, „& tum ejusdem Germaniæ, tum Hel„veticarum civitatum Rectores: quo„modo Genevæ Seniores Ecclesiæ non„nisi ex Magistratuum numero eligan„tur ab ipsis Magistratibus; indignum „arbitramur, nobis, qui pro tuenda „vera religione, quantum vix quisquam, „fecerimus, pertulerimusque, pro mul„tiplici beneficiorum genere has gratias „rependi. Et quamquam prudentiam „tuæ Majestatis semper simus vene„rati, nunquam tamen antehac satis „animo concipere potuimus, tantum „publicæ authoritati periculum immi„nere a Presbyteriali ista summa, im„perio non subordinata, gubernatio„ne,

„ne, quantum jam pridem Majestas „tua & voce, in Hamptoniensi præser- „tim Conventu & Libris editis, præ- „dixerat, eamque secuti præstantes „Angliæ Theologi multis argumentis „demonstraverant. Quamquam & hic „olim nascentis tum primum licentiæ „argumenta Princeps Arausionensis „præviderat. Nunc vero, exæquante „tot oracula tristi experimento, nihil „habemns, quod prius accusemus, „quam diutinam nostram patientiam, „ac lenitatem.„

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„Altera pars malorum, quæ Eccle- „sias nostras exagitant, nata est ex „Theologicis quæstionibus de præde- „stinatione; aliis enim ea probata sunt „dogmata, *quæ a Calvini*, *Bezæ*, alio- „rumque authoritate non parum *sibi* „*dignitatis conciliarunt*, eadem nimirum, „quæ in Anglia defenderant viri docti, „*Withakerus & Perkinsius*: alii ab his „dissidentes Sententiæ suæ laudabant „non spernendos authores, *Erasmum*, „*Melanchthonem*, *Bullingerum atque alios*. „Quamquam vero in *Geldria quoque*, & „*Frisia non defuisse Pastores*, qui poste- „riorem hanc Sententiam tuerentur, „editis libris apparet; tamen in *Hol- „landia Westfrisiaque*, & *in Provincia „Trajectina*, *major semper fuit ita sentien- „tium numerus*: partimque vivunt ad-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„huc, partim obierunt Professores, & „Pastores, qui ante annos triginta & „quadraginta hanc docendi rationem „publice sunt secuti, *nemine ipsis eam ob „rem movente litem.* Quod si quando in „conventibus Ecclesiasticis, ubi prio„rem illam Sententiam plures tueban„tur, quidam Ecclesiasticas eo nomine „censuras fratribus intenderent, nos „ante annos viginti & amplius autho„ritate nostra talibus Censuris interces„simus, & ad concordiam fleximus Pa„storum animos. Eandem viam se„cuti sumus, cum ex Academia, cui „includi subtiliores istas disputationes „æquum rectumque fuerat, in Eccle„sias latius serpsisset contentio, prioris„que Sententiæ defensores posteriorem „ut Sacris literis, Confessioni Belgicæ, „& Catechesi Heidelbergensi apud nos „receptæ, adversam accusarent, con„tra se ac sua tuentibus aliis. Unde „nata est *Collatio, quæ Hagæ coram no„stro consessu anno post Christum natum „millesimo sexcentesimo undecimo est insti„tuta.* Cujus is fuit exitus, *ut sine ullo „Sententiarum præjudicio, pacem & cha„ritatem dissidentibus commendaremus iis „decretis,* quorum itidem exempla trans„mittimus. *Confirmati* sumus plurimum „*Majestatis tuæ Literis*, quas ipsi visum „est *ad nos mittere Martio mense anni mil„lesimi*

„*lesimi sexcentesimi decimi tertii.* Iis enim „literis Majestas tua expensis iis, quæ „in controversiam vocabantur pro summa sua prudentia monebat, experiundo sibi cognitum, disputationibus „Theologicis id genus quæstionum vix „posse terminari: magis e re fore, *ut „publica authoritate* sopirentur, *vetitis „ministris, eas disputationes in suggestum,* „aut ad plebem perferre, jussisque pacem colere, & in ista opinionum ac „Sententiarum discrepantia invicem se „Tolerare, saltem donec, mature cognito negotio, authoritate publica aliter statueretur. *Addebat Majestas tua, compertum sibi, neutram Sententiam ita „deviam, ut non posset cum fidei Christianæ veritate, & cum animarum Salute consistere.* Similia super hoc argumento „ex Augusto Majestatis tuæ ore se intellexisse jam ante retulerant Legati „Ordinum fœderatorum, qui in Britannia fuerant anno millesimo sexcentesimo decimo. Neque incognitum erat, cum pridem in Cantabrigiensi „Academia eædem quæstiones incaluissent, conceptas quidem Lambethæ „assertiones quasdam, sed nunquam „iis accessisse publicam authoritatem. „Et cum anno millesimo sexcentesimo „tertio, a Renoldo ejusque Sociis Majestas tua oraretur, ut corpori Angli-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„canæ Confessionis pateretur adjungi „easdem assertiones, Majestati tuæ mi„nime ex re visum Ecclesiæ, librum „Confessionis farciri Theologicis con„clusionibus. Legebatur in alio libel„lo, Majestatis tuæ jussu conscripto at„que edito, rerum absolute necessaria„rum, ad Salutem non magnum esse „numerum: Quare existimare tuam „Majestatem, nullam ad ineundam con„cordiam breviorem viam fore, quam „si diligenter separentur necessaria a „non necessariis, &, ut de necessariis „conveniat, omnis opera insumatur: „in non necessariis libertati Christianæ „locus detur. Cum vero in decretis „nostris prioribus nonnulli requirerent „certos Tolerantiæ *fines*, ne istarum di„sputationum obtentu irreperent do„gmata, aut quæ Deum facerent pec„cati authorem, aut quæ gratiæ vere „gratuitæ honorem delibarent; con„cepta est formula, quæ, rejectis illis „erroribus, quos Ecclesiæ veteres, & „Reformatæ damnaverant, tolerantiam „disputationibus, in Collatione tracta„tis, tanquam limitibus quibusdam „circumscriberet, cum præcepto, ne „quis in reliquis Doctrinæ partibus quic„quam doceret, quod a receptis per „Ecclesias Reformatas Sententiis dissi„deret. Hæc quoque formula ad Ma„jesta-

„jestatem tuam missa est, lectaque tum „ipsi tum insignibus Angliæ Theologis. „Rescriptum a Viro clarissimo, non „Consilium tantum Majestati tuæ aliis„que Viris gravissimis probari: Sed „formulam quoque ipsam; Apparere „enim, id actum, ut a duobus scopu„lis, *in hac doctrina æque periculosis, hinc „Manichæorum*, inde *Pelagianorum* po„puli avertantur, & in ea doctrina con„firmentur, quæ Salutis nostræ pro„ram ac puppim, principium scilicet, „progressum & consummationem, uni „Deo adscribens, contemptum tamen „bonorum operum non inducat. Ea „igitur formula ad civitates Hollandiæ „ac West-Frisiæ missa, multis proba„ta, tum illius tum hujus Sententiæ „Pastoribus, majori parti conventus „placuit; factumque ea de re decre„tum est, quod ipsum quoque Majestati „tuæ exhibemus. Accesserunt postea „interpretamenta quædam, quibus te„stati sumus, *neutram partem prælatam alteri velle*. Imperata hæc, donec ple„nius res cognoscatur; atque interim „Confessioni ac Catechesi salvam ma„nere, quam obtinuerat hactenus, au„thoritatem: ne quid iis adversum do„cere cuipiam liceat. In Trajectina „Provincia jam ante illud nostrum de„cretum tolerantia super prædestina„tionis

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„tionis controversia, & quæ huic ad-
„hærent, Synodi Provincialis consensu
„& Ordinum imperio sancita fuerat:
„ut ex Canonibus, hic itidem exhibi-
„tis, videre est. Nuper etiam Transi-
„sulaniæ Provinciæ Ordines pro tole-
„rantia edictum fecere, quod ipsum
„quoque transmittitur. Confidimus
„plane, a nobis vicinarumque Provin-
„ciarum Ordinibus in hoc negotio ni-
„hil factum, quod alienum sit a piorum
„Magistratuum officio, & certissima
„Sententia Ecclesiarum Reformatarum,
„ut cujus clarissimi Doctores, conve-
„nienter exactissimo Majestatis tuæ ju-
„dicio, controversias istas, quæ ver-
„santur in explicando ordine decreto-
„rum Dei, quibus gratia & gloria præ-
„parantur, aut culpæ præcognitæ præ-
„paratur supplicium: in conciliandis
„gratiæ internis actionibus, ad omne
„bonum spirituale necessariis, cum Li-
„bero humanæ voluntatis assensu: in
„componenda fiducia divini contra ten-
„tationes auxilii, quæ pios unice con-
„solatur, cum timore, & tremore, in
„quo Salutem nostram jubemur operari,
„retulerint non ad fundamentum, sed
„ad id, quod superstruitur, partim au-
„rum & argentum, partim fœnum &
„stipulas; eoque convicerint, ejusmodi
„dissensiones non obstare, quo minus
„reti-

„retineatur unitas Ecclesiæ, & Catho- Sæc. XVII.
„lica communio: *quam etiam his, qui* A. C. 1618.
„*tum circa ista tum in pluribus aliis dissi-*
dent, Augustanæ Confessionis Pastoribus
gregibusque, Ecclesiarum Reformatarum
Pastores & greges sæpissime obtulerunt.
„Quare dolemus, acerbis orationibus,
„& Libris perque coitiones rem ad a-
„pertum Schisma productam illis in
„locis, ubi nullæ ostendi possunt con-
„troversiæ, præter eas, quæ *Hagiensi*
„*collatione* tractatæ sunt.„

„Sunt, qui existimarint, hasce
„controversias nationalis Synodi deci-
„sione terminandas. Nos vero Maje-
„statem tuam, pro summa sua tum in
„rebus omnibus, tum in iis præsertim,
„quæ ad ordinandum Ecclesiæ statum
„pertinent, sapientia, expendere ora-
„mus prius, an utilis sit futura illarum
„controversiarum decisio: deinde, an
„recte per Nationalem Synodum id pos-
„sit expediri. Ad prius quod attinet,
„rogatur Majestas tua examinare, an
„credibile sit, in iis controversiis, de
„quibus manifesta est veterum Patrum
„dissensio, de quibus inter religionis in-
„stauratores conveniri non potuit, ac
„ne inter Pontificios quidem convenit,
„præstari posse a nostri Sæculi ingeniis,
„quod hactenus nulla Sæcula præstite-
„runt, ut in tantæ difficultatis argu-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„mento certum aliquid definiatur, in „quo aut omnium aut partis maximæ „animi acquiescant: an vero potius „contenti esse debeamus illis Canoni„bus, quos contra Pelagium, Semipe„lagianos, & eos, qui ex adverso erra„bant, condiderunt Africæ Episcopi in „tribus Carthaginensibus, unoque Mi„lævitano Concilio, & Galli in Syno„do Arausicana: quibus addi possunt „Sententiæ quindecim, sive Augustini „sive Prosperi, ad Capitula Gallorum; „& illæ, quas Cælestinus, Romæ Epi„scopus Galliæ Episcopis transmisit. „Accedit, quod per Hollandiam, & „Westfrisiam, aliasque non nullas Pro„vincias, ea sit multitudo aliter atque „aliter de his quæstionibus sentientium, „tum Pastorum, tum aliorum, qui aut „in plebe sunt, aut etiam in dignitati„bus constituti; ut, utramvis in par„tem definitio ceciderit, laboratura sit „aut *Ecclesiæ authoritas* aut tranquillitas „publica. Alterum quod ad Majestatis „tuæ perspicax judicium deferimus, „hoc est: an tutum satis sit, & concor„diæ omnium Ecclesiarum conveniens, „controversias, quæ omnes ferme Ec„clesias sunt pervagatæ, unius nostræ „*nationis Synodo determinari*? Scit Ma„jestas tua, cui omnis Ecclesiæ historia „est cognitissima, de unitate divinæ „essen-

„essentiæ, & personarum Trinitate, de „unica Christi persona, de duabus na- „turis; loquendi formulas, quibus de- „tegerentur hæretici, & agnosceren- „tur recte sentientes, non Nationalibus, „sed universalibus conciliis constitutas: „&, si quando Nationis unius conven- „tibus facti sunt dogmatici Canones, ut „contra Pelagium, ejusque reliquias, „eos non ante ratos esse habitos, quam „ad omnes Ecclesias missi, communis „judicii approbationem accepissent. Quo- „ties aliter actum est, ferme videmus, „non abiisse id sine dispendio Catholi- „cæ unitatis".

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„Habemus recens in Germania ex- „emplum, ubi cum Saxones Theologi „& Pastores librum confecissent, quem „concordiæ vocabant, in quo multa de „effectibus hypostaticæ unionis natura- „rum in Christo: de modo præsentiæ „Dominici corporis in Cæna: item de „his ipsis nostris controversiis, quæ ad „prædestinationem & liberum arbitrium „& amissibilitatem status justitiæ per- „tinent, definierant: placuit Reginæ „Elisabethæ, & piis Germaniæ Princi- „pibus, Francofurti Conventum insti- „tuere, in quo Legati ipsius Reginæ, „item Ecclesiarum Galliæ, Poloniæ, „Hungariæ, Bohemiæ, Helvetiorum, „& Belgicæ nostræ, communi Consilio „episto-

Sæc. XVII. A.C. 1618.

„epiſtolam ad Germaniæ Principes ſcri„pſerunt, in qua oſtendunt, recte ipſos „facturos fuiſſe, ſi conſilia ſua contuliſ„ſent cum aliis Gentibus, quæ eundem „quem ipſi, Deum invocant. Extat „Roberti Beli, Legati Reginæ Angliæ, „pia atque erudita ad Principes Augu„ſtanæ Confeſſionis oratio, in qua do„cet, ex peculiaribus definitionibus ſe„qui Eccleſiarum diſtractiones: quod „omnes tangit, ab omnibus tractari de„bere: ſi quid definiendum ſit, indi„cendum Conventum, ad quem con„vocentur omnes, qui reformatam Re„ligionem profitentur: cum credamus, „Eccleſiam Chriſti eſſe univerſalem, & „negotia eandem concernentia univer„ſalia, & non particularia eſſe opor„tere: & propter communionem, quæ „inter membra Eccleſiæ eſſe debet, non „poſſe aliquod judicium ferri in Eccle„ſiis Germaniæ, quod non ad alios „ſpectet & pertineat. Eadem ferme, „eodem tempore, monuerunt Eccleſiæ „noſtræ Belgicæ, edito eam in rem „præclaro libello. Tam piis modera„tisque conſiliis cum non auſcultarent „Doctores Saxonici, ſed paucarum Pro„vinciarum conſenſum ſubſcriptionibus „firmarent: ſecuta inde eſt illa luctuo„ſa nobis, lucroſa hoſtibus, Evangeli„carum Eccleſiarum divulſio. Neque „illud

„illud silentio prætereundum, tamdiu „apud nos decertatis hisce controver„siis, paucissimos esse Pastores, quos „non suspectos habeat partium altera: „quippe cum & singulorum & integro„rum conventuum præjudicia extent, „quæ futuri judicii auctoritatem, non „leviter infringant. Non est dubitan„dum, quin Majestati tuæ inter assiduas „pro salute Ecclesiæ curas sæpe inci„derit cogitatio convocandæ Synodi „Generalis Ecclesiarum Reformatarum.

„Hoc modo arbitramur, non Hol„landiæ tantum & West-Frisiæ, sed „& aliarum quarumdam Provinciarum „Ordines obtinere id posse, quo om„nes omni ope conniti tua Majestas hor„tatur, ut nimirum sopiantur (*) tristes illæ,

(*) Refert Philippus Limborchius *in sua Relati Hist. de Origine Controversiarum in Fœderato Belgio pag.* 8. quod de Synodo Nationali vix cogitatum, cum jam dissensio orta esset de controversiarum in doctrinæ negotio Judice; eoquod Gomaristæ, Ministrorum ad Synodum delegatorum esse, controversias peremptorio Judicio definire, censuissent, Arminiani autem id non modo delegatis sed & Delegantibus competere assererent: Insuper Arminiani contenderent, unicam, ad quam respiciendum esset, normam esse Verbum Divinum

Sæc. XVII. A.C. 1618.

„illæ, proculque dubio tum in Eccle-
„siam, tum in Rempublicam exitiosæ
„distractiones, quas controversiæ de
„prædestinatione, & ei affines attule-
„runt: Saltem donec, ut dictum jam
„est, commune aliquod extet super iis-
„dem Reformatarum Ecclesiarum ju-
„dicium (*). Ea vero dogmata, quæ
„uni-

num utpote quod omnia ad salutem necessaria plene ac perspicue continet, prout omnes Calvinistæ contra Catholicos uno ore profiterentur; Gomaristæ econtra Judices quidem Verbo Divino adstrictos voluerint, ea tamen lege, ut & ad Confessionem Ecclesiarum Belgicarum respicerent, unde Gomarus aperte dixit, se quidem Verbum Dei pro Regula primaria, Confessionem vero & Catechesin pro Regula secundaria recipere, seu ut Bogermanus dixit: Sacras literas juxta Confessionem & Catechesin esse interpretandas: hanc vero sententiam Papismum redolere pronuntiabat: Qua ergo ratione tristis hæc contentio dirimi potuit?

(*) En qualiter Arminiani præter Sacras literas admittere cogantur commune Ecclesiæ judicium, ad illud quoque Synodus Dortracensis Arminianos revocabat, eoquod Deus sit cum sua Ecclesia juxta illud, *ubi duo vel tres* &c. ridiculum sane est, quod Basnagius, ne Calvinistas ad idem Catholicorum fundamentum seu infallibilitatem Ecclesiæ recurrisse,

„universali Ecclesiarum aut Veterum „aut Reformatatum consensui repugna- „re, ex Synodis antiquis, aut ex Evan- „gelicarum Confessionum, quas inter „& nostra est, edita in hunc finem Har- „monia apparet, judicamus, nullo „modo esse ferenda aut dissimulanda: „quod & plurimis decretis testatum „fecimus, multumque dolet nobis, dum „illa tolerabilia, de quibus ante egimus, „non tolerentur, ex schismatum Licen- „tia nasci Ecclesiastici ordinis eversio- „nem: quæ deinde efficit, ut multa „minus tolerabilia irrepant. Synodum „communem fœderatarum Provincia- „rum, quam Nationalem vocant, quod „attinet, ab ea jam olim complures „Provinciæ animo fuerunt alieniore, „quia quælibet Provincia proprias le- „ges, propriaque instituta, ac proinde „perfectam intra se Rempublicam ha- „buit, cumque plures armorum Socie- „tate, & arcto fœdere inter se con- „junctæ sint; vetera tamen illa impe- „rii

Sæc. XVII. A. C. 1618.

risse, fateri cogeretur, dixerit, Christum quidem Ecclesiæ suæ promisisse, quod ei velit assistere, non autem promiserit, quod *illam ita conducere velit, ne errare possit.* O inanem, parumque tutam assistentiam Dei, & male fidum Ductorem in bivio, & periculo salutis & dubio fidei. Hist. l. c. pag. 283.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

„rii jura minime permiſcuerunt. De „religione autem cautum voluerunt no„minatim, ut Provinciæ cuique ejus „ordinandæ ſalva maneret libertas, alia„rum Provinciarum imperiis non ob„noxia &c. „

§. XLI.

Hiſtoria Dordracenſis Conciliabuli.

Dupin. Hiſt. d'Eccl. tom. 4. p. 414.

Haud ſegniores erant Gomariſtæ, qui itidem datis literis Angliæ Regem, Electorem Palatinum, Franciæ Hugonottas, Brandeburgicum Marchionem, Haſſiæ Landgravium, Helvetios, Genevenſes, Embdenſes, aliosque Calviniſtas ad ſuam Synodum, in qua tamen penes ſe & ſuos judicium de doctrina eſſe voluerunt, invitabant. Accurrerant horum omnium deputati, exceptis Franciæ Hugonottis, eoquod in Galliis anno Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo edictum fuiſſet promulgatum, vi cujus Hugonottarum Præcones ad exteras Synodos venire, necnon exteros Miniſtros ad Gallicanas ſectæ Synodos admittere inhibitum, ne ex ejusmodi conventuum obtentu ſua cum exteris commercia Regis ſaluti regnique tranquillitati adverſa proſequendi occaſionem captarent. Cum autem Gomariſtæ jam ante

hanc

hanc Synodum tam in Amſtelodamenſi, quam Hagienſi & Scheidanenſi conventiculis Arminianos a ſua communione excluſiſſent, atque in eorum condemnationem conclamaſſent, hinc in ſua indictionis epiſtola nonniſi eos a Regibus & Principibus depoſcebant Theologos, quos Arminianæ doctrinæ omnino adverſaturos noverant; cumque de Anhaltinorum Præconum integritate dubitarent, prius ſuæ fidei confeſſionem ſibi transmitti petierunt: quoniam vero hi petitionem adeo inhumanam, necnon Evangelicæ, uti inquiebant, libertati admodum contrariam reiicerent, a Synodo excludebantur. Congregatis igitur Præconum quamplurimis die decima tertia Novembris prima habebatur Seſſio, in qua non niſi plurium orationes excipiebantur. Altera die mane in Seſſione ſecunda illi, quos Provinciales Eccleſiæ deputabant, quique omnes erant Gomariſtæ, ſuas publicæ fidei literas exhibebant: Poſtulabat etiam Joſias Vosbergius, ut in Præſidem & Aſſeſſores eligerentur Doctores neutri parti adhærentes; aſt Gomariſtæ non alios niſi juratos Arminianorum hoſtes ſeligebant. In tertia Seſſione, quæ veſpere ejusdem diei habebatur, Tranſiſulani Deputati poſtulabant, ut Synodi deciſiones æque Sacris

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Limborch. Relat. Hiſt. p. 4. & ſeqq.

Sæc. XVII. A.C. 1618

cris literis ac Catechiſmis conformes eſſent, perinde acſi horum Catechiſmorum toties jam variatorum auctoritas eadem cum Dei verbo foret. Trajectenſes quoque deputati Synodo non concedebant, ut hæc controverſos quinque articulos decideret aut definiret, ſed duntaxat deſuper deliberaret, deciſionem autem relinqueret illis, qui deputatos ad Synodum ablegaſſent. Quarta autem Seſſio die decima quinta Novembris in diſcutienda agendi facultate Trajectenſibus commiſſa inſumebatur. Poſtea ſancitum, ut ex Arminianis duntaxat tredecim ad Synodum venire juberentur, eis tamen hos ſeligendi libertas non erat conceſſa, ſed nominabantur illi, quos Gomarus, ceterique Arminianorum hoſtes depoſcebant, quæ ſane vexatio, legitimæ Synodi indigna, luculentum eſt Conciliabuli indicium. Sequenti die in Seſſione quinta advenerant quatuor Arminiani ab Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinibus deputati, quos inter celebrior Simon Epiſcopius ſuis pro arbitrio Deputatos ſeligendi libertatem concedi petebat: verum Gomariſtæ non modo id eis denegabant, ſed etiam Sibrandum Lubbertum famoſum Arminianorum calumniatorem ex Friſia accerſebant: in reliquis ſex Seſſionibus egerunt de nova

Jæger. l. c.

Hiſt. de la Relig. des Eccl. ref. p. 282.

va Bibliorum verſione, ubi etiam libros, quos apocryphos dicunt, Canonicis adiiciendos eſſe cenſuerunt, vehementer reclamante Gomaro, qui cauſſabatur, quod progreſſu temporis forte pro Canonicis habendi forent. Huic vero quidam Ultrajectinus repoſuit: *vos Catecheſin Novo adjungitis Teſtamento, forte & illa ſucceſſu temporis in Canonem abibit?* cumque ex Gomariſtis non nemo Arminianos reprehenderet, quod in Concionibus ſuis ex Apocryphis textus aſſumpſerint, interrogabat idem Trajectenſis, an non æque graviter peccaretur, ſi Catecheſis publice doceretur, quoniam intelligi nequeat, cur major authoritas cateheſi, quam libris apocryphis debeatur? tum vero Gomarus tanquam Pontifex ex cathedra loquens repoſuit, idololatriam committi, cum Apocryphis tantus honor tribuitur: Hanc tamen adeo inſulſam deciſionem retudit alius dicens: ſi hoc eſſet idololatria, ergo etiam illa committitur, cum expoſitiones textui Biblico inſeruntur, ergo etiam idem dicendum erit de Catecheſi. Ad hæc obmutuit Gomarus. In Seſſione autem duodecima die vigeſimo quarto ejusdem Menſis ingenti animorum contentione non ſine Saniorum ludibrio diſceptatum eſt, an in verſione Hollandica *tu* Deus

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618. vel *ipse* Deus &c. dicendum sit. Porro in proximis Sessionibus de quibusdam disciplinæ capitibus actitatum est. Tandem ad Sessionem vigesimam secundam die sexta Decembris habitam advenerant tredecim illi Arminiani a Synodo evocati, quibus tamen illico significatum, quod non ut Synodi membra, sed duntaxat *tanquam accusati* coram suis Judicibus comparere jussi haberentur, suæ caussæ merita expofituri, re autem in deliberationem vocata a Synodo recederent: postea Episcopius pereleganti sermone de schismatis abominatione & Christianæ unionis prærogativis tam solide disserebat, ut Gomarus suam factionem ad saniora reduci veritus, Episcopium increparet, quod ab ipso dicendi veniam non petiisset, necnon orationem habuisset seditiosam, & nonnisi ad concitandum consessum compositam; nec his contentus, cum ægerrime ferret inter Synodi Judices duos numerari Arminianos a Trajectensibus deputatos, hinc, quamvis non essent Ministri, sed duntaxat Trajectenses Consiliarii in vigesima quarta Sessione illos ut Judicum officio nuntium mitterent, sollicitavit, eosque semper a Synodo abesse jussit, quoties de re Arminianorum caussam spectante ageretur: Hac igitur injuria irritati jure suo cesserunt,

runt, ac sese tredecim illis deputatis adjunxere: proin præter Gomaristas nulli alii supererant Synodi Judices: falso igitur asseruit Basnagius, *Trajectensium Deputatorum arbitrio fuisse relictum, an suorum caussam defendere, vel Judicibus accenseri, & cum iis deliberare malint.*

Sæc. XVII. A.C. 1618.

Hist. de la Relig. des Eccl. Ref. p. 282.

§. XLII.

Continuatio Dordracensis Conciliabuli.

Die decima Decembris in Sessione vigesima quinta Arminiani a Gomaristis jussi scriptum protulere, in quo demonstratum ibant, hanc Synodum non esse legitimam, eoquod Gomaristæ in propria caussa Judices, simulque essent pars adversa & Schismatis rea, necnon manifesti Arminianæ factionis hostes, proin non legitimi Judices forent: Hæc Arminianorum oppositio male habuit Gomaristas, qui de castiganda, censurisque perstringenda hac eorum temeritate per quinque Sessiones deliberarunt, Tandem Arminiani in Sessione trigesima secunda quinque suos articulos circa Prædestinationem unacum explicationibus, quas supra retulimus, producere parabant: Attamen Synodus, seu potius Gomarus intacta

Neuvill. l. c. Jæger Hist. Eccl. l. 11. c. 8.

Vid. supra Tom. LII. Lib. 184. §. 49.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

quæstione præcipua rebus ad hunc scopum minime attinentibus septem omnino Sessiones studiose insumpsit, quin Arminianis petitam, promissamque quinque articulos propugnandi libertatem concederet; unde haud immerito commoti, quadragesimæ Sessioni interesse renuerunt, quam tamen accedere vi compellebantur, eo fine, ut Synodi decretum contra eos fabricatum perciperent, ac deinceps sese sine omni tergiversatione Deputatorum Gomaristarum edictis submitterent, interminatis tam Ecclesiasticis, quam profanis pœnis. Violenta hac agendi ratione demum eversa est omnis auctoritas prætensæ hujus Synodi, quam Arminiani deinceps sine omni dubio pro illegitime convocato, & inique continuato, illicito, & monstroso Conciliabulo habebant, eo potissimum nomine, quod etiam fæminæ promiscue unacum Prædicantibus & Theologis ad illud accederent, & sex mulieres inter Judices, & egregios hujus Synodi Patres locum haberent, non sine magna populi offensione, & saniorum ludibrio. Nihilominus Gomaristæ Arminianis inhibebant, ne urbe excederent, aut pro more suo prædicarent: postea in tribus Sessionibus, an Arminiani aperta vi essent reducendi, eisque petita sese defendendi

di libertas sit concedenda vel denegan- Sæc. XVII.
da, non sine magna animorum conten- A. C. 1618.
tione agitatum, nihil tamen conclusum: tandem vero Joannes Polyander Sessionem quadragesimam quartam absolvit habita oratione prorsus insulsa, jejuna & exangui; cum vero Gomarus Synodi nomine vitioso huic oratori grates ageret, ejusque eloquentiam commendaret, ex ipsis Gomaristis nonnulli exclamabat, *En! quam blande Asinus Asinum fricat.*

Die tertia Januarii in Sessione quadragesima sexta Belgii Ordinum auctoritate omnia Synodi acta & decreta fuere confirmata, injunctumque Arminianis, ut sese illis subjicerent. Tum vero Episcopius, ejusque socii declarabant, quod quidem supremo Magistratui obedire parati essent, nullatenus tamen obstringi possent, ut agnitæ veritati resisterent, suæque conscientiæ deessent: dein quindecim omnino Sessiones nonnisi minis in Arminianos conjectis insumebantur, quin eis illimitata libertas suam sententiam defendendi, & contrariam refutandi concederetur: ceterum ex tot Sessionibus duntaxat quinquagesima quinta, etsi usque ad decimam noctis horam fuisset protracta, ceteris minus fastidiosa videbatur ob familiare colloquium & concursum fre-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

quentissimum plurimarum Nobilium fœminarum, quibus honoratior in Synodo locus cedebatur. Tandem vero Honerdus Consiliarius, ut pertinaci, quæ oriebatur, altercationi finem imponeret, subjunxit: *Promittimus vobis libertatem, quam requiritis, Petimus itaque, ut ad rem veniatis.* Ast ad hæc mox commotior reposuit Prætor Dordracenus: quid! *petimus*, dic, *mandamus.* Die autem decima septima ejusdem Mensis Gomaristæ ab Ordinibus denuo edictum impetrarunt, vi cujus Arminiani inter plurima convitia velut canes a Synodo fuere ejecti, prohibitique, ne quis eorum sine venia urbe excederet, Arminiani autem a tam iniquo cœtu ac sententia ad Christi Tribunal provocarunt. Hac igitur ratione Gomaristæ ab oppositæ partis metu liberati, pro arbitrio suo quinque articulos explicarunt, eosque ad quemcunque voluerant, sensum detorquentes, censuris perstrinxerunt, nulla amplius habita ratione ad Arminianorum scriptas explicationes rationesque: unde jam tum, uti testatur quidam Author, qui Synodo interfuit, prudentes augurabantur, quod non alius hujus Synodi eventus esset futurus, nisi Arminianorum *condemnatio*, *major populi exacerbatio*, *Ecclesiarum hic illic dissipatio*, *nova*,

Vid. Supra Lib. 184. §. 54.

Jæger. l. c.

nova, quæ in procinctu est, & quæ hanc sequi solet, regionum & Reipublicæ totalis ruina: Ita decisis Dordraci controversiis novæ inter ipsos Gomaristas altercationes, ac Arminianorum Carnificina & supplicia sequebantur, prout ad annum sequentem narrabimus. Ceterum quantumvis adulterina hæc Synodus Arminianorum dogmata in suis Canonibus damnarit, & Gomaristæ *hos pro fratribus habere renuant*, asserantque, quod ipsi cum Arminianorum sententia ante tribunal Divinum tuto consistere non auderent, imo Abraham Calovius, Arminianorum doctrinam vocet *hæresin perpetuis tenebris, ipsoque orco dignam & omni detestatiane & execratione dignissimam*, nihilominus ipsimet Gomaristæ hodiedum Lutheranos, qui eandem profitentur doctrinam, ad fidei communionem admittunt, proin in eadem purissima Ecclesia simul, veritatis & erroris conjunctionem fovent: ridicula autem est Calvinistarum responsio, qua hanc damnationem duntaxat ad Ministros, non autem ad populum spectare asserunt, perinde acsi veritas Redemptionis, Prædestinationis, gratiæ, liberi arbitrii &c. *per legitimam Synodum decisa ac revelata* alia sit pro Prædicantibus, alia & quidem opposita & diversa pro populo. Miseret me hujus Synodi,

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Collat. Hagi.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

nodi, quæ nonnisi violentiis & pœnis eo fine conscientias torquebat, ut magis impiam stabiliret sententiam, qua Deum quasdam animas ex solo suo beneplacito damnare, statuebat, proin in eum tanquam auctorem, improborum quoque ad pœnam reprobationem refundebat. Tam horrenda nempe monstra Acatholicorum Religio in ipsis suis Synodis parturire solet. Denique post factam hanc decisionem, vel Arminianorum protestatio adversus hanc Synodum, tanquam controversi dogmatis judicem, fuit legitima, vel non? si fuit, ergo Gomaristæ inique vexarunt Arminianos, atque ab eis fidei obsequium deposcebant: si fuit illegitima, igitur Ecclesiæ jus competit, exortas fidei controversias supremo judicio definire, proin aut Protestantes immerito ac nonnisi per nefas sese a Catholicorum communione separarunt, schismatisque Auctores fuere, aut facta hac separatione fateri coguntur, quod nulla in terris detur potestas, Synodus vel Ecclesia, cui suprema de fidei doctrinis judicandi, ac Religionis controversias dirimendi potestas competat. His insuper adjungere lubet animadversionem Joannis Knippenberghii, qui ponderato hujus Conciliabuli successu ita concludit: *Post varios conatus gliscenti malo*

Hist. Eccl. Ducat. Geld. l. 6. c. 7. pag. 219.

malo non poterat modus poni, Sacram Scripturam Arminius, hanc & Gomarus profert, eandem pro se stare clamat uterque: numerantur textus, coacervantur testimonia, clamatur: ast non terminatur controversia. Quid igitur? si S. Scriptura sola juxta illorum sensum sit controversiarum Judex, eccur has tam acerbas non terminat? Admiranda igitur Dei dispositione eo necessitatis redacti sunt Acatholici, ut ultra cum Catholicis fateantur, unicam Scripturam, eamque solam controversiis finiendis non sufficere: verum ut Judex vivus adsit præterea, qui juxta Dei Verbum seu scriptum, seu traditum controversias finiat adeo clare, & certe, ut litigantium uterque sententiam a Judice latam, aut pro, aut contra se liquido intelligat. Ad hanc veritatem Acatholici integro pene sæculo, docentibus Catholicis, haud valuerunt perduci: perduxit Arminii, Gomarique dissidium... (*) dum isti non a sola Scriptura, sed ab adversariis suis in hoc Conciliabulo congregatis, qui se velut Papas seu verius Antichristos exhibuerunt, damnati fuere (**).

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XLIII.

(*) In præfatione ad consideration em Arimianismi pag. 219.

(**) Hanc in rem haud absone adduci poterunt

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XLIII.

Jesuitarum Scholæ Parisiis apertæ.

Juvenc. Hist. Soc. l. 12. p. 5. n. 69. Argentre coll. jud. tom. 2. p. 110. Abrege chronol. t. 3. pag. 417. Gramond. Hist. Gall. l. 3. p. 197.

ENimvero Jesuitæ jam anno Christi millesimo sexcentesimo decimo die vigesima Augusti suas Parisiis scholas aperiendi facultatem, a Ludovico XIII. Galliarum Rege tum adhuc impubere obtinuerant, obstabat tamen vehementer non modo Universitas Parisina, sed ipse etiam sanctior Regis Senatus; nec tamen

terunt Amstelodamensis Ministri Joannis Amos Comenii verba, dum de deplorando Ecclesiæ suæ statu in sua Apologia pag. 73. §. 1605. in has prorumpit querelas: Es ist keine Schmach mehr den Antichrist unter den Evangelischen zu suchen. Und wenn man dessen Beschreibung auf die Titul und Actionen vieler applicieret, so findet man, daß es darinnen an Widerchristen, und zwar nicht nur an kleinen, sondern auch an grössern nicht ermangle. Nämlich solche, die sich in den Tempel Gottes als Halb-Götter aufführen, sich und ihre Decreten und Schriften anbethen lassen, und eine absolute Herrschaft suchen. Auch wo es ihnen abgeschlagen wird, das Unterste zu Oberst kehren. Also das ein kluger Fürst wohl und artig gesagt: Es fehle uns nicht

tamen propterea Pater Cotonus ejusque socii Regis aures fatigare cessabant, suisque importunis sollicitationibus eo rem deducebant, ut Rex hanc litem summo jure ad se, suumque Sanctius Consilium avocaret, in quo etiam sancitum, ut posthabitis Academiæ & Parlamenti oppositionibus omnes artes & scientias Parisiis quoque docendi facultas, Jesuitis daretur. Ut autem hoc decre-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

nicht an Päbsten, sondern nur an Rom. Aber was sollte das heissen, dem Antichrist gute Nacht gegeben haben, wenn man den Geist Christi von sich wegtreibt, der Sanftmuth, Bescheidenheit, Demuth, brüderlichen Liebe, und dergleichen, dadurch man nicht aufgeblasen, noch ehrgeizig wird, noch das seine suchet, noch sich erbittern läßt ꝛc. Ach! Ach! der Geist des Widerchrists hat uns nicht in allen verlassen, sondern sich gar weit ausgebreitet. So viel wir Universitäten, Doctores, Magistros, Superintendenten, Pastores haben, so viel haben wir Päbste! und was noch ärger ist, es will ein jeder auch unter dem Volk ihm selbst ein Pabst seyn, und weil keine Kirchenzucht da ist, nach seinem Gefallen leben, und niemand Rechenschaft davon geben. Wir haben leider das Ruder verlohren, darum gehet unser Schiff zu Grunde. Wir leben also, wie zu der

Sæc. XVII. A. C. 1618.

decretum Universitas executioni daret, Cardinalis Rupifucaldius unacum Rothomagensi Archiepiscopo, necnon Parisiensi, Andegavensi & Aurelianensi Episcopis in Monasterio ad Sanctum Mathurinum convenit, quo comperto die undecima Februarii Filesaccus Decani vices agens, sex Facultatis Theologicæ Doctores selegit, qui præfatis Antistitibus obviam procederent, eosque debito honoris obsequio exciperent. His igitur Aulam ingressis, suoque ordine considentibus, Cardinalis ita exorsus est: Christianissimus Rex „noster suum de Jesuitis reducendis, at„que ad Collegium Claromontanum „revo-

der Zeit, da kein König in Israel war, und ein jeder that, was ihm gut deuchte. So, daß wenn die Obrigkeit nicht steuerte, wir nicht eine Heerde Schaafe wären, sondern Bären, Tiegerthiere, Wölfe, Ottern, und Schlangen. Talem imo plusquam Pontificiam auctoritatem sibi etiam in Galliis arrogabat Moyses Amyraldus, qui Dordracensi Conciliabulo vix absoluto novam factionem, quæ Amyraldistarum secta vocatur, conflabat, dum de gratia Dei & efficacia meriti Christi (retento tamen absoluto prædestinationis decreto) novum systema contra Gomaristas ceterosque Calvinianos fabricaverat.

„revocandis decretum, per me, hosque „Deputatos vobis declarari petit, ju- „betque, quatenus Jesuitæ, uti ante- „hac, publico docendi munere funge- „rentur, prout per Cleri, & Nobilita- „tis Deputatos trium Ordinum Fran- „ciæ superioribus annis Lutetiæ Con- „gregatorum fuerat postulatum: hortor „itaque Facultatem Theologicam, ne „ejusmodi voluntati obsistat, sed eam „tanquam sibi non obfuturam amplecta- „tur.„ His perceptis Filesaccus totius Facultatis nomine postulabat, ut Cardinalis eidem Facultati desuper deliberandi spatium indulgere vellet, priusquam Regi Christianissimo responsum ferret. Reposuit tamen Cardinalis: „Rex nec consensum, nec Facultatis „deliberationem expectat, sed Jesuitas „in Academiam Regio & summo im- „perio introduci postulat, ac propterea, „ut hujus decreti sui executio sine con- „tentionibus tranquille fieret, Facul- „tatem per nos monitam vult: brevi „tamen conventus habebitur, atque ad „eum quidam ex Facultate Theologica „convocabuntur, ut ibidem querelis „Universitatis prospiciatur.„ Tum demum Filesaccus præfatos Antistites nomine totius facultatis rogabat, ut Regi Christianissimo ejus obsequentissimum animum renuntiarent, obnixe postu-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

postulans, ut justis fidelissimorum subditorum rationum momentis excipiendis circa negotium tanti ponderis aurem alteram reservare dignaretur, quatenus ipsa Regia Majestas, Academiæ & præsertim Theologicæ facultatis gravaminibus atque incommodis hac in parte prospiceret. Iis ita recedentibus, & honorifice, ut par erat reductis, Facultas inhæsit suo proposito, vi cujus die prima Februarii statuit, totis viribus Jesuitarum molitionibus, ausibusque obsistendum, totumque negotium cum Universitatis Rectore communicandum esse, eoquod id non modo solam Facultatem Theologicam, sed universam tangat Academiam: Interim die decima quinta Februarii promulgatum est Sanctioris Senatus decretum, vi cujus in universo Regno & speciatim Parisiis docendi facultas Jesuitis fuit concessa, *ea tamen lege, ut Academiæ subjaceant, nec sibi ab illa appellandi jus esse præsumant:* cum ergo huic decreto Regis auctoritate subnixo Sorbona aperte refragari haud posset, die prima Martii decernebat, quod honorum academicorum insignia candidatis non sint conferenda, nisi post exactum in Universitate triennium. Verum adeo tum prævaluit Jesuitarum potentia, ut hoc ipsum etiam Academiæ decretum a Re-

a Rege & sanctiore ejus Consilio fuerit abrogatum: *Sic Jesuitæ*, inquit Gramondus, *Gymnasium Lutetiæ habuerunt, & habent magno literarum & pietatis obventu: utinam in reliqua Gallia pauciora forent Collegia. Sint illis domus, sint sacræ ædes & patrimonia, quot & quanta voluerint, & meruere. E re Christiana est tanti augmentum Ordinis; ast non item e re Litteraria, non e politica, propagari in immensum scholas, quales in hanc diem Gallia patitur, & luget. Quis invideat augmenta rerum viris optime meritis? nemo certe bonus: Zelum animarum exerant, quod sibi præcipuum habent in munere: utilius sane nobis, sibi gloriosius, si paucioribus locis docerent. Scholarum effræni numero pessum ire veteres Academias palam est: dum sua sunt cuilibet pago Collegia, Societati quamvis fœcundissimæ vix suppetunt in singula magistri. Docet nos experientia sæculi, sub quo vivimus, pauciores esse eruditos, quo plura Collegia sunt. Triginta jam anni volvuntur, ex quo Gymnasiis obruimur, ubi amabo augmenta litterarum? ubi probati Autores per hæc tempora? si qui meruere in re litteraria nomen, supra ætatem nostram sunt, apud veteres magistros instituti, aut in majoribus Gymnasiis.* Ceterum sub idem ferme tempus Jesuitarum directioni commissa est Molshei-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618. mensis Universitas, quam hoc anno Leopoldus Austriæ Archidux ibidem erexerat.

§. XLIV.

Disciplina Monastica in variis Franciæ Asceteriis restituta.

Abrege chron. t. 3. pag. 417. Eckard Bibl. Script. Ord. Præd. tom. 2.

Majore applausu ac successu Occitana Congregatio Fratrum Prædicatorum, qui instituti sui leges ad unguem observandas profitebantur, stabilita est ductore Sebastiano Michaelis natione Gallo & professione Dominicano. Hic regularis disciplinæ ubique asserendæ studiosissimus, jam anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Cænobium Claromontanum in Lutevis secernendum obtinuit pro iis, qui ad veterem disciplinam erudiri petebant: tertio autem post anno eandem vitæ normam ad Tolosanum monasterium tam felici progressu extendit, ut intra unius anni spatium coloniam ex arctioris disciplinæ cultoribus ad Albiensem, & Bitericensem conventus Reformationi adjunctos emitteret. Tandem vero Henrici IV. patrocinio, & Clementis VIII. auctoritate obtinuit Sebastianus, ut ex restauratis conventibus Occitana Congregatio, quæ a Provincialibus non dependeret, erigeretur, anno autem

tem Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio ex munificentia Petri Gondii Cardinalis & Pariſienſis Epiſcopi cœnobium SS. Annuntiationis in via S. Honorati Pariſiis erexit, in quo etiam Prioris munere functus die quinta Maij hoc anno pie deceſſit. Ceterum præfata hæc Congregatio poſtmodum in duas Provincias, Toloſanam, illamque Sancti Ludovici diviſa fuit. Hoc item anno Ludovicus XIII. Franciæ Rex Congregationem Benedictinorum Sancti Mauri Regio diplomate confirmavit. Pariter Paulus V. Pontifex Maximus Monialium Viſitationis B. V. Mariæ Congregationem, quam directore Sancto Franciſco Saleſio Sancta Joanna Franciſca Fremiot a Chantal Annecii ante paucos annos erexerat, Sacri Ordinis prærogativa ac privilegiis decorabat. Sub idem quoque tempus Pariſiis celebre Seminarium Sancti Maglorii erectum eſt. Magis tamen arduum opus aggreſſa eſt Angelica Abbatiſſa Ciſtercienſis, quæ hoc anno Malbuiſſonenſem Abbatiam ad veterem diſciplinam revocatura graviſſimas perpeſſa eſt vexationes; vix enim pio huic operi manum appoſuerat, cum Eſtræa Abbatiſſa, famoſæ Gabrielinæ Eſtreæ Soror, ex monaſterio, cui ob morum licentiam incluſa fuerat, auffugiens una-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Vid. Supra Lib. 185. §. 41. *p.* 121. *tom.* 53.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

unacum pluribus diſſolutæ vitæ Nobilibus hunc conventum ſibi vendicaret, opitulantibus eidem quadam Sanctimoniali, & Abbatiſſæ Confeſſario: Mox igitur Angelica unacum ſuis ex hoc Monaſterio vi expellitur, Pontiſaram ſecedere compulſa, ubi tamen haud diu permanſit; poſtquam enim Ciſtercienſium Abbas Pariſienſis Senatus opem implorabat, mox urbis Prætori datum eſt negotium, ut Eſtream, Confeſſarium, & præfatam Monialem comprehenderet: his autem tempeſtiva fuga ſibi conſulentibus Angelica ſine ulla contradictione Abbatiæ reformationem complevit, ac poſtea ad plures alios Conventus extendit.

§. XLV.

Principum, atque illuſtrium Virorum fata.

Merc. Galloh. l.3.t.12. Khevenh. annal. Ferd.

Inter tot calamitates, quibus Auſtriaca Domus ob rebellium ſubditorum tumultus jactabatur, haud infima amaritudinis cauſſa exſtitit obitus Maximiliani Auſtriæ Archiducis, qui Magnus Ordinis Equitum Teutonicorum Magiſter ac Mathiæ Cæſaris frater, cum paucos admodum dies ægrotaret, Viennæ hoc anno die ſecunda Novembris ſexagenarius obiit: Hujus Principis utpote

pote pacis ſtudioſiſſimi mors non modo Catholicis ſed & Proteſtantibus admodum luctuoſa exſtitit: quæ etiam Annam Cæſareæ Majeſtatis Conjugem tam intimi doloris ſenſu oppreſſit, ut & ipſa die decima quarta Decembris itidem Viennæ decederet. Venetiis quoque Nicolaus Donatus, poſtquam vix uno menſe Rempublicam adminiſtraverat, octogenario major deceſſit. Hujus autem obitum præceſſerat Philippus Guilielmus Arauſionenſis Princeps, qui Sacris ritu Catholico munitus Bruxellis die vigeſima Februarii mortalitatem exuit, annos natus ſexaginta quatuor. Hic Religionem Orthodoxam, quam in præſato Principatu reſtituerat, Mauritio Fratri ſuo ac hæredi tabulis teſtamenti plurimum commendabat. Menſe autem Decembri Theodoricus de Fürſtenberg Padebornenſis in Weſtphalia Epiſcopus, poſtquam hæreticos ex ſua Eccleſia penitus eliminaverat, meritis plenus deceſſit, ſubrogato eidem Ferdinando Colonienſi Archiepiſcopo & Bavariæ Duce.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XLVI.

Duo Cardinales a Paulo V. creati.

Hoc item anno Paulus V. Pontifex Maximus die vigeſima ſexta Martii duos *Ciacon. in vita Paul. V.*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

duos Presbyteris Cardinalibus in monte Quirinali adscripsit, quorum primus erat Henricus Gondius Episcopus Parisiensis, qui vulgo Cardinalis de Retz seu Radesianus dictus a Ludovico XIII. Galliarum Rege proponebatur, nullum tamen Ecclesiæ titulum obtinebat, eo quod nunquam Romanam urbem accessisset. Cum autem eo tempore jamjam invaluisset mos, ut Pontificiæ gratiæ Gallo & Hispano Regibus æqua lance distribuerentur, adeo, ut Gallo ad Purpuram evecto, pariter natione Hispanus ad Regis preces eandem consequeretur dignitatem, hinc etiam eadem die Franciscus Roias de Sandoval, Lermæ Dux, proponente Philippo III. Hispaniarum Rege Purpuratorum Collegio adscriptus est. Hic olim rerum Hispaniarum arbiter sensim æmulorum invidia Regis gratia excidit, illorumque vexationes declinaturus Purpuram sponte a Papa oblatam, uti censet Vassorius, acceptavit, seu verius petitam obtinuit, moxque Filio suo Uzedæ Duci cuncta Aulæ officia, quibus antea fungebatur, cessit, ac demum die decima Maij rubrum galerum sibi a Cajetano, qui summo Pontifici a cubiculis erat, delatum septuagenario major accepit.

Gramond. l. 2. Hist. Gall. Vassor tom. 3. l. 12. pag. 162. Khevenh. t. 9. pag. 263.

§. XLVII

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. XLVII.

Pauli Æmilii Sfondrati Cardinalis obitus.

Horum inaugurationi locum dedit quatuor Cardinalium deceſſus, ex quibus prior Paulus Æmilius Sfondratus patria Mediolanenſis die decima quarta Februarii Tibure e vivis exceſſit. Hic anno Salutis noſtræ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo clariſſimo genere natus, virtutum exercitia cum eruditionis laude mirifice conjunxit, atque utriusque jurisprudentiæ ſcientia imbutus, Abbas & Sacerdos, a Gregorio XIV. Patruo ſuo abſens, anno ætatis ſuæ primo ſupra trigeſimum Cardinalis tit. S. Cæciliæ nominatus eſt, tanta apud eundem Pontificem auctoritate prævalens, ut præcipua Eccleſiæ munia obeuns, omnem ferme Pontificii imperii molem ſuſtinuerit, quin tamen ex tot Sacerdotiis, aliisque proventibus diteſceret, ſed fictilibus duntaxat patinis in menſa uteretur, non alio ex fine, niſi ut omnes divitias in egenos, & Dei cultum profundere poſſet: Præprimis vero Eccleſiam Sanctæ Cæciliæ, cujus Sacrum Corpus ipſe effoſſa humo invenerat, vetuſtate collapſam reparabat, & picturis, ſtatuis,

Ciacon. in vita Greg. XIV. p. 224. Silos in Hiſt. Cler. Reg. Attichy in hiſt. Card.

Sæc. XVII. A. C. 1618

candelabris, & argenteis lampadibus exornabat: quatuor quoque Capellanos, Clericosque binos victu & congruo reditu assignato instituit, arcamque argenteam, in qua præfatæ Sanctæ corpus reconditum fuit, pretio quater millium trecentorum nonaginta trium aureorum confici jussit: Sanctimoniales insuper magnis auxit beneficiis, Lauretanam quoque domum pretiosis donis locupletavit, ac denique Sanctam Cæciliam, cujus Ecclesiæ Sanctorum Reliquias quamplures argenteis aureisque thecis inclusas dono dederat, hæredem dixit, legata etiam potissima Sacræ suppellectilis parte: Albanensis quoque Ecclesiæ, cui Episcopus præerat, universos reditus, ceteramque pecuniarum summam ex reliquis Sacerdotiorum proventibus in illius gregis beneficium commodumque erogavit: Nec tamen sibi suæque saluti minus prospexerat; quippe rerum cælestium meditatione, & consuetudine Virorum morum sanctitate illustrium præcipue Julii Sansedonii, & Joannis Vitellii delectabatur; sæpe nudis cubabat asseribus, pedesque sacco indutus, & vultu, ne agnosceretur, obtecto septem Urbis Ecclesias religiose lustrabat, & non raro, ut animum virtutum exercitiis, & orationis usu recrearet, in

Thea-

Theatinorum Patrum Cænobium ſeſe recepit, ubi dies plures in rerum Divinarum commentationibus, Sacroque quodam otio tranſigebat. Tandem vero quinquaginta ſeptem annos natus pie in Domino obiit: Corpus ejus Romam translatum ad S. Cæciliæ pedes in ſepulcro, quod ſibi conſtruxerat, humatum quieſcit.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. XLVIII.

Erminii de Valentibus Cardinalis deceſſus.

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno deceſſerant, erat Erminius de Valentibus Trivii in Umbria natus. Hic rara ingenii ac memoriæ felicitate præditus, non modo humanioribus literis, ſed & legibus tanto profectu ſtuduit, ut jurisprudentiæ laurea decoratus, Romæ per plures annos Cauſſidicum ageret, atque a Petro Aldobrandino Clementis VIII. Nepote a ſecretis, tandem Baſilicæ Vaticanæ Canonicus eligeretur, poſtea Cardinalis renuntiatus: Erat vir morum comitate ſingularis, officioſus erga omnes, & maximopere liberalis in egenos. Mortuo paulopoſt Clemente VIII. pauper Cardinalis remanſit, cum nullus ei eſſet Eccleſiaſticus proventus, donec a Paulo V. S. Per-

Ughell. in Ital. Sacra. Ciacon. in vita Clem. VIII.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

petuæ Abbas, & Episcopus Faventinus nominaretur, ubi per tredecim annos, quibus hanc Ecclesiam texit, nihil omisit, quod pium, optimumque Pastorem deceret. Construxerat etiam ibidem Sacellum Divo Carolo Borromæo Sacrum, simulque in Ecclesiam Sancti Thomæ induxit Carmelitas Discalceatos. Denique Trivii in patria sua, quo recuperandæ valetudinis gratia se contulerat, die vigesima secunda Augusti anno ætatis suæ quinquagesimo quarto obiit, ibidem apud S. Mariam Gratiarum sepultus.

§. XLIX.

Jacobus Daves du Perron Cardinalis fatis functus.

Abrege de l'Hist. Eccles. Tom. 10. Gramond. Hist. Gall. Lib. 3. Ciacon. vit. Clem. VIII. Miræus script. Sæcul. XVII.

Maximum sui desiderium reliquerat Jacobus Daves du Perron ex nobili Normaniæ familia ortus, qui anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto die vigesima quinta Novembris Bernæ, quo ejus Parentes Calviniana hæresi infecti profugere cogebantur, primam lucem aspexit. Primam ab infantia ætatem literarum studio applicabat, tanta memoriæ felicitate, mentisque acumine præditus, ut omnium scientiarum imperio natus duodecimo ætatis suæ anno in latino

Græco-

Græcoque idiomate necnon in Poesi, eloquentia, Mathesi ac Philosophia tam uberes fecerit profectus, ut ad literarium certamen quoscunque palam provocaret. Reddita Calvinistis pace ejus Parentes in Normaniam reversi, Juvenem Perronium vicennem Henrico III. Galliarum Regi in Blessensibus comitiis sistunt, quibus absolutis Perronius Lutetiam profectus, die vigesima quinta Novembris, anno salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo tertio prandente Rege, cujus animo sese insinuaverat, adversus Atheos solidissimis rationibus Dei existentiam comprobabat; Rege autem hujus sermonis efficaciam depræedicante, Perronius juvenili ardore incensus reposuit: *Si crastina die Regia sua Majestas me perorantem excipere dignabitur, validioribus adhuc argumentis, Deum non existere demonstrabo.* Imprudens hæc jactantia sibi justam Henrici indignationem accersebat: Adultior vero factus totum se Sanctorum Patrum, & præcipue D. Augustini & Thomæ Aquinatis lectioni sacrabat, eorumque doctrinis sectæ suæ falsitatem, erroresque tam solide confutatos deprehendit, ut ad Catholicorum castra reversus, ex eodem suggestu, e quo contra Orthodoxam fidem antea peroraverat, dein pro illius defensione publice

Sæc. XVII. A. C 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Vid. ſpond. epiſt. ad epit. Annal. Baron. edit. prima.

lice loqueretur, pluresque aberrantes oviculas ad Chriſti ovile reduceret, ex quibus haud poſtremi erant Sancyus, & Henricus Spondanus, poſtea Apamienſis Epiſcopus: Demum ſacræ militiæ adſcriptus, Henricum IV. Calviniſtam ad fidem Catholicam revocavit, a quo etiam Ebroicenſi Epiſcopatu, necnon Eleemoſynarii dignitate decoratus, unacum Arnaldo Oſſato Cardinale Romam ablegatur, ut Clementem VIII. ad impertiendam Regi abſolutionem inclinaret, qua feliciter obtenta non modo Romæ a Franciſco Joyoſa Cardinale inaugurabatur, ſed ab ipſo etiam Pontifice annulum Paſtoralem accipiens, his verbis commendabatur: *Inveni virum ſecundum cor meum.* Inde Pariſios reverſus, Henricum Regem in fide quodammodo nutantem firmabat glorioſa diſputatione contra Pleſſeo-Mornæum tum Calviniſtarum caput ad Fontembellaquæum habita, in qua illum de ſexcentis Divi Auguſtini locis ob eo vitiatis confudit, pluriumque mendaciorum convicit, ac demum arcte preſſum interrogabat, *an Catholicis deſperata eſſet ſalus?* Calviniſta reponebat, *quod ex Dei miſericordia ſalvi eſſe poſſent*, mox autem negante Perronio, *extra Eccleſiam Romanam fore ſalutem*, recte concluſit Rex: *quandoquidem concordes pro ſalute*

ſalute Catholicorum utriusque opinionis Doctores ſunt, tutius erit Catholicum eſſe. Hujus victoriæ præmium Perronio erat Sacri Collegii Purpura; paulopoſt Senonum Archiepiſcopus Romam a Rege ablegatus Congregationibus de auxiliis interfuit, ſummoque Pontifici auctor exſtitit, ne Molinæ ſententia damnaretur, ſed tota diſputatio ſilentio involveretur: demum in Franciam reverſus, Regis opera Venetorum controverſiam ob interdictum exortam compoſuit, utiliterque Gallici Regni res Romæ geſſit, non modo inter profundiſſimos Theologiæ Doctores, ſed & ſimul inter Chriſtianos primæ notæ Politicos, quod rarum eſt, merito numeratus. Demum adverſa valetudine preſſus, in Franciam rediit, ubi anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo decimo Ludovico XIII. perſuaſit, ut regale Gymnaſium inſtitueretur: biennio poſt Richerii librum *de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate* in Synodo ſuæ Provinciæ Senonenſis Pariſiis congregata tanquam erroneum, ſchiſmaticum & hæreticum condemnabat, tertio autem poſt anno in comitiis Regni Lutetiæ habitis nomine Cleri Gallicani, orationem luculentiſſimam, juxta ac doctiſſimam de re Eccleſiaſtica habuit, in qua Regiam aſſerens Majeſtatem

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

tem, auctoritatemque, nihil etiam juri Ecclesiastico detrahebat. Denique ut quietius literis invigilaret, prope Lutetiam Bagnoleti vico suburbano concessit, ubi cum ad Angliæ Regem responsum concinnaret, in morbum incidit, quo acerbissimo per quatuordecim dies cruciatus, Parisiis die quinta Septembris anno ætatis suæ sexagesimo tertio obiit. Fuit sane Perronius eximiis animi corporisque prærogativis ornatus, elegantis ingenii & peracuti, firmissimi judicii, indefessi studii, & vastissimæ eruditionis, miræque ad convincendos sectarios potentiæ, adeo, ut cum de his a devio tramite revocandis ageretur, id dicto usurparet: *Hos si convinci cupitis, ad me perducite; at conversos si avetis, dirigite ad Franciscum de Sales Genevensem Episcopum.* Enimvero quamplurimis & publicis disputationibus & colloquiis tum Parisiis tum Medunti tum ad Sangermanum habitis semper victor hæreses debellavit, hæreticosque gloriose confudit. Ceterum Perronio in Eleemosinarii dignitate ad votum Patris Arnulphi Jesuitæ, qui Regia confessionibus erat, successit Rupifucaldius Cardinalis.

§. I.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. L.

Celeberrimi hujus Cardinalis opera.

Nunquam dignius commendari valet hic Cardinalis, quam recenſendo digniſſima tanto Authore opera, quæ tum typis vivens mandavit, tum poſthuma reliquit, *tot vere miraculorum patrator, quot voluminum Scriptor* Perronius, cujus poſt obitum omnia ejusdem Authoris opera in tres majoris formæ tomos collecta Pariſiis anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo, & biennio poſt iterum typis fuere edita: Horum tomus prior complectitur vaſtiſſimum tractatum de Euchariſtia & tranſubſtantiatione contra Pleſſium Mornæum Calviniſtam, ubi hoc argumentum ſolidiſſime pertractans, hæreticorum, præcipue illorum, qui in ſui erroris defenſionem Sancti Auguſtini teſtimonia allegant, objectis reſpondet. Alter tomus continet reſponſionem ad difficultates propoſitas a Jacobo I. Angliæ Rege, quem Perronius tanquam Principem omnibus numeris abſolutum commendabat, nilque præter *Catholici* prærogativam eidem deeſſe aſſerebat; cum ergo Rex ſe hoc titulo haud privandum cenſeret, eoquod cuncta ad ſalutem neceſſaria juxta veterum morem

Dupin. nouvell. Bibl. des Auth. Eccles. t. 17. Abrege de l'Hiſt. Eccl. pag. 317.

Epiſt. Perron. ad Caſaub. die 15. Jul. ann. 1611.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

rem crederet, hinc Perronius datis ad Casaubonum literis declarabat, quod nomen *Catholici* non cujuscunque fidei, sed communionis signum sit, & præter necessaria etiam utilia ad salutem, & *generaliter* omnia per Ecclesiam saltem primorum quatuor Conciliorum tempore definita & tradita credere oporteat, ad hoc tamen, ut Patres circa quemdam fidei articulum unanime suffragium tulisse dicantur, haud necesse sit, ut singuli eundem stabiliant, sed sufficiat, quod ex cujusque Nationis præcipuis nullus contrarium propugnarit, sed illum articulum tanquam communem Ecclesiæ doctrinam teneat. Ex his inferebat Perronius, quod Sectarii non credant ea, quæ omnes antiqui Patres universim & unanimiter tenuerunt, & tanquam necessaria crediderunt: Ad has Peronii literas Casaubonus Jacobi Regis nomine respondit Cardinali, qui tamen per sex libros solidissime diluendo cuncta, quæ calamo satis infirmo objecerat hic Calvinista, huic denuo obtrudit, quod Sancti Patres per Ecclesiam non intellexerint cætum omnium sectarum, & Christianarum Societatum, sed Societatem distinctam, semper visibilem, & ceteris omnibus eminentem, quæ ab Apostolorum ævo nunquam nec in fide, nec in communione

nione, aut visibilitate sua fuit interrup- Sæc. XVII.
ta. Quoniam vero Rex per Casaubo- A. C. 1618.
num loquens, Ecclesiam Romanam a veteri dissensisse reposuit, eoquod illa nunc I. in Ecclesiæ Officio idiomate incognito utatur, & Sacræ Scripturæ lectionem prohibeat II. non permittat usum Calicis III. Missæ privatæ in ea celebrentur. & IV. Imagines Sanctorum colantur. Ad primum respondit Perronius: quod etiam Ecclesia Græca non in linqua vulgari, Synagogæ in idiomate hebraico Judæis incognito, Turcæ & Persæ in linqua Arabica a vulgo non cognita suas preces fundere soleant: Ecclesia autem Romana non novum introduxerit morem sed antiquum idioma Christianis primis usitatum conservarit. Demonstrat insuper Perronius, quod Ecclesia Sacri Codicis lectionem Catholicis cum Parochorum licentia concedat, rudes tamen, ne interpretandi licentia pervertantur, ad explicationem a Pastoribus propositam remittat. Ad secundum respondet, quod immersio in Baptismate in Sacris literis indicetur, ab Apostolis fuerit observata, & in veteri Ecclesia in usum deducta, æque ac communio sub utraque specie, nihilominus tamen Ecclesia usum sic Baptizandi intermiserit, & ipsimet Calvini-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

ſtæ intermittant. Reliquis duabus objectionibus Perronius morte præventus, ſpeciatim non reſpondit, quamvis de hiſce argumentis in pluribus ſuis operibus abunde egerit. Tertius denique tomus complectitur varia ejusdem Cardinalis opera, & primo quidem tractatum de vocatione Calvinianorum Miniſtrorum, ubi veram doctrinam non eſſe neceſſarium vocationis veræ ſignum, ſed hanc ab interrupta Miniſtrorum ſucceſſione ab Apoſtolis in Eccleſia viſibili dependere demonſtrat. Ibidem etiam continentur acta colloquii contra Mornæum habiti, præter reſponſum ad articulos in proximo colloquio diſcutiendos, necnon confutationem opuſculi Danielis Tilleni Calviniſtæ in traditiones Apoſtolicas. In eodem quoque tomo continentur. I. Paraphraſis in primum verſum Pſalmi 122. II. ſermo de virtutum moralium cum Theologicis collatione III. Oratio in comitiis habita, necnon ſermones funebres in exequiis Mariæ Stuartæ Scotiæ Reginæ, & Petri Ronsardi celebris Poetæ, IV. tres alii ſermones. V. Variæ epiſtolæ VI. tractatus de virtutibus moralibus, VII. Ettica Ariſtotelis VIII. tractatus de Euchariſtia pro converſione Domini Sancii, præter varia Poemata.

§. LI.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. LI.

Octavii Belmusti Cardinalis mors.

Postremus inter Purpuratos hoc anno defunctos erat Octavius Belmustus patria Genuensis, qui a Gregorio XIV. Aleriacensis Episcopus creatus, decimo septimo post anno hujus Ecclesiæ regimine ultro abibat, postea gravissimis Aulæ Romanæ negotiis præfectus, Provinciæ Romandiolæ Vice-Legationem gessit. Inde vero reversus sacræ consultæ præficiebatur, tandem sub Paulo V. ob eximias virtutes & ampla merita ad Cardinalium dignitatem evectus, intempestiva lege fati paulo post Romæ die decima sexta Novembris e vivis ereptus est, in Ecclesia tituli sui ad S. Carolum ad Catinarios sepultus.

Ughell. Ital. Sacr. Ciacon. in vita Paul. V.

§. LII.

Decreta Synodi Diæcesanæ Leodiensis.

Hoc item anno Ferdinandus Bavariæ Dux atque Archiepiscopus & Elector Coloniensis, Leodii, cujus Ecclesiæ simul etiam Episcopus erat, Synodum Diæcesanam die vigesima quarta Aprilis celebrabat, cujus decreta ad sequentes quatuordecim articulos revo-

Shanat Concil. Germ. t. 4. p. 286.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

cata fuere I. de fidei professione, eamque concernentibus, quam etiam ab omnibus Monasteriorum Lectoribus necnon ab alienigenis, priusquam ad habitandum in præfata Diæcesi admittantur, emitti præcepit Synodus II. de Archidiaconis, quos obstringit Synodus, ut Pastores, antequam ad Ecclesiæ suæ possessionem admittantur, ad juramentum compellant, quod in adeptione sui beneficii nullam Simoniam commiserint. III. De Decanis ruralibus IV. de Pastoribus, quibus præcipitur, ut diebus festis & Dominicis Catechesin pro pueris & rudioribus per horam unam habeant, nec permittant, ut pauperes in Ecclesiis mendicent. V. De Judicibus Apostolicis. VI. De vita & honestate Clericorum, quos, ni habitum & tonsuram clericalem deferant, privilegio fori privatos, declarat Synodus, prohibetque, ne Procuratoris vel Notarii munere in tribunali jurisdictionis contentiosæ fungantur. VII. De regularibus & Monialibus, circa quas damnat consuetudinem, qua in quibusdam Monasteriis certa pecunia singulis Religiosis pro vestimentis assignatur, aut pecuniam penes se ullam retinendi facultas conceditur. VIII. De Sacramento Ordinis IX. De Matrimonio, ad quod eos admitti prohibet

bet Synodus, qui orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum ignorant, aut confirmati nondum fuere, vel ſi contrahentium alteruter hæreſi infectus eſt, niſi prius hæreſin ejuraverit. X. De locis Sacris & Officiis Divinis. XI. De feſtis & Jejuniis, ubi inter feſta inviolabiliter ſervanda numerantur etiam feria ſecunda & tertia poſt Paſcha & Pentecoſten, Converſio S. Pauli, Inventio S. Crucis, Annuntiatio, Viſitatio, Aſſumptio, Nativitas & Conceptio B. V. necnon feſtum SS. Innocentium: feſta autem feriæ quartæ poſt Paſcha & Pentecoſten, necnon S. Annæ & S. Catharinæ devotioni populi relinquuntur. Hortatur etiam Synodus, ut abſtinentia a carnibus & lacticiniis tempore Jejunii verni quinque *Pater* & *Ave* quovis die recitandis compenſetur. XII. De Proviſione Eccleſiarum Parochialium, & Examinatoribus Synodalibus. XIII. De Viſitationibus, quas ab Ordinum Exemptorum Superioribus, etſi in eorum monaſteriis Regularis vigeat obſervantia, quotannis fieri præcipit. Denique XIV. mandat Synodus, ut Decani & Paſtores ſibi intra bimeſtre de hiſce Decretis provideant.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. LIII.

Pristinum fœdus inter Franciæ Regem & Turcarum Imperatorem.

Gramond. l. 3. Jæger. Hist. Eccl. l. 8. c. 5. Merc. Gallic. Jans.

Exeunte Mense Majo Osmanes Turcarum Imperator Constantinopoli Vreyum Legatum ad Franciæ Regem decernebat, ut hic antiquum cum Turca Christiani nominis jurato hoste fœdus restauraret. Res feliciter ad exitum deducta: id tamen summopere pluribus displicuit Principibus, quos inter Hispani apertius suam prodebant indignationem, sparsis in vulgus variis libellis, in quibus immotum Religionis studium, quo Hispaniarum Reges semper ferebantur, deprædicantes, bella & clades Turcis a Carolo V. Philippo II. illatas, Melitam firmum fidei munimentum contra Ottomanos, necnon Granatam Sarracenis ereptam jactitabant, econtra vero Gallis exprobrabant, quod & eorum Reges fœdera cum Turcis inierint, hæreticosque æquo jure cum Catholicis in Regno patiantur, illis officia fori & militiæ, nullo delectu habito promiscue distribuant, hæreticis decimas, sacrosque proventus relinquant, ac denique cum Germaniæ Protestantibus communem habeant caussam. Vicissim vero Galli in quodam scripto

Sæc. XVII. A. C. 1618.

ſcripto Hiſpanis, Auſtriacisque objectarunt, quod pacta cum Turcis aut cum hæreticis inierint, quoties e re viſum fuit, necnon cum illis quandoque ad opprimendos Principes Catholicos, ſummosque Pontifices conſpirarint, & Carolus V. cum Henrico VIII. Anglo Rege fidei deſertore fœdus pepigerit, cum tamen vix ſparſa hæreſis ſemina in primo ortu ſuffocari potuiſſent, niſi apud Imperatorem odium in Gallos prævaluiſſet, quos icto cum Anglis fœdere armis infeſtabat, Romamque devaſtabat, ipſumque Pontificem Clementem VII. Lutheranorum ope in arce Sancti Angeli obſidebat, necnon tempore Concilii Tridentini vulgato per Germaniam libro *interim* Sacerdotibus matrimonia, & laicis communionem ſub duplici ſpecie aſſerere nitebatur. Præterea Ferdinandus non modo a Turcis pacem petierit, ſed etiam munera & annua tributa obtulerit. Mutuis hiſce criminationibus otioſi ingenii homines pro privato ſuæ gentis ſtudio calamos acuebant, non alio laboris proventu, niſi quod ſuam in arcanis Principum conſiliis inſcitiam, propriamque cenſurandi temeritatem luculenter prodiderint. Quicquid vero horum ſit, id omnino certum eſt, quod Franciſcus I. Galliarum Rex in poſtremo vitæ agone ſum-

Sæc. XVII. A.C. 1618.

me deteſtatus fuerit, quod cum Turca fœdus contra Chriſtianos pepigerit, & Solymanum adverſus Hungariam animarit.

§. LIV.

Propoſitum de nuptiis inter Angliæ Principem & Hiſpani Regis Filiam conciliandis.

Rapin Hiſt. d'Angl. l. 18. Annal. Jacob. I. p. 36. & ſeqq. Ferreir. Hiſt. Hiſp. c. 2.

Sub idem tempus in Anglia agebatur de conciliandis nuptiis inter Mariam Philippi III. Hiſpani Regis Filiam, & Walliæ Principem Jacobi I. Filium: Hanc in rem Angliæ Rex Roſſium in Hiſpaniam ablegabat, ut cum Digbyo Anglo Oratore & Lerma Duce Hiſpano Miniſtro hoc negotium maturaret. Obſtabant Proteſtantes, qui Angliæ Regem a priſtino cum ipſis fœdere nova cum Catholico Rege affinitate averti verebantur: E contrario autem Jacobus I. ex hoc connubio ampliores ſibi ſpes pollicitus, rem toto ſtudio urgebat apud Philippum III. Mariæ Parentem, cui hoc conſilium eo optatius videbatur, quo certius ſperabat, quod Religionem Catholicam in Anglia promovere, ſimulque Jacobum ab armorum ſocietate cum Germaniæ Proteſtantibus hac via retrahere poſſet. Huic etiam negotio proficuam impendebat ope-

operam Gondemarus Comes in aula Anglica Hiſpaniæ Orator, Regi in paucis charus, qui ea, qua pollebat, rerum gerendarum dexteritate Jacobum eo inclinabat, ut promiſſa dote (*) de ceteris ageret articulis, quos inter minus expeditus erat Catholicæ Religionis profitendæ libertas, quam novæ Sponſæ, utpote a Parentibus fidei veræ addictiſſimis natæ abnegare, indecens fuiſſet. Tandem vero annuente Anglo Rege inter Gondemarum Hiſpanum & Digbyum ac Cottingtonum Jacobi I. Legatos in hoſce quinque articulos conventum eſt. I. Summi Pontificis conſenſus, legisque gratia præprimis, & quidem a ſolo Hiſpaniarum Rege impetretur. II. Proles ex hoc connubio ſuſcipiendæ ad neutram compellantur Religionem, ſique Catholicam ſelegerint, id nullatenus ſucceſſionis juri obſtaret. III. Sponſæ adjudicentur famuli Religione Catholici, ſimulque eisdem locus ad Sacra ritu Romano peragenda congruus permittatur, licitumque ſit Religioſis, ceterisque Eccleſiaſticis pro more ſuos deferre habitus. IV. Prius juxta Concilii Triden-

Sæc. XVII. Sæc. 1618.

(*) Duas, ut vocant, milliones Hiſpanus offerebat, quodnam vero monetæ genus fuerit promiſſum, nullibi reperire potuimus.

Sæc. XVII. A.C. 1618.

tini præſcriptum nuptiæ in Hiſpania celebrentur, poſtea vero, Sponſa in Angliam delata, connubium juxta Regni Anglici leges ratum, validumque habebit. V. Integrum ſit Sponſæ, ſibi ſeligere Confeſſarium, ac competentem Sacellanorum numerum, qui omnes ſint exteri, & ex quibus præcipuo Regiæ Sponſæ domum in rebus Religionem concernentibus dirigendi facultas ſit conceſſa. Hos articulos ex Hiſpania in Angliam transmiſſos Jacobus Rex ratos habuit, ſuoque ſigillo firmavit, atque ita utrinque munitos Gondemarus Comes ad Philippum Hiſpaniæ Regem ipſus detulit. Re comperta Proteſtantes in publicas erumpebant indignationes & querimonias, tripudiantibus e contrario Catholicis, qui oppreſſæ ſuæ Religionis firmum ſibi in nova Sponſa præſidium haud immerito pollicebantur.

§. LV.

Paſchalis Baylon Franciſcanus Beatorum faſtis a Paulo V. adſcriptus.

Bullar. magn. Conſt. III. Paul. V. Menolog. S. Franc. ad 17. Maij.

Inter ceteras curas, quibus Paulus V. Pontifex Maximus Dei, atque Eccleſiæ honorem promovere ſatagebat, haud infima erat ſollicitudo, qua in Paſchalis

ſchalis Baylon ex Diſcalceatis Ordinis Minorum Regularis obſervantiæ virtutes & prodigia inquiri curabat: Erat is Anno poſt Virginis partum milleſimo quingenteſimo quadrageſimo honeſtis parentibus ad Turrim formoſam Diæceſis Saguntinæ, & Regni Valentiæ natus, qui vigeſimo quarto ætatis anno Monforti laicalem profeſſionem emiſit, ac morum perfectioni, humilitati, altiſſimæ paupertati, aliisque virtutum exercitiis intentus, inſuper ſaluti animarum jugiter inhiabat, pluresque piis ſuis monitis ab errorum ſemita, & vitiorum colluvie ad veritatis agnitionem & pœnitentiam reduxit: demum vero ætate ſua inter rerum Divinarum contemplationes, corporis afflictiones, & cetera pietatis opera ad annum quinquageſimum ſecundum protracta, apud Villam Regiam, obitus ſui diem præcognoſcens, necnon Prophetico Spiritu clarus obdormivit in Domino: Cum autem Deus hujus Viri Sanctitatem luculentis virtutum & gratiarum donis, plurimisque prodigiis teſtatam reddidiſſet, Dertocenſis Epiſcopus juſſu ſummi Pontificis in vitam, mores, virtutes & ipſius miracula legitime inquirebat, quibus omnibus Romæ mature diſcuſſis, ac rite comprobatis ſummus Pontifex Paulus V. ad impenſas Hi-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Hiſpani Regis, aliorumque ejusdem Regni Procerum preces Paſchalem de cetero Beatum nuncupari poſſe declarabat, omnibusque ſui Ordinis Fratribus tam in Valentiæ, quam Caſtellæ & Arragoniæ Regnis Officium Divinum in ejus feſto celebrari indulſit: Gregorius vero XV. tertio poſt anno id ipſum utriusque ſexus Religioſis Minoribus ubique terrarum exiſtentibus conceſſit.

§. LVI.

Richardi Stanihurſtii, Coſteri, & Hofſtadii obitus.

Miræus Script. Sæc. XVII.

Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui hoc anno deceſſerunt, accenſeri meretur Richardus Stanihurſtius Dublini in Hibernia parentibus nobilitate generis claris quidem, patriæ tamen ſuæ hæreſi infectis ortus: Erat in eo ingenium acre, acutum atque ad omnes ſcientias ferme exhauriendas natum: magnum imprimis ſtudium arti Poeticæ ac Rhetoricæ necnon Græcis latinisque literis impendit, quibus imbutus mentis ſuæ aciem ad Philoſophica, Hiſtorica, ac demum ad intima Sacræ Theologiæ myſteria plenis delibanda labris convertit, in pervolvendis veterum Patrum præcipue Græcorum libris aſſiduus, quo-

quorum lectione tantum profecerat, ut agnito errore ad Romanæ Ecclesiæ castra feliciter transiret; postmodum vero relicta patria Bruxellas concessit, ubi Alberto Austriæ Archiduci & Belgii Gubernatori a Sacellis fuit, ibidemque tandem hoc anno beato fine quievit: Scripsit nonnisi octodecim annos natus Harmoniam seu catenam Dialecticam in Porphyrianas Constitutiones præter libros quatuor typis Plantinianis excusos de rebus in Hibernia gestis unacum Appendice Giraldi Cambrensis, necnon vitam Sancti Patritii, & Hebdomadam Marianam &c. Transtulit quoque in idioma Anglicum primos quatuor Æneidum Virgilii libros. Obiit etiam hoc anno Henricus Costerus patria Bruxellensis, Canonicus & Protonotarius Apostolicus, qui modum precandi Deum necnon preces in vitam B. Virginis edidit. Hunc sequebatur Adrianus Hofstadius Ord. Minorum Theologus & Ecclesiastes celeberrimus, cujus post obitum prodiere XLIX. sermones Eucharistici.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. LVII.

Petri a Pedrosa Carmelitæ aliorumque ejusdem Ordinis Scriptorum extrema.

Hunc

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Miræus l. c. Bibl. Carmelit. pag. 566. Sanctius Davila in vita Petri Theoph. Rain. Scap. Parth. p. 1. cap. 4.

Hunc eadem fati necessitate sequebatur Petrus Corneio a Pedrosa natione Hispanus, patria Salmanticensis, quem Paulus V. *vere dignum Ecclesiæ Dei Doctorem* appellare consueverat. Hic Salmanticæ Carmelitarum Ordinem professus, absolutis artium curriculis hinc inde in diversas Hispaniæ partes, studiorum caussa remittebatur, ubique vero ob miram naturæ, ingeniique præstantiam legendo, docendoque tantos literarum progressus fecerat, ut de quovis argumento disputans, aut disserens, in eo solo versatus crederetur: Salmanticam redux ac Doctoris honore decoratus, Philippo III. Hispaniarum Regi, ejusque Conjugi Margaritæ laureæ suæ præmia, peracto felicissime ludo literario obtulit, vicissim amplissimis encomiis a Regia Majestate honoratus. Jam inter Salmantinæ Universitatis Professores cooptatus, tanto Auditorum applausu Universam Theologiam, sacrosque Codices eruditissimis interpretationibus locupletabat, ut merito eum Theophilus Raynaldus *lumen Salmanticense* appellaret, & Sanctius Davila Placentinus Episcopus de eo testaretur, quod *Thomistarum nullus clarius, operosius, & verius Angelicum Doctorem percurrerit, atque aperuerit, ita, ut in eum eundem Spiritum commigrasse diceres.*

ceres. Erat nihilominus adeo humilis, ut ampliſſimos ſibi a Paulo V. Pontifice oblatos honores reſpueret, ac nonniſi invitus bis Caſtellanæ Provinciæ Præfecturam acceptaret, quo in munere tanta prudentia, morumque probitate refulſit, ut forma gregis factus ceteros omnes ad ſummæ virtutis ſequelam excitaret, *ejusque os*, ut ait Miræus, *vere loqueretur ſapientiam, & meditatio cordis prudentiam.* Reliquum vero vitæ ſuæ tempus virtutum cultu, ſeveriori pœnitentia, animæque cuſtodia tranſigens, tandem Salmanticæ die trigeſima prima Martii anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſecundo animam Deo reddidit. Multa ingenii ſui monumenta Petrus Corneius poſteris reliquit, inter quæ eminent Theologica ipſius opera duobus tomis comprehenſa, in quorum primo habentur tractatus de ſcientia Dei, Prædeſtinatione, Trinitate, Voluntario, actibus humanis, de bonitate & malitia, necnon de Conſcientia. Poſterior autem tomus complectitur commentaria in tertiam partem D. Thomæ: Præterea ſcripſit commentaria in ſententiarum libros, necnon aſſertiones de S. Elia, & orationem in feſto S. Thereſiæ. Edidit quoque tractatum de immaculata B. V. Conceptione, aliumque de Euchariſtia & cenſuris.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Ex

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Ex eodem Ordine hunc annum sibi exitialem habuit Jacobus a Gavio Genuensis, S. Theologiæ Doctor, Vir excellentis ingenii, singularis eloquentiæ, multiplicis eruditionis, ac magnæ probitatis laude percelebris. Scripsit expositiones in Genesin, & in Psalmum 102. Commentaria in D. Pauli Epistolam ad Ephesios, in Librum II. sententiarum, in Librum III. de Anima, præter sermones per Adventum, & Quadragesimam, necnon sermones Dominicales & de Sanctis. Non minus eruditione celebris erat Cyrillus Ximenez S. Theologiæ Doctor, qui varios tractatus Theologicos & conciones plurimas typis edidit, præter commentaria in Metaphysicam.

§. LVIII.

Sebastiani Michaelis Ord. F. F. Prædicatorum, aliorumque ejusdem Instituti Scriptorum mors.

Vid. Supra Lib. XCI. §. 44.

Jam supra de præclaris Sebastiani Michaelis virtutibus, ac disciplinæ Regularis studio mentionem ingessimus, supereſt autem, ejus quoque eruditionem commendare, necnon relicta posteris ingenii sui monumenta recensere; hæc inter celebrantur ipsius demonstrationes Evangelicæ de vera genealogia

S. An-

S. Annæ, in quo libro Author demonstrare nititur, quod tres Mariæ in Evangelio deprædicatæ, fuerint veræ filiæ Beatæ Annæ, proin Sorores B. V. Edidit quoque tres tractatus contra Joannem Gigordum Monpessulanum Calvinistam pro adstruenda veritate Sacramenti Eucharistiæ. Eo vivente exorta erat quædam contentio inter Joannem Francois Ord. F. F. Minimorum, & Guilielmum Doresses Arelatensem Theologum, qui contra duas propositiones Joannis de purgatorio, & sanctificatione festorum libellum scripserat, hos igitur ambos Concionatores Sebastianus edito libro, cui titulus concordia duorum Concionatorum Catholicorum contra vanos triumphos & falsas hypotheses *hæreticorum*, conciliare nitebatur, hacque sua lucubratione hæreticos de hac pugna exultantes, & magnifice propalantes retundebat. Scripsit etiam Homilias Sacras in festa & Dominicas præter *Historiam mirabilem de conversione cujusdam filiæ spiritualis a quodam Mago seductæ*. Hic tractatus Lugduni anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo decimo quarto editus mira continet, quæ dæmon per Ludovicum Gaufridum, Aloysiam Capeau, & Magdalenam de la Pallud de Magia accusatam, in quibusdam Monialibus operatus fuis-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Gramond. hist. Gall. pag. 21.

Echard. Script. Ord. Præd. t. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

se narratur, luculenter tamen deprehenditur, quod hæ fœminæ aut propria malitia, aut a diabolo deceptæ plurima mere fabulosa dixerint, uti sunt, quæ retulerunt de Antichristo jam nato, ejusque conditionibus, & alia ejusdem generis plura.

Præterea morte nimis præmatura obiit P. Severinus Lubomlius, qui natione Roxolanus, & genere Hebræus fidem Catholicam necnon S. Dominici institutum amplexatus, celebre sibi nomen sua eruditione comparaverat. Scripsit Tomos VII. *de quæsitis Sacræ Scripturæ & Theologorum: Catalogum omnium hæresiarcharum, Tabulam summæ D. Thomæ. Genealogiam Christi ab Adamo præfiguratam. Theatrum Concionatorum, & libellum contra Roxolanos schismaticos*, præter tractatum de vita & miraculis S. Hyacinthi. Insuper P. Sebastianus Pons Hispanus libros duos edidit contra Calvini errores. Exstant quoque perutiles tractatus Ascetici a P. Reginaldo Cavanaco conscripti. His adjungi meretur P. Hyacinthus de Nobilibus Romanus, qui Chronica Episcoporum Viterbiensium, Historiam de Martyrio SS. Tolomæi & Romani, necnon Chronica variorum Ordinis sui conventuum edidit, præter librum quemdam de Vagabundis, quod opus

Papiæ

Papiæ ſub nomine Raphaelis Frianori prodiit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. LIX.

Martinus Smiglecius aliique Societatis Scriptores mortui.

Ex Societate hoc anno nonnulli Scriptores fatis ceſſere, ex quibus primo loco recenſendus venit Martinus Smiglecius patria Leopolitanus, qui cum doctrina ſingulare virtutum ſtudium conjungens, in variis Collegiis Philoſophiam ac Theologiam tradebat: cum vero quondam publice contra Calvini doctrinam diſputaſſet, relatam victoriam Deus firmabat prodigio; quippe hæreticus quidam inde digreſſus, dira ſibi imprecatione facta juraverat, Smiglecium cauſſa cecidiſſe: mox vero, ut fuerat ſibi imprecatus, ſuffocari ſe ſenſit, & repetito perjurio & execratione, repente arctatis faucibus extinctus eſt. Obiit Martinus die vigeſima ſexta Julii Caliſſii anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſexto. Scripſit latine Nodum Gordium de vocatione Miniſtrorum unacum apologia, nova monſtra novi Arianismi, de Divina Verbi incarnati natura, de erroribus novorum Arianorum, de Ordinatione Sacerdotum

Alegamb. Bibl. Script. Soc. Miræue, l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

tum in Ecclesia Romana, præter alios tractatus Polemicos tam Polonice quam latine scriptos. Eodem quoque anno ex præfata Societate obiere Joannes Nieff, Didacus Gonzalez, Ignatius Balsamus, Hieronymus Ripalda, Emanuel Pincherus, Didacus Alvarez, aliique, qui omnes nonnisi Grammaticos vel Asceticos minoris momenti libellos edidere.

§. LX.

Prosperi Farinacii obitus.

Joan. Erythr. Pinacoth. I. pag. 238. Thomassin elog.

Diem trigesimam Octobris, quam Prosper Farinacius patria Romanus vitæ suæ primam habuit, postremam quoque clauserat. Hic Patavii utriusque juris scientia clarus Romam revertebatur, ubi inter Caussidicos facile Princeps, a Paulo V. Fisci, ut vocant, Procurator nominatus est, eidemque summo Pontifici author exstitit, ut cives improbos urbe removeret: ipse vero severissime in aliis ea vindicabat vitia, a quibus tamen ipsemet nequaquam immunis erat, præcipue vero acerrimam, sed justissimam adversus eos concitabat tempestatem, qui turpi, flagitiosoque consortio se contaminarunt, adeo, ut multi, qui ejus criminis conscientia constricti tenebantur, fugæ præsidio ex pœnæ periculo sese evolverent:

rent: Quemadmodum autem Farinacius nimia legum ſeveritate quamplurimos exagitaverat, ita etiam non nemo grave eidem negotium faceſſere conabatur, cujus accuſatione apud Pontificem prævalente absdubio pœnas dediſſet, niſi Antonii Mariæ Salviati Cardinalis patrocinio tutus, hoc periculum eluctatus eſſet: huic vero Cardinali, cum pro illo deprecaretur, Clemens VIII. cui Farinacii vitia haud incognita erant, dixiſſe fertur: *Farina hæc quidem bona eſt, ſed non ſaccus, cui ille includitur, bonus eſt*, ſed fœdus ac turpis. Obiit tandem ſexaginta quatuor annos natus: Edidit tractatum de hæreſi, necnon librum de immunitate Eccleſiæ præter volumina duodecim deciſionum Rotæ Romanæ: Scripſit quoque de praxi & theoria criminali, de contractibus, de ultimis voluntatibus, de teſtibus, de falſitate & ſimulatione, de Reo confeſſo, de delictis carnis, necnon conſilia, fragmenta, & deciſiones criminales, quæ omnia argumenta ita docte, ita erudite, ac feliciter pertractabat, ut ex remotiſſimis Orbis partibus plures, non tam Urbis viſendæ, quam hunc Authorem cognoſcendi ſtudio Romam venirent, neque quisquam adhucdum ſit rerum capitalium Judex, vel Patronus aut Advocatus, qui non libros a Fa-

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618

rinacio editos teneat, ſedulo evolvat, ac inde ad plectendos vel tuendos reos arma depromat.

§. LXI.

Joannis Moltheri, & Jonæ Hoeckeri fatum.

Inter Scriptores heterodoxos hoc anno defunctos primo loco occurrit Joannes Moltherus, qui Batenburgi in Haſſia anno reparatæ Salutis ſupra milleſimum quingenteſimo ſexageſimo primo natus Marpurgi Linquæ Hebraicæ necnon Theologiæ Profeſſor ac Doctor, varia edidit opuſcula contra Judæos; ſcripſit enim Judaica, ſeu Judæorum fabulas de Meſſia, necnon malleum obſtinationis Judaicæ, & methodum erigendorum thematum cælicorum præter plura alia Philologica & Theologica opera: Deceſſit Grünbergæ die vigeſima octava Martii.

Ad hunc quoque annum a nonnullis Scriptoribus refertur obitus Jonæ Hoeckeri Wirtembergici Theologi, qui nonniſi triginta ſex annos natus die ſeptima Junii ſuis lucubrationibus æque ac vitæ finem impoſuit. Edidit tamen librum, cui titulum præfixit ſequentem: *Sylogem utiliſſimorum inter Auguſtanæ Confeſſionis Theologos & Pontificios necnon Calvinianos controverſorum articulorum.*

Acrius

Acrius quoque calamo suo infectabatur Calvinistas, contra quos conscripsit *speculum Theologicum, in quo Calvinistici Errores Bartholomæi Keckermani ex puris præceptis Logicis, & S. Scriptura confunduntur.* Pariter idem Author typis vulgabat *clavem* suam *Theologico - Philosophicam* præter *compendium Corinthiacum Theologiæ.* Censent nonnulli Jonam jam anno priori decessisse.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. LXII.

Variæ decisiones Romanarum Congregationum.

Occurrentibus hoc anno variis dubiis tam circa ritus, quam Sacramentorum administrationem, diversæ etiam prodierunt S. Congregationum decisiones, & quidem die decima nona Januarii Sacra Episcoporum Congregatio declarabat, quod Excommunicationis pœna non sit imponenda iis, qui ambitione contendunt, ut ad beneficia vacatura præsententur. Sacra etiam Rituum Congregatio die vigesima secunda ejusdem Mensis ad propositum dubium respondit, quod substitutus Archipresbytero non possit Missas. & Divina Officia celebrare, quæ ad ipsum, si adesset, spectarent, sed id pertineat ad Canonicos successive. Eadem quo-

Decis. Congreg. S. Rituum, S. Officii &c.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

que Congregatio die duodecima Martii decidit, quod ſub nomine feſti novem Lectionum cenſeatur etiam Dominica, proin ſi in ea occurrerit feſtum duplex, in Cathedralibus & Collegiatis canendæ ſint duæ Miſſæ. Declaratum quoque die trigeſima prima ejusdem Menſis, quod Canonici Cathedralis & Collegiatæ ſemper præcedant Regularibus, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. Canonicus vero, etſi choro interſit, niſi tamen pſallat, diſtributiones quotidianas non lucretur, uti ſtatuit die ſeptima Aprilis S. Congregatio Concilii. Die autem quarta Maij deciſum fuit, quod Monialium Confeſſarius Regularis extra officii ſui neceſſitatem non poſſit cum Monialibus colloqui: pariter die ſecunda Junii a S. Rituum Congregatione ſancitum eſt, quod in Feſto SS. Corporis Chriſti non ſit deferenda in Supplicatione Euchariſtia Sacerdotum humeris, ſed celebrantis manibus, non obſtante quacunque conſuetudine. Declarabat quoque S. Congregatio Epiſcoporum, quod Confeſſarius Regularis, ceſſante fraude, poſſit abſolvere a quibuscunque peccatis in Diæceſi, in qua eſt approbatus, reſervatis, quamvis forte reſervati eſſent ab Epiſcopo pœnitentis: abſolutio autem a cenſuris omnino gratis concedenda ſit etiam in

foro

foro exteriori, excepto eo, quod Notario & Judici debetur. Declarabat insuper S. Rituum Congregatio, quod Episcopus in aliena Ecclesia non possit sibi pulvinar, & pannum coloris violacei sternere, nec extra suam Diœcesin ei competat deosculatio textus Evangelii, nec etiam Metropolitanus valeat absolvere excommunicatos Suffraganei occasione violatæ libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ, neque appellationes admittere, nisi Ecclesia seu libertas Ecclesiastica in ejus honorem sit prius integre restituta: uti S. Congregatio Episcoporum in favorem Episcopi Suffraganei Tropeæ contra Archiepiscopum Rhegiensem die nona Novembris decidit.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. LXIII.

Censura S. Facultatis Theologicæ Coloniensis in quatuor libros Marci Antonii de Dominis Apostatæ.

Postquam perniciosus Marci Antonii de Dominis quondam Spalatensis Archiepiscopi liber *de Republica Ecclesiastica* ex Anglia in Germaniam delatus fuerat, mox Ferdinandus Coloniensis Archiepiscopus atque Elector hujus libri examen, censuramque probatioribus Facultatis Theologicæ Doctoribus com-

Argentre coll. Jud. t. 3. p. 191.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

commisit. Hi ergo eidem Archiepiscopo elenchum propositionum, quas ex præfati Apostatæ libro integra fide decerptas, censuris notarunt, die septima Decembris hoc anno obtulerunt: & quidem ex ejus Præfatione prima erat Propositio: Mulier fortissima, Ecclesia, miserandum in modum jam tempore D. Augustini delituit, *Censura.* Hæc propositio est hæretica, visibilitati Ecclesiæ repugnans, quam tamen D. Augustinus contra Donatistas tam valide urgebat. II. Meam vocationem esse Divinam nullatenus ambigere possum *Censura:* Propositio est Schwencfeldiana, repugnans ordinariæ vocationi Ministrorum ad Rom. 10. descriptæ. III. Piaculum ducebam, ne adversus fidei certa mihi *putata* dogmata vel leve dubium moverem: & quod Romani in abscondendis hæreticorum libris adeo laborarint, suspicabar, ne quid in illis lateat, cui convellendo doctrina nostra non sufficiat: *Censura.* Prima pars est calumniosa in Ecclesiam, quæ in fidei articulis errare nequit, altera autem est temeraria, calumniosa & falsa. IV. Vidi Romæ innumeros fidei articulos novos quotidie nobis obtrudi. *Censura:* narratio hæc falsa, & in Ecclesiam injuriosa est. V. Episcopi sub Romano Potentatu in temporalibus sunt

Magna-

Magnates, ſed Epiſcopi non ſunt, niſi æquivoce: *Cenſura.* Propoſitio eſt falſa, hæreſinque Huſſitarum redolens. VI. Eccleſia ſub Romano Pontifice non amplius eſt Eccleſia, ſed Respublica humana ſub Papæ Monarchia tota temporali: *Cenſura.* Eſt hæretica & maledica. VII, Cum objurgandus eſſet David de peccato, non Pontifex, aut Sacerdos, id auſus eſt, ſed Deus ipſe ſuos peculiares Nuntios ad hoc exhibuit: *Cenſura.* Eſt adulatio Anglicana. VIII. Poſtea Colonienſes hi Cenſores ex capite primo ſequentes perſtringebant propoſitiones. I. Errant, qui in Republica Eccleſiaſtica veram jurisdictionem, hoc eſt, vim coactivam, & ſubjectionem externam requirunt. *Cenſura.* Hæc propoſitio eſt hæretica, eandem cenſuram tulit hæc: *errant, qui putant, uti in humanis, Reipublicæ Gubernatore abſente vel defuncto, alium eſſe ſubrogandum.* III. Paulus nullum aliud Caput præter Chriſtum agnovit; & inter membra Chriſti etiam Petrum ſicut fideles ceteros incluſit: *Cenſura.* Eſt falſa. IV. Eccleſiæ Regimen eſſe ſpirituale, nec corporali agere præſentia, ſed influxu internæ gratiæ, Paulus docet: *Cenſura.* Eſt Aſſertio hæretica. V. S. Auguſtinus neque extra Chriſtum cognoſcit caput ullum: *Cenſura.* Eſt falſa

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

falsa & D. Doctori injuriosa. VI. Idem sentit D. Gregorius: *Censura.* Est itidem falsa, cum S. Gregorius l. 7. epist. 30. asserat, nomen Universalis Episcopi oblatum esse Romanæ Sedi per Synodum Chalcedonensem. VII. Caput ut Caput nullum aliud habet officium, nisi interno influxu regere, & gubernare totum corpus: *Censura.* Est erronea, & subversiva omnis Regiminis civilis, & Ecclesiastici. VIII. Omnis homo in Ecclesia est membrum, non Caput: *Censura.* Est hæretica. IX. Omnes Sacerdotes non dicuntur proprie Sacrificium offerre, sed illius memoriam celebrare: *Censura.* Itidem est hæretica.

Ex capite secundo eruuntur ac damnantur illæ propositiones, quibus Author statuit, Apostolorum munus fuisse *tantum* ministeriale, ipsosque tantum orationi & ministerio verbi instantes fuisse, non autem præcepisse, castigasse &c. In capite tertio Author stabilivit cunctos Apostolos, in omni munere Apostolico atque in omni potestate fuisse inter se pares, disparitatem autem esse humanum inventum, proin eo modo, quo ovis v. g. Joannes subditus erat Petro propter Apostolatum, ita ovis Petrus subditus erat Joanni & reliquis propter eorum Apostolatum: similes autem propositiones Facultas Colonien-

lonienſis cenſuit eſſe hæreticas, falſas, ſchismaticas, & Hierarchiæ perturbativas. Sæc. XVII. A. C. 1618.

In capite quarto Author ſtatuit omnibus Apoſtolis Chriſti Vicarii officium æque competiiſſe, verum autem & proprium Vicarium eſſe Spiritum Sanctum, cenſuit igitur Facultas Theologica, has propoſitiones eſſe hæreticas, erroneas & ſuſpectas de hæreſi Macedonii.

In capite quinto tenet Marcus Antonius, quod D. Petrus non habuerit Principatum poteſtatis & Jurisdictionis, ſed ætatis, vocationis & amoris: Id vero falſum & hæreticum eſſe cenſent Doctores Colonienſes. Hi iidem ex capite ſexto ſequentes propoſitiones perſtrinxerunt. I. Origenes tenet, omnes fideles eſſe Petram Eccleſiæ: *Cenſura.* Origenes ea verba omnibus fidelibus allegorice accommodat. II. Qui Petrum a Petra Chriſto nominari ſentiunt, per hæc verba: *ſupra Petram* vix conſentire poſſunt ſignificari *ſuper Petrum*, ſi Petrus Petrus non eſt, niſi a Petra, qui Chriſtus: *Cenſura.* Latet ſophisma, quia nomen Petræ convenit Chriſto, & Simoni, ſed differenter, illi per excellentiam, huic per participationem, III. Eccleſiam illam, quam dixit *meam*, Chriſtus tantum poſt Paſſionem & reſurrectionem ædificavit: *Cen-*

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Censura. Propositio est hæretica; omnes enim, quotquot ante Christi Nativitatem, per fidem Christi salvati sunt. IV. Similitudo ædificii in eo consistit, quod sicut lapides ab eo sustentantur in cohærentia, ita Ecclesia seu fideles in eadem fide uniuntur, qua fide sublata concidunt, hoc autem de Petro nequit verificari, nec fideles, qui faciunt Ecclesiam, inter se sunt unum, quia uni Petro adhærent: *Censura.* Hæc explicatio est hæresin sapiens, quia Ecclesia est una Unitate fidei ab uno Pastore propositæ. V. In nomine seu Metaphora fundamenti inveniri nequit Primatus auctoritas, vel Petri suprema Præfectura: *Censura.* Propositio hæc est falsa; nam in moralibus is, qui fundamentum est, etiam est Caput, soli autem Petro data est promissio fundamenti. VI. Petro non commendantur Coapostoli, sed omnes fideles ab Apostolis instruendi: *Censura.* Est expositio erronea, & communi Sanctorum Patrum interpretationi repugnans. VII. Confirmare jubetur Petrus fratres suos conversos per pœnitentiam: *Censura.* Erronea est expositio verbi: *confirma.* VIII. Omnibus Apostolis competit similitudo fundamenti: *Censura.* Propositio est falsa & erronea; plus enim quam reliqui Apostoli habuit Petrus, cui

cui ſpecialiùs promiſit Chriſtus &c. IX. Hieronymus dicit, ex æquo omnes Apoſtolos fuiſſe Eccleſiæ fundamenta. *Cenſura.* Abutitur Author teſtimonio S. Hieronymi, qui addit: unus eligitur, ut *capite conſtituto* ſchismatis tollatur occaſio.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Ex Capite ſeptimo præprimis hæc decerpebatur propoſitio: his verbis: *quodcunque* &c. Petro nil amplius quam aliis promiſſum eſt: *Cenſura.* Propoſitio hæc eſt hæretica, erronea, & in ſanctos Patres calumnioſa. II. Patres clavium traditionem non aliam agnoſcunt, niſi illam Joannis 20. *ſicut miſit* &c. & *accipite Spiritum* &c. *Cenſura.* Hæc propoſitio eſt erronea, cum SS. Patres agnoſcant B. Petro datam poteſtatem clavium, illis etiam verbis: *Paſce oves meas &c.* Dein in capite octavo & nono Auctor variis, iisque contortis interpretationibus demonſtrare nitebatur, quod per hæc verba: *Paſce oves meas* Primatus Eccleſiæ Petro non fuerit collatus, niſi duntaxat in Judæos, ad quos ſpecialiter miſſus erat, aut ſolum Primatus vocationis &c. Sanctos autem Patres, qui Petro ſuper ceteros Apoſtolos Primatum tribuunt, nonniſi Rhetorice, non vero Theologice id affirmare aſſerit. Verum Colonienſes Cenſores cunctas has propoſitiones tanquam

Sæc. XVII. A. C. 1618.

quam hæreticas, injuriosas, atque erroneas rejecerunt, qua etiam censura notarunt capitis decimi propositiones, quibus S. Damascenum inter dormitantes atque adulantes interdum reponendum, & Petro dignitatem capitis ob Procuratoris officium fuisse a S. Chrysostomo attributum asseruit. Iisdem quoque erroribus scatent, ac proin haud benigniore censura perstringebantur propositiones capitis undecimi, in quo Petri Primatum a Sacris literis & Sanctis Patribus reprobari, prorsus inepte affirmabat. Denique in postremo libri primi capite asserit, in Ecclesia nullum dari Caput aut Monarcham præter Christum, hancque Doctrinam esse quidem Joannis Hussi a Concilio Constantiensi damnatam, Catholicam tamen, atque a Sanctis Patribus confirmatam, oppositam vero inniti falsæ opinioni, qua supponimus Christum a suæ Ecclesiæ Regimine absentem: Verum omnes hujus assertionis partes esse falsas atque hæreticas censebant Theologi Colonienses: Quoniam vero Author Ecclesiæ Regimen somniabat esse Aristocraticum, hincque toti fidelium multitudini executivam excommunicandi & definiendi potestatem tribuebat, Hierarchicam autem subordinationem solo jure humano ad

vitan-

vitandas confusiones fuisse introductam propugnat, quæ omnia tamen velut hæretica & schismatica rejiciuntur, qua censura etiam perstringitur sequens ejusdem propositio: *Supremum judicium & suprema decisio fidei penes Concilia semper fuit, APPROBANTE DEIN TOTA ECCLESIA*, proin ex ipsius sententia Conciliorum decisiones fuissent incertæ usque ad plebis approbationem: non minus tanquam hæretica ac schismatica, necnon cunctis hæresibus januam aperiens censebatur hæc illius assertio: *Appellatio ad plebem in judiciis Ecclesiasticis, potest interdum contingere, ut si quis tanquam hæreticus damnaretur, posset is suam doctrinam judicio totius Ecclesiæ subjicere, & ab illa veritatis confirmationem expectare:* Pari censura perstringebantur hæ propositiones. I. Leges Ecclesiasticæ de rebus agendis v.g. Jejunio &c. non obligant, si eas respuat populus. II. Leges Ecclesiasticæ si sint fidei decisiones, sunt de fide credendæ, quando tota Ecclesia consentit. III. Si vero sunt de Ecclesiasticis præsertim de fide, potest earum judicium ad totam Ecclesiam delabi, non ad effectum punitionis personæ, sed ad effectum damnationis doctrinæ. IV. Deus Spiritum suum toti Ecclesiæ promisit, non alligando ipsum certis Personis v. gr. solis

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A.C. 1618

solis Presbyteris. V. Consensus totius Ecclesiæ in aliquo articulo non minus intelligitur in Laicis, quam etiam in Presbyteris. VI. In quolibet Regno Rex potest esse supremus Gubernator Ecclesiæ. VII. Omnes Prælati habent plenam auctoritatem Ecclesiasticam, quia omnes in solidum unicam regunt Ecclesiam.

§. LXIV.

Propositiones ex Libro II. decerptæ, censurisque notatæ.

Postquam Marcus Antonius in Proemio ad Librum II. Concordiæ librum a Lutheranis consarcinatum insulse prorsus commendaverat, Episcopis eandem omnino plenamque cum Apostolis potestatem attribuit, eos vero sola ad ministerium vocatione vere Episcopos fieri, eosque æque ac Romanum Pontificem Petri Successores etiam in potestate universali esse tradit: Ast omnes hæ doctrinæ, aut hæreticæ aut falsæ fuerunt damnatæ, una cum sequentibus ejusdem Authoris propositionibus, quarum prima ex capite secundo erat hæc: Sunt in Apostolis unum & idem essentialiter Apostolatus & Episcopatus. II. Areopagita totam S. Mathiæ electionem in divinam *solam* con-

confert vocationem. III. Ordinatio ab Hieronymo vocatur illa compositio, qua de communi consensu, datis dexteris, curam potissimam convertendarum Gentium assumpsit Paulus cum Barnaba: veram tamen ordinationem in ea segregatione non agnoscit S. Leo. IV. Errant, qui Paulum & Barnabam vere & proprie ordinatos in Episcopos tunc putant, cum Episcopum nil magis faciat, quam missio. V. Virginitas tunc in nullo pretio fuit. VI. Gravissima sunt testimonia, quæ in Sacris Ordinibus veram Sacramenti rationem non agnoscunt. VII. Cyprianum in Ordine non agnovisse opus operatum, patet ex similitudine Episcopi indigni indigne ordinati cum Chore, Dathan & Abiron, qui nequaquam fuerunt Sacerdotes. VIII. Episcopus schismaticus nec dignitatem Episcopalem habet quoad exercitium, nec potestatem quoad ordinem, ergo Ordo non habet characterem indelebilem. IX. Episcopus sine doctrina sacra est Episcopus duntaxat æquivoce, & malus Sacerdos vel promotus contra Canones, vel simoniace ordinatus non est ordinatus, & invalide consecrat. Hæ autem pluresque aliæ ejusdem Authoris propositiones, quibus Ordinem nonnisi in latiori significatione esse Sacramentum,

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

nullumque alium Ordinem præter Presbyteratum & Episcopatum a Christo fuisse institutum asserebat, tanquam hæreticæ, erroneæ & falsæ fuerunt proscriptæ. Porro in sequentibus ejusdem libri capitibus Auctor decantatos Lutheranorum errores adoptat, docens, Sacros Ministros ad Cælibatum jure non teneri, votum continentiæ non esse annexum sacro Ordini, neque ullo tali voto dirimi matrimonium, quæ tamen omnes propositiones hæreticæ, scandalosæ, & impiæ Auctorem suum de propria incontinentia valde suspectum reddunt.

§. LXV.

Censuræ propositionum ex Libro III. depromptarum.

Tertius quoque Marci Antonii Liber præcipue Hierarchiam Ecclesiasticam impugnabat, omnemque inter Episcopos veram Prælationem aut subjectionem jure divino stabilitam inficiabatur, atque ad stabiliendum hunc errorem omne Ecclesiasticum Ministerium omnino æquale esse, adstruere nitebatur hic Apostata. Eo collimat hæc ejusdem assertio; quia omnes Apostoli simul in omnibus Orbis partibus Ecclesiam unicam, seu omnes fideles fundarunt,

darunt, hinc non uni, ſed omnibus Apoſtolorum ſucceſſoribus hæc ad regendum a Chriſto commiſſa eſt, omnesque æque Operarii in eadem hac Eccleſia ad laborandum in ſolidum deputati ſunt, proin nulla inter eos eſſe poteſt ex Divina inſtitutione ſubjectio aut prælatio. Verum hoc principium eſſe hæreticum declarabat Coloniensis Univerſitas. Ex hoc autem errore Marcus inferebat, Eccleſiaſticam Hierarchiam jure ſolo humano Eccleſiaſtico eſſe inſtitutam, ut patet ex ſequentibus ejusdem propoſitionibus, quarum prima hæc eſt I. Romana Eccleſia ſui Patriarchatus limitibus non contenta, paulatim abſolutum Imperium in univerſam Eccleſiam uſurpabat: *Cenſura.* Hæc aſſertio eſt hæretica, quia hæc Eccleſia ſemper habuit Primatum, uti fatetur Concil. Nicæn. can. 6. II. Non Divina, ſed Synodica & Patrum conventione, certis Eccleſiis Provinciarum cura eſt attributa: *Cenſura.* Aſſertio hæc eſt hæretica, ſimulque Conciliis repugnans. III. Similis Primatus a Concilio Chalced. & Conſtant. datur Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: *Cenſura.* Utriusque Concilii Canones ſunt ſpurii. IV. Evangelica & Apoſtolica traditione Electio Epiſcoporum æque laicis ac Epiſcopis convenit: *Cenſura.* Hæc doctrina

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618

ctrina est Oecumenicis Conciliis contraria. V. Damasus per vim & arma, cædesque in Pontificatum est ingressus: *Censura.* S. Damasus judicio SS. Patrum totiusque Ecclesiæ laudatur, præterquam a Marcellino bis schismatico. VI. Ethnicismum redolet, quod Papa se in terris alterum Deum appellat: *Censura.* Innocentius III. se non Deum, sed tantum Christi Dei Vicarium dicit, qualiter in V. T. non modo Moyses, sed quilibet Judices & Prophetæ &c. *Dii* nominantur. VII. Concilium Tridentinum unice intendit, ut Papalem jurisdictionem faceret ampliorem; solus enim Papa & Roma rexit hoc Concilium, quod immerito Metropolitis potestatem erga suos Suffraganeos restrinxit, eisque liberam in Provincias facultatem aufferre voluit: *Censura.* Hæc doctrina est falsa & injuriosa Concilio, cujus observantiam Marcus sexies jurato promisit. VIII. Romanorum Pontificum posteriorum proprio conatu, Papam supra Patriarchas quatuor, suspicor esse constitutum: Monarchiam autem semper Christus a sua amovit & ipsa Ecclesia abominata est: *Censura.* Est Propositio hæretica, & graviter injuriosa. IX. Falsum est, Unionem Ecclesiæ Catholicæ in unitate Rectoris visibilis consistere: *Censura.* Hæc doctrina

est

est hæretica & schismatica. Denique in capite ultimo Marcus demonstrare satagebat, Hierarchiam Ecclesiasticam plurimum nunc per Pontifices Romanos confundi, ac turbari, hancque in rem falso Anacletum Papam allegat, qui tamen de Romanis Pontificibus nullam omnino mentionem fecerat. Sæc. XVII. A. C. 1618.

§. LXVI.

Assertiones ex Libro IV. decerptæ.

Tandem Marcus Antonius in Libro IV. de Romana Ecclesia totus in eo erat, ut hæreticorum more ac voce Ecclesiam Romanam non esse peculiarem Petri Sedem, & Papas ideo Petri Vicarios, quia ejus puri Ministri sunt, vocari ostenderet: Ex erroneo autem hoc systemate sequentes profluxere propositiones. I. Magis aut non minus Paulo quam Petro debetur fundatio Romanæ Ecclesiæ; inconsiderate autem Eusebius Petrum secundo Claudii anno Romam venisse, & Chrysostomus eum Romæ prædicasse asseruerunt; cum Petrus neque Antiochiæ neque Romæ proprie sederit, qui non ut sederet sed ut excurreret, Apostolatum accepit, proin ubique suam Cathedram, hoc est, Episcopalem potestatem secum detulit: *Censura.* Hæ propositiones sunt

Sæc. XVII. A. C. 1618.

partim hæreticæ, partim S. Patribus injuriosæ, partim falsæ, atque ignorantiam malitiamque Authoris produnt. II. Paulus prius Romam venit, quam Petrus & ibi prior Apostolicam actualem potestatem exercuit usque ad mortem, primus igitur Petri adventus Romam ponendus est circa duodecimum Neronis annum: integro proin ferme decennio Paulus prius Romam venit, quam Petrus: *Censura.* Hæc propositio plane est temeraria, falsa & communi Patrum & Historicorum sententiæ adversa: pari etiam censura perstringebatur sequens Marci propositio: *Suspecta est Historia de Simonis Magi extinctione per Petrum Romæ facta ob Justini & Irenæi silentium.* Præterea in capite secundo idem Apostata convincere nitebatur, *Romanam Ecclesiam esse tantum particularem Ecclesiam, unam ex ceteris*, eoquod Pontifices se Ecclesiæ urbis Romæ Episcopos nominant; ast inepte hæc verba ad hæreticum ipsius sensum detorqueri sentiebant Coloniensis, qui tanquam falsam hæreticam & calumniosam pariter rejiciunt sequentem illius propositionem: *Ecclesiam Romanam constat esse perfectissime schismaticam, tyrannicam & Antichristianam, quia Caput se contra Christum verum Ecclesiæ Caput, constituit.* Iterata autem hæresi sca-

ſcatent duæ hæ illius **aſſertiones**: *Conſtantinopolitana Eccleſia paribus cum Romana eminet privilegiis, & Romanus Pontifex non eſt proprie peculiaris Succeſſor Petri.* Dum autem in capite ſeptimo aſſeruit, quod *Eccleſia univerſalis nullum habeat in terris unicum Caput univerſale*, has ſubjunxit propoſitiones. I. Primatus Romani Pontificis totus eſt uſurpatus, & Chriſti inſtitutioni, ſacrisque literis repugnans. II. Sicut ſola uſurpatione Papa erexit, ita ſublata uſurpatione poteſt & debet aboleri. III. Univerſalis Eccleſiæ Caput hoc ingens toti Corpori grave, ambitio potiſſimum Romana genuit. Qui quidem Papatus monſtroſus non ſtatim totus in lucem eſt editus; ſed paulatim diverſis ſe occaſionibus offerentibus, & per partes acceptis ſubinde incrementis, ex informi imbecilloque embryone in validum, & maturum fœtum adolevit: tandemque exactis temporibus partus ille infelix, totaque Eccleſiæ infeſtus ex utero prodiit. Has autem propoſitiones Colonienſis Univerſitas tanquam hæreticas, ſchismaticas, & in Romanum Pontificem injurioſas damnabat: Haud mitiore ferula cædebat ſequentes hujus Authoris Aſſertiones, quarum prima erat hæc: Romanus Papatus univerſalis nunquam ſanæ

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Ecclesiæ fuit cognitus. II. Papatus merum schisma & factio se a reliqua corporis compage avellens est. III. Pontifex est primus & maximus Canonum contemptor, & conculcator. IV. Omnia hæc Sedis Apostolicæ privilegia sunt falsa, partim ipso facto illegitima, partim aliis erepta, & usurpata. V. Concilia Occidentis sub jugo Monarchiæ Romanæ jam dominantis applaudere tanto Monarchæ coacta sunt. VI. Postremarum ætatum Papæ, jam plane omni deposita modestia, cum multis & apertis, voluntariisque usurpationibus, se ad hunc absolutum & maximum Papatum evexerunt, facti per fas, & nefas totius Ecclesiæ Monarchæ absoluti, & de suo hoc exorbitanti Monarchatu, non modo encomia, sed etiam Decretales, & definitiones ediderunt. VII. Bedam, & Anselmum & Hugonem Victorinum, & Bernardum, inter Monarchicos, non quidem decipientes, sed potius deceptos reponimus. Alios vero posteriores, magna ex parte parasitos & assentatores, malæque fidei deceptores, & contra propriam Scientiam, contentiosos, & verbosos Disputatores, iststac in causa rejicimus penitus, ne dicam, contemnimus. VIII. Bonifacii VIII. definitio, quam secutus est etiam Leo X. qua decla-

declaratur, de necessitate Salutis esse omni humanæ creaturæ Romano Pontifici (ut Capiti, puta in spiritualibus & temporalibus universali) subesse, errorem continet intolerabilem. IX. Si quis opponat in Concilio Constantiensi, fuisse Wicleffi, & Hussi articulum de Primatu Papæ ab eis negati condemnatum: Respondemus, Patres Concilii Constantiensis Monarchiam Ecclesiasticam tenuisse, & communissimo jam errore fuisse infectos.

Sæc. XVII. A. C. 1618.

Postquam vero inquissimus hic Ecclesiæ fideique desertor egregie contra Pontifices cum lupis ullulaverat, tandem etiam solita sua modestia Cardinales *Pontificii Electoratus usurpatores, iniquos ejusdem detentores, malæque fidei possessores* appellitabat, simulque Romani Pontificis Legatos & Nuntios carpebat, perinde acsi nonnisi ad fastum, dominatum, avaritiam & rapacitatem, necnon ad sola negotia terrena, & temporalia tanquam Oratores, seu verius Exploratores decernerentur: Has autem Assertiones Facultas Coloniensis Theologica velut putidas calumnias ex hæreticorum cloacis erutas rejecit: Ceterum non minus mirum, quam ridiculum videtur, quod novus hic Apostata æque ac ceteri Novatores tantopere desudare voluerint, ut nova dogmata

Sæc. XVII. A. C. 1618.

mata, novumque Ecclesiæ regimen adinvenirent, nullus tamen eorum sollicitus fuerit, ut nobis illam demonstraret Ecclesiam, in qua a prima Christi & Apostolorum ætate usque ad hodiernum tempus ubique & ab omnibus communiter hæc doctrina & disciplina Ecclesiastica, quam ipsi stabiliunt, fuisset servata; hæc certe juxta ipsos non fuit Romana; eam enim rejiciunt, & ipsemet Marcus etiam duntaxat primis temporibus sanam & vegetam, dein valetudinariam, ac demum penitus ægram fuisse asserit; nec etiam est Ecclesia Græca, quæ hodie vel est Schismatica, vel si est Romanæ unita novas hasce doctrinas aversatur: non erit Ariana, Nestoriana &c. quia hodierni Sectatores potissimos priorum horum hæreticorum errores (licet a non alia, quam ipsa Ecclesia Romana damnati fuerint) detestantur, nec cuncta recentiorum dogmata recipiunt, aut si ea amplectuntur, suam Ecclesiam primum paucis abhinc annis uti ex ipsis Auctorum suorum nominibus, & ætate patet, recens constructam fuisse profiteri coguntur. Nimirum hi Ecclesiam extra Ecclesiam sibi in suo cerebro fabricant, prout cunctis hæreticis omni ævo familiare fuit.

§. LXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1618.

§. LXVII.

Decretum Sacræ Facultatis Theologicæ Coloniensis contra quatuor priores libros Marci Antonii.

Tandem vero Sacra Facultas Theologica Coloniensis memor obsequii, quod Christo, ejusque Ecclesiæ debet, necnon diligentiæ, quam contra emergentes hæreses semper præstitit, sequens decretum die ultima Martii hoc anno promulgari præcepit.

Facultas singulis rite examinatis, discussis, & ad ipsum exemplar collatis, ex tunc censuit sicuti & nunc per præsentes censet, ac declarat.

1. Totum librum, tanquam S. Scripturæ, Conciliis, Unanimi SS. PP. Doctrinæ a Christo Domino institutæ, & perpetuo observatæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ contrarium, hæreticum, Schismaticum, Calumniis in omnes Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, ac nominatim in ipsum totius Ecclesiæ caput Romanum Pontificem maledicentissimis, impudentissimis mendaciis, arrogantissimis in quoslibet Scriptores judiciis, mordacibus, & Christiana modestia indignis Sarcasmis plenum, damnandum esse prout de facto censet ac damnat.

2. In

Sæc. XVII. A. C. 1618.

2. Pontificem ipsum, tanquam verum universalis Ecclesiæ Caput humillime obsecrandum, sicut de facto obsecrat, ut pro defensione Ecclesiasticæ Hierarchiæ & Primatus Sedis Apostolicæ ad exemplar Sanctissimorum Prædecessorum suorum non gravetur facere contra M. Antonium, quod in simili Primatus impugnatione, octava Generalis Synodus petiit ab Adriano Papa contra Photium. Similiter rogandos omnes Ecclesiæ Catholicæ Antistites, ac præcipue Serenissimum, & Reverendissimum Archiepiscopum, & Principem Electorem nostrum, ut eundem hunc Librum, ex omnibus Diæcesium suarum finibus, tanquam hæreticum & subditis noxium proscribere & relegare Ecclesiastica sua authoritate dignentur.

3. Omnes Ecclesiæ Catholicæ Principes, ac Defensores & universum Magistratum civilem humillime obsecrandos, prout de facto obsecrat, ut civilibus quoque edictis, & pœnis subditorum suorum saluti & fidei contra hunc Librum sic prospiciant, ut exemplaribus ubique locorum exustis, omnes intelligant, melius in hoc mundo esse, ut Libri mali pereant, quam animæ Christi Sanguine redemptæ per eos perdantur.

§. LXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. LXVIII.

Origo & progressus Calvinianæ potestatis in Sacra.

Nondum controversa Gomaristas inter & Arminianos quæstio de Ministrorum jure circa Sacra erat decisa, & nihilominus Gomaristæ sibi controversos doctrinæ articulos *peremptorio*, ut vocabant, *judicio* definiendi, & Arminianos proscribendi auctoritatem adjudicabant: Ut autem plena de utriusque partis sententia circa jus in Sacra habeatur notitia, haud injucundum fore arbitror, si rei hujus summam, hujusque quæstionis originem, statumque ipsis Limborchii Arminiani verbis exposuero, ut ex horum dissidio veræ Ecclesiæ, ejusque doctrinæ triumphus manifestior appareat. Hujus igitur controversiæ origo inde oriebatur, quod Hollandiæ Australis Conventus ab Utenbogardo suffragii sui rationem peteret, hic vero responderit: *sibi a Provinciæ suæ Ordinibus, a quibus ipse cum reliquis ad suffragia libere ferenda esset convocatus, rationem reddendam, non Synodo, cujus mandato in illo conventu neutiquam foret adstrictus.* Inde igitur orta est disceptatio circa Magistratus jura in Sacra. Qua autem ratione hoc idem jus sibi Ministri

Calvi-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Relatio Hist. Philipp. Limb. de Origin. & Progress. controv.

Calvinistæ adjudicarint, refert idem Limborchius his verbis: „Ministri qui „ex Geneva & Palatinatu in patriam no„stram se contulerant, ut & in ea Re„formatorum Doctrinam prædicarent, „Magistrorum suorum placitis penitus „imbuti, auctoritatem sibi adscribebant, „ac potestatem circa externum Ecclesiæ „regimen, a nullo homine, sed ab ipso „Domino Jesu Christo immediate de„pendentem, condendi nimirum leges „Ecclesiasticas, omniaque juxta illas „dirigendi, & quoscunque contra illas „delinquentes, pro delicti gravitate, „aut ab usu S. Cœnæ ad tempus suspen„dendi, aut excommunicandi ac Sa„tanæ tradendi. Hunc in finem eri„gebant consistoria, quæ essent tribu„nalia Ecclesiastica, in quibus Ministri „cnm Presbyteris tanquam judices de „quibusvis juxta leges Ecclesiasticas „Sententiam pronuntient. Hancque „vocabant potestatem clavium sibi im„mediate a Domino Jesu concessam, „quæque nullatenus Magistratus pote„stati subjecta esset.„

Postquam Calvinianis hisce Ministris, quorum attentatæ auctoritati postea Arminiani strenue insistebant, connivente Magistratu, tam feliciter præfati juris usurpatio cesserat, ulterius progrediendum, hancque auctoritatem ipsa

ipsa legum Sanctione, & Synodorum celebratione stabiliendam fore censebant: Ad hoc etiam exequendum sat opportuna eis offerebatur occasio ex bellico tumultu, quo Hollandi ab Hispanis pressi Sacrorum curam neglexerant, igitur, prosequitur Author præfatus „in initio belli contra Hispania„rum Regem, cum patria tumultibus „militaribus esset perturbata, Magistra„tibusque de curanda Republica totis „occupatis, de negotiis Ecclesiasticis „consultare otium non esset, Ministri „propria autoritate Synodos aliquot „convocarunt, in iisque leges Ecclesia„sticas ex suo arbitrio condiderunt; qua„rum quasdam Magistratus, cum re„bus Politicis jam meliorem in statum „digestis, etiam de Ecclesiasticis deli„berandi Consilia ceperunt, suæ pote„stati præjudicium non leve adferre „judicarunt; qualis inter alias fuit Lex „de Anabaptistis civitate excludendis, „eo prætextu, quod Religione quadam „gravabantur juramentum obire. Quod „Philippus Marnixius in Epistola ad Ca„sparem Reidanum plenius describit: „quod Princeps *causaretur id statui non „posse, nisi cum nova Ecclesiarum convul„sione, propterea quod Ordines haud sint „passuri, legem ejusmodi præscribi, quam „ex usu Reipublicæ plane non esse statuant:*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Vid. Supra l. 191. §. 40. p. 143. & 142.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„*imo quod asseveraret, hanc unicam fuisse caussam, quamobrem Consistoria in tantam „invidiam apud Ordines venerint, ut pro„pe abfuerit, quin Senatusconsulto facto „penitus tollerentur.*„ Idem scribit A„drianus Saravia tunc Professor in Aca„demia Lugduno-Batava, ad Werne„rum Helmichium. *Suspectam censuram nostrarum Ecclesiarum passim esse video Magistratibus, tanquam sub illa tyrannis aliqua lateat, quæ tandem successu temporis aucta viribus, Magistratus autoritatem sibi subjiciet. Quam sit humanum ingenium imperii illegitimi impatiens, notum est; odit enim omnes, qui potestatem aliquam sibi vindicare volunt.*

Quoniam vero tam luculenta auctoritatis usurpatio suæ, ut vocant, Reformationis principiis adversa esset, nec ulterius Principum & Magistratuum civilium æmulationem effugere posset, hinc inter Magistratum & Ministros sæpius agitata est hæc quæstio, donec ut testatur præfatus Auctor, post „varias deliberationes & remedia fru„stra adhibita, tandem Ordines Hol„landiæ, ut contentioni huic finem im„ponerent, neque alterutri parti aliquod „crearetur præjudicium, octo e nume„ro Politicorum, & octo Ecclesiasticos „deputarint, qui leges Ecclesiasticas „concipiant, quas maturo adhibito exa„mine

„mine Ordines autoritate ſua confir- Sæc. XVII.
„ment. Verum id plurimis Miniſtris Sæc. 1619.
„neutiquam probatum fuit: tum quod
„ad concipiendas leges Eccleſiaſticas
„etiam politici fuerint deputati, cum
„id ſibi ſolis vindicarent Eccleſiaſtici;
„tum quod in illo legum conceptu quæ-
„dam Magiſtratui autoritas major ad-
„ſcribebatur, quam illi tributam vel-
„lent. Ab altera parte, quarumdam
„Civitatum Deputati Eccleſiaſticis ni-
„miam in illis autoritatem tribui cau-
„ſabantur, Itaque vim legis nunquam
„habuerunt. Eccleſiaſtici interim, ſi
„quæ de quibusdam dogmatibus orie-
„bantur controverſiæ, omnia pro pote-
„ſtatis ſuæ amplitudine decidere, Sen-
„tentia ſua Damnatos exautorari, & a
„Magiſtratu pœnis civilibus coerceri
„cupiebant, quin & a publica Eccleſia
„diſſidentes nullo modo tanquam cives
„tolerari: ita ut ipſi ſoli in negotiis Ec-
„cleſiaſticis eſſent judices, Magiſtratus
„vero judiciorum Eccleſiaſticorum exe-
„cutores. Recruduit hæc contentio,
„quando de reviſione Confeſſionis &
„Catechismi, & de convocatione Sy-
„nodi, ad decidendas de prædeſtina-
„tione divina exortas Controverſias di-
„ſceptari cæptum eſt. Eccleſiaſtici
„conſiderationes, ſi qui aliquas habe-
„rent, ſibi exhiberi voluerunt, & Sy-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„nodum conſcribi, in qua ipſi de con-
„ſiderationibus iſtis, & de omnibus
„exortis controverſiis peremptoriam
„pronuntiarent Sententiam: idque ani-
„mis adeo calidis urgebant, tantaque
„affectuum vehementia, ut manifeſte
„proderent, ſe omnes deciſioni ſuæ
„prompta obedientia colla non ſubmit-
„tentes, exauctorare, miniſteriisque
„ſuis exuere velle. Ordines vero non
„Eccleſiaſticis, aut Synodis provincia-
„libus, ſed ſibi eas exhiberi mandarunt:
„& quia animis adeo exulceratis, &
„diſputationum æſtu flagrantibus, ac
„nil niſi diſſentientium condemnationem
„ſpirantibus, nullum Synodi exitum
„niſi Eccleſiæ, & Reipublicæ pernicio-
„ſum præſagiebant, tempeſtivum non
„crediderunt Synodum convocare, ſed
„ejus convocationem aliquantiſper diſ-
„ferre, donec animis ſedatioribus ma-
„jore cum fructu Synodus convenire, &
„controverſiæ in Eccleſia enatæ placi-
„de, & amice expendi poſſent. Inde
„Eccleſiaſtici magis magisque indignari,
„Magiſtratum jura Eccleſiæ violare,
„neque poteſtatis, quam a Chriſto im-
„mediate acceperunt, exercitium libe-
„rum ipſis permittere: Magiſtratus ab
„altera parte cauſabatur, Eccleſiaſticos
„ea, quæ Magiſtratus ſunt, ſibi arroga-
„re velle, Magiſtratuique præſcribere,
„quod

„quod post audita Ecclesiasticorum ju- Sæc. XVII.
„dicia, pro sua autoritate ipse Magi- A. C. 1619.
„stratus definire potest. Cum hæc ul-
„tro citroque agitarentur, Joannes
„Utenbogardus in Conventum Ordi-
„num vocatus, in oratione prolixa, qua
„coram Ordinibus se & Jacobum Ar-
„minium contra varias aliorum crimi-
„nationes defendit, Sententiam suam
„de ratione controversias enatas so-
„piendi, fusius explanans, inter alia
„dixit, suo judicio contentiones has
„oriri ex conflictu duarum potestatum
„collateralium: itaque ut contentiones
„sopiantur, collateralitatem (duarum
„nimirum potestatum, Civilis & Eccle-
„siasticæ) debere abrogari. Id dictum
„Ecclesiastici ægerrime tulerunt. Go-
„marus edito libello accerrime in Uten-
„bogardum invehitur, tanquam adula-
„torem aulicum, contenditque Refor-
„matis nonnisi per Calumniam objici
„hanc collateralitatem, eamque locum
„habere in Ecclesia Pontificia, & si-
„gnum esse Antichristi. Huic Gomari
„libello Utenbogardus eruditum oppo-
„suit *tractatum de* Auctoritate *Christiani*
„*Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, in quo
„docuit, Pontificias non collateralita-
„tem duarum potestatum urgere, sed,
„ut ita dicam, superioritatem: quod
„nempe potestas Ecclesiastica Superior

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„ſit poteſtate civili, civilemque pote„ſtatem Eccleſiaſticæ eſſe ſubjectam: „Gomarum vero, eosque, qui cum ipſo „ſentiunt, introducere duas poteſtates „ſibi collaterales, quarum una ab al„tera nullo modo dependeat, quæ ſin„gulæ negotia ſua poteſtate ſuprema „decidant: Quod quoniam cum pace „Reipublicæ conſiſtere nequeat, omni„que bono ordini adverſum ſit, Uten„bogardus inde infert, etiam in rebus „Eccleſiaſticis Magiſtratui Chriſtiano „ſummam ſub Jeſu Chriſto Domino no„ſtro competere autoritatem: & quidem „ſpeciatim in hiſce: Ut in ditione ſua „inſtituat cultum veræ religionis: tem„pla erigat, in quibus cultus ille exer„ceatur, omniaque, quæ ad ordinem „in templis cultumque debite conſer„vandum, ac propagandum neceſſaria „ſunt, dirigat: Miniſtros ad cultum il„lum prædicandum conſtituat, utque „in religione exacte inſtruantur, ut ita „idonei illius ſint præcones, procuret: „Leges ferat de loco, tempore, aliis„que circumſtantiis cultus, omniaque „quæ externum Eccleſiæ regimen, & „Ευταξίαν reſpiciunt dirigat, & pro au„toritate impediat, ne cultus divini „exercitium ullo modo turbetur: Mi„niſtros delinquentes pro delicti gravi„tate puniat: officio ſuo prorſus non „fun-

„fungentes, aut atrociora crimina com- Sæc. XVII.
„mittentes, exauctoret, aliosque ido- A. C. 1619.
„neos officiique sui magis observantes
„in illorum locum substituat: & si quæ
„sunt his similia, quibus externum Ec-
„clesiæ regimen constat. Tractatus
„hic ab omnibus, quibus Dominatio-
„nis Ecclesiasticæ jugum jam a multis
„annis suspectum fuit, quique per Con-
„sistoria novam tyrannidem, Papali
„non multum dissimilem, prout prin-
„ceps Auriacus Philippo Marnixio ob-
„jecit, quæri præsagiebant, pronis
„animis exceptus fuit.

„Ecclesiastici vero certatim contra
„eum insurrexerunt, non aliter, quam
„si toti Ordini Ecclesiastico bellum in-
„dixisset, & jura Ecclesiæ Magistratui
„prodidisset: quin & quidam contume-
„liosis eum traducere Satyris veriti
„non sunt. Et quotquot contra ipsum
„scripserunt, statum controversiæ mu-
„tarunt, aut involute, & intricate
„constituerunt: Ita Utenbogardus Wal-
„læo objecit, dicens, quod cum con-
„troversia duntaxat de externo Ec-
„clesiæ Regimine sit, Wallæus hanc
„efformet: *Utrum institutio, & Dire-
ctio Religionis, sine provocatione, in Su-
prema definitione, supremo Magistratui de-
mandata sit: ita ut, sicut in Papatu homi-
nes mittuntur ad fidem Ecclesiæ, nunc apud*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

nos respiciendum sit ad voluntatem, & mandata Magistratuum, ut conscientiis coram Deo satisfiat.

Ita nempe inter hosce Ministellos ne quidem de ipsa status quæstione consensus erat, quocirca Episcopius ad distinctionem inter Templa publica & privata confugiens, pronuntiabat, *Templa publica esse Magistratus. ac proinde posse Magistratum statuere, quid in Ecclesiis publicis doceri velit. Non quod autoritatem habeat articulos fidei decidendi, eorumque fidem Ministris & membris Ecclesiarum præscribendi; sed tantum quid in publicis templis doceri velit: illis autem nullius conscientia, nisi quatenus de eorum veritate ex verbo divino est persuasa, alligata est: Sed qui Ecclesiæ publicæ Minister, aut membrum esse cupit, illi, quæ ibidem sub Magistratus autoritate prædicatur, doctrinæ, adstipulari debet; & in illis templis omnia, quæ ad* Ευταξίαν *Ecclesiæ spectant, Magistratus autoritati subjecta sunt. Si qui religioni in publicis templis a Magistratu receptæ acquiescere nequeunt, liberum illis esse debet religionis suæ in templis aut ædibus privatis exercitium, neque subditis privatum illud religionis suæ exercitium Magistratus impedire, aut ad suæ religionis, quam falsam credunt, professionem invitos cogere potest, quin subditorum Conscientiis vim inferat, & jura Dei invadat.*

„E con-

„E contrario Gomaristæ judicium „de negotio fidei, Ecclesiæ, hoc est, „Ministris vindicant: Magistratui au„tem gladium tribuunt, ut eum pro „Ministris contra omnes dissentientes „stringat; non enim juxta ipsos, Ma„gistratus, sed Ecclesiæ sunt partes de „hæresi judicare: Magistratus autem, „hæreticos ab Ecclesia judicatos puni„re. Similiter penes Ecclesiam esse „dicunt, omne regimen Ecclesiasticum, „& quæcunque Remonstrantes Magi„stratui tribuunt, illi Ministris & Con„sistoriis vindicant.„ Sæc. XVII. A. C. 1619.

Quod autem Arminiani sua sentiendi ratione proximius ad Catholicæ Ecclesiæ sententiam hac in re accedant, eisdem jamjam Adrianus Saravia objecerat, dicens: *Judicii improbitatem istorum hominum specta. Oppressi tyrannide Papæ Romani ad Magistratus civilis, qualis qualis erat, autoritatem & defensionem provocavimus, & audiri in causa mere Ecclesiastica postulavimus, & tunc nihil non potestatis civili Magistratui tribuebamus, quisquis ille esset. Hujus rei testis est epistola ad Hispaniarum Regem, & Ordines Belgicarum provinciarum, quæ olim præfixa fuit Confessioni fidei Ecclesiarum, & tecum reputa, cujus religionis illi fuerint, quantum tamen illis tribuerimus in fidei negotio. Illisque porro objicit,* *Epist. Eccl. & Theol. ad Utenb. epist. 181.*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

quod suæ aristocratiæ tribuant illam autoritatem in rebus Ecclesiasticis, quam Papa tribuit suæ Monarchiæ.

Ceterum Arminiani palam declarabant, quod Dordracensem *Synodum pro legitimo controversiarum Judice non haberent, atque ideo ejus judicium nullum apud se suasque Ecclesias habiturum sit pondus:* ipse etiam Balcanquellus in epist. ad Carlettonum Angliæ Legatum hoc anno die decima nona Aprilis hanc Synodum reprobat, eoquod Gomaristæ *tanto fervore ad opprimendos Arminianos exæstuassent, ut omni opera id egerint, quo verbis ipsorum eam affingerent sententiam, quam iis inesse nullus Grammaticus opinabitur:* . . . unice ideo, ut quid in eis damnare possent, invenirent, *eosque odiosos redderent, quamvis verba ipsorum contrarium ejus, quod iis affingebant, præseferrent.*

§. LXIX.

Dordracensis Conciliabuli sententia contra Arminianos.

Bellus l. 3. pag. 324. Jæger Hist. Eccl. l. 9. c. 9. Neuvill. hist. d'Holland. cap. 15.

Annum hujus sæculi decimum nonum infamat denique Calvinianæ, quam æquiori jure Hispana crudeliorem vocare potuissent, Inquisitionis sententia, quam Gomaristæ, qui inverso juris ordine actores pariter & testes, ad extremum

Sæc. XVII. A. C. 1619.

mum vero suamet in caussa Judices simul & carnifices erant, in Arminianos ob immotam doctrinæ suæ defensionem pronuntiarunt; postquam enim in suo Dordracensi Conciliabulo habitis centum quinquaginta quatuor Sessionibus Arminianam doctrinam, velut *erroribus permixtam* cum anathematis fulmine proclamaverant, die vigesima quarta Aprilis de capitali pœna in Arminianos decernenda consultabant: Huic judicio seu verius latrocinio interesse recusabant Angli Pastores, caussati, se nonnisi ad dogmatis discussionem huc advenisse, nullam vero sibi utpote alienigenis in Arminianos Belgii subditos jurisdictionem competere. Idem quoque reponebant ceteri exterarum Regionum Ministri, qui unaomnes, exceptis Embdanis, & Genevensibus, in Gomaristas Batavos insurgebant, eoquod Arminianos, perinde ac si essent patriæ, quietisque publicæ perturbatores, ad mortem & supplicia damnare præsumerent, cum tamen id Ecclesiastici fori limites excederet. Horum oppositio tantum profecerat, ut Gomaristæ, ne eorum Conciliabulum cum summa infamia dissolveretur, adhucdum sententiæ severitatem temperarent, atque Arminianis tum nonnisi objicerent, quod de corrupta Religione, dila-

Dupin. Hist. d'Eccl. t. 4. §. 29. Hallef. Hist. Dordrac. Concilii.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

dilacerata Ecclesiæ unitate, maxima populi offensione, ac denique de contumacia contra Magistratus & Synodi decreta convicti essent, proin omnibus suis officiis exui mererentur. Porro hæc eorum sententia die sexta Maij in Dordracensi Templo fuit promulgata. Cum autem Gomaristæ in sua ad Canones præfatione summum Pontificem *Antichristum* nominare non erubescerent, hæc convitandi libertas Anglis stomachum movebat; quocirca Synodi auctoritatem atroci hac injuria imminui, haud immerito veriti, declarabant, quod ea res ampliorem deposceret discussionem, quæ tamen a Synodi „utpote contra Catholicos nequaquam „congregatæ proposito aliena foret, nul„latenus vero Synodi Patres deceret, „quorumdam hanc convitiandi liberta„tem sibi absque omni approbatione, & „auctoritate arrogantium vestigia sequi; „præcipue cum nulla adhuc Reforma„torum Ecclesia hanc licentiam usurpa„verit, exceptis Franciæ Hugonottis, „qui tamen hunc ipsum articulum ex „sua fidei professione delevissent, „hocque pacto tacite impactam Pon„tifici calumniam revocassent.„ Nihilominus Angli hac sua moderatione apud furiosos hosce Gomaristas haud amplius impetrare poterant, quam ut huic

huic verbo: *Antichristus*, adderent: *Romanus*, hacque ratione Papam a vero Antichristo distinquerent. Præterea Angli, cum Gomaristæ in suæ fidei professione Ministros ubique æquali potestate & auctoritate pollere declararent, huic articulo utpote Anglicanæ Ecclesiæ contrario acriter sese opponebant, atque inter eos Tassensis Episcopus habito sermone demonstratum ibat, quod nec ab Apostolis, nec novissimis temporibus unquam inter Ministros hæc æqualitas exstiterit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. LXX.

Severior sententiæ in Arminianos pronuntiatæ executio.

Hucusque Arminiani a Mense Februario usque ad finem Mensis Julii Ordinum jussu in Dordracensi civitate captivi detinebantur, quamvis ter repetito supplici libello dimitti postulassent, exponentes, quod hæc severitas non modo libertati, ac patriæ legibus, sed ipsi etiam juri naturæ & gentium adversaretur: Incassum autem erant eorum preces, qua tamen inhumana agendi ratione Conciliabuli auctoritas penitus eversa est, ac non pauci (*) hanc

Bellus & Jæger. l. cit. Joan. Franc. Relat. 37.

(*) Vossius, Grotius, Barleus, Bertius, Grevius &c.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

hanc Synodum velut Tyrannicum, & illegitimum conciliabulum ſuis calamis depinxerunt. Necdum tamen violenta miſerorum detentione ſatiata erat vindicta Gomariſtarum, qui præter Joannem Olden - Barnefeldium ſupremum Hollandiæ Advocatum, etiam Grotium, & Rumoldum Hogerbetſium Syndicos tanquam præcipuos Arminianæ factionis defenſores ex Hagienſi carcere ad cauſſam dicendam evocarunt. Præter hos Joannes Uytenbogardus celebris Arminianus Miniſter, Polus Conſul, & Harlemenſis Syndicus, nomine Hannius, Daniel Treſelſius, pluresque alii in jus vocabantur, eorumque delictis pœnæ decernebantur, & quidem nonnullis aqua & igni interdictum, alii poſt redactas in fiſcum facultates in exilium, & præcipue Uytenbogardus, licet fuga exceſſiſſet, necnon Hogerbetſius & Grotius in perpetuum carcerem, Hannius vero in annos quindecim, in biennium Weſelius adjecta bis mille aureorum mulcta relegati ſunt. Mersbergius vero Ultrajectenſis Conſul, eoquod uxoris ac prolium lacrimis expugnatus, ſociorum abditiſſima quæque Quæſitoribus detexiſſet, in annos aliquot ſuummet in domicilium ademptis, bonis detruſus eſt. Denique Ledenbergius, qui voluntaria morte crucia-

Epiſt. c. 6. op. Theol. tom. 11. pag. 525. Limbro. l. c. pag. 20.

cruciatus quidem præverterat, hostium suorum tamen crudelitatem, propriamque infamiam non evasit; in mortuum enim ejus corpus adhuc sævitum, illudque Sarcophago inclusum e furca suspensum fuit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Porro hac acerbitate, ac hæreticidio iniquissime vim libertati conscientiarum fuisse illatam querebantur Arminiani, eoquod I. subscribere coacti fuissent *decisioni dogmatis, quod hactenus in Ecclesia sua indecisum fuit, quodque nulla ante Dordracenam Synodum definire ausa est*: II. compulsi fuissent publice profiteri doctrinam, quam juxta dictamen suum crediderunt falsam, III. simul a cætibus exclusi essent, quo tamen facto libertas tolleretur, eo potissimum nomine, quod Calvinistæ Hollandi libertatem conscientiæ opprimi, Hispanis objecissent, etsi hi illis in ædibus privatis fidei suæ exercendæ libertatem concedere voluerint: Ita nempe Gomaristæ conscientiæ libertatem Arminianis concesso Religionis usu privato tolli negabant, aufferri autem eam sibi affirmabant, dum illum eis Catholici concedebant; Arminiani autem conscientiæ libertatem eo usque extendendam esse contendebant, quo eam unusquisque non ex arbitrio partis dominantis, sed ex natura ipsius libertatis

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tis sibi concedi amaret: *Cum* igitur hac libertate a Gomaristis privati fuissent, Episcopius ita conclusit: Alterutrum *necessarium est, vel Pontificiorum vestigiis insistendum, & Papatus in alios occupandus, ac nemini præter eos, quibus placuerit, libertas concedenda est: vel unicuique Christiano eadem permittenda libertas, quam nobis omnibus ac singulis dari & concedi cupimus.*

§. LXXI.

Judicii acta in Barnefeldium instructa.

Neuvill. hist. d'Hollande cap. 1. l. 1.

Attamen ceteris omnibus captivis eminebat Joannes Barnefeldius, qui sicut auctoritate ac potentia sua Arminianorum studium, affectumque sibi ferme soli conciliabat, ita in se unum implacabile Gomaristarum & Auriaci Principis odium accersebat. Promovebant infaustam hujus Viri sortem, eumque perdendi aviditatem tumultus ab Arminianis nuper Alcmariæ & Hornæ suscitati, quibus faculam subdidisse Barnefeldius credebatur. Hoc igitur obtentu Mauritius, & Gomaristæ freti, secretiore inter se capto consilio in eum jam antea vinculis detentum judicii acta instruere decreverunt. Enimvero patriæ leges dictabant, hunc reum nonnisi ab Hollandiæ & Westfrisiæ Ordinibus

dinibus esse judicandum, prævaluit tamen Gomaristarum invidia, qui his exclusis nonnisi suæ factioni addictos numero viginti sex Judices nominabant, ne huic judicio major, quam Synodo integritas esset. Hi ergo quantumvis pluribus ex titulis suspecti, atque incompetentes essent Judices, instantibus tamen magnopere Ordinum Proceribus ante Paschæ solemnes dies quæstionibus finem, actionibusque justitium imponere festinabant: quocirca criminum, quibus ipsum insimulabant, capita reo mox offerunt, quæ tamen ipse diebus aliquot pernegabat, tandem vero injecto tormentorum, quibus ferendis senio exhaustum corpus impar erat, metu expugnatus, propositis accusationum articulis subscripsit. Tum vero sententiis in rei exitium corrogandis datum est initium, brevique in eum pronuntiata est mortis sententia, eo quod Arminianæ sectæ doctrinam esse tolerandam suasisset, Religionem in Provinciis receptam turbasset, Deique Ecclesiam contristatus esset, docendo, quod *juxta Reformationis Calvinianæ leges Magistratus quoque Politicus jus & Imperium habeat in Ecclesiastica, atque ad illum etiam inquisitio & cognitio de fidei rebus pertineat.* Hanc doctrinam Gomaristæ *exorbitantem & perniciosam* vocabant,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

cabant, quamvis usque ad illa tempora Hollandi juxta unionis pacta Ultrajecti anno 1579. art. 13. stabilita hanc ipsam doctrinam inter præcipua libertatis suæ privilegia numerarint, atque ipsemet Guilielmus Arausicus Princeps Mauritii Parens, ut Catholicis petitam Religionis suæ libertatem denegare posset, hujus doctrinæ obtentu usus fuerit, Fœderatisque Ordinibus, qui Bruxellis congregati erant, responderit, *quod circa Religionis libertatem nihil absque Hollandiæ & Zelandiæ Ordinum, ad quos etiam hujus rei cognitio pertineret, statuere* posset. Ceterum plura adhuc alia in Rempublicam crimina, numero facile triginta sex objectabant, quæ Judicum a Francisco Aerssensio, aliisque Barnefeldii hostibus corruptorum iniquitas ad satiandam Arausici Principis invidiam adinveniebat, quin ea diluendi, vel sese purgandi facultas reo fuisset concessa. Igitur exequendæ huic sententiæ præfigitur dies decima tertia Maij, quo comperto Maverius Franciæ Regis Orator Fœderatos Ordines accessit, eosque Regis sui nomine rogavit, quatenus sententiæ executioni supersederent; sub idem quoque tempus alius præter ordinem Parisiis Hagam ablegatus Orator Gallici Regis literas detulit, quibus Ordines monebantur, ut

Vid. Supra pag. 249.

Neuvill. pag. 176. & 177.

ut hujus Seniculi vitæ parcerent, & se erga illum, qui vitam suam eorum obsequiis litaverat, benigniores exhiberent: Verum ad Regis monita clausæ erant Ordinum aures, atque in veniam inexpugnabilis animus Arausici Principis, qui denegatæ postulationis contumeliam se apud Ludovicum XIII. Franciæ Regem purgaturum, ac Jacobi Angliæ Regis pariter Barnefeldio infensi deprecatione justam Christianissimi Regis indignationem placaturum pollicebatur.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. LXXII.

Barnefeldius capite plexus.

Dies erat duodecima Maij, & quidem Dominica, qua Ordinum jussu Prætor Barnefeldio posterum in diem, horæ supremæ necessitatem indicabat. Ad mortis nuntium primo commotus, mox tamen collecto spiritu sedatus id unice quæsivit: *Meusne Grotius quoque morietur, & Hogerbertius? Juniores sunt, multum adhuc obsequii Reipublicæ præstare possent*, quibus dictis duo Verbi Calviniani Ministri Joannes Lamotius, & Antonius Walesius custodiam ingrediebantur, ab Ordinibus immissi, ut moriturio Barnefeldio *puram Calvini doctrinam* inculcarent, Arminianam autem peni-

Jæger Hist. Eccl. l. 9. cap. 9.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

penitus evellerent, ac denique perituri corporis mentem æternitati componerent. Ad hos igitur conversus Barnefeldius rogabat, ne Arminianis graves essent, ut quieta Respublica esse valeret. Postea ex Judicum venia sequentes literas ad conjugem, liberos, generum, & Nepotes perscripsit:

Saluto vos omnes peramanter. Hac ipsa hora ad me defertur nuntius durissimus, ac tristissimus, nempe ut ego senex pro omnibus officiis, tot annis bona semper & optima fide Patriæ præstitis, postquam excellentissimum Principem sincero affectu (tot annis, & quibus potui servitiis, quantum per munera publica & vocationes licuit) humilibus obsequiis coluerim, multis ex omni hominum genere benevolentiam exhibuerim, nemine mortalium, quod sciam, injuria affecto, ad mortem crastino die sufferendam præparare me debeam. Consolor me in Domino Deo, qui & omnium corda novit, & omnes, quotquot sunt homines, est judicaturus: Obsecro, ut & vos omnes iidem facere velitis. Dominis meis Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinibus, nempe Dominis Nobilibus & Civitatibus, animo Sincero, probo, & fideli inservii, necnon Dominis Ordinibus Ultrajectensis Provinciæ, utpote Patriæ meæ Supremo Magistratui: ipsis petentibus sincerum Consilium dedi, & fidele, ut a Seditione populari,

pulari, & Sanguinis effusione, a qua jam dudum ipsis periculum imminuit, liberarentur. Eædem erga civitates Hollandiæ intentiones meæ, nempe ut, nemine læso, omnes protegerentur. Vivite inter vos in charitate & pace. Rogate pro me Dominum Deum omnipotentem, qui nobis omnibus sancto suo præsidio aderit. Ex tristitiæ Cubiculo 12. Maij 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Vestri amantissimus,
Conjux, Parens, Socer & Avus,
Joannes ab Oldenbarnevelt.

Altera die Barnefeldius, constructo interim ferali pegmate, coram Judicibus comparere jubetur, criminum seriem, mortisque Sententiam perceptur us. Hic quidem ad dictatum mortis supplicium non exhorruit, cum vero de bonis suis fisco adjudicandis actum, commotior hæc regessit: *Vos Judices condemnationi indidistis, quæ in mea confessione non habentur: sperabam quoque, satiatos fore Ordines Fœderatos vita, & sanguine meo, bona autem uxori, meisque liberis relicturos: id ergo præmium est pro quadraginta annorum præstitis obsequiis?* Verum surdis auribus fabulam canebat Barnefeldius, jam prius ab æmulorum invidia damnatus, quam perduellionis crimine convictus. Hora igitur ejus-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

dem diei nona ad funestum deducitur theatrum, sequente eum Lamotio Prædicante, quocum Barnefeldius preces ad Deum fudit, cumque ad hæc pervenisset verba: *in manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, ipsi caput uno ictu abscissum est, quod unacum cadavere in ferali loculo repositum in interioris Atrii fano terræ mandatum fuit. Hunc denique vitæ exitum habuit Barnefeldius septuaginta trium annorum senex, Batavinæ Reipublicæ Cato, rerum Politicarum scientissimus Magister, maximæ, primariæque auctoritatis Vir, & præcipuorum Europæ Principum oraculum, in quod Superi fautores compromisisse videbantur tanquam unicum contentionum omnium arbitrum longe consummatissimum. Carpitur tamen ferme ab omnibus, genius ejus factiosus, atque ad multa novanda semper intentum, inquietumque caput; inde provenisse ajunt immoderatum ejus studium in tuenda Arminianorum nova secta, & quamvis eum sub defecationis Calvinismi defendendi obtentu Provincias sibi addictas jurisdictioni Fœderatorum Ordinum eripere molitum fuisse, Gomaristæ falso sparsissent, omnino tamen certum est, quod pro Arminianæ sectæ commodis semper immotus steterit, eoque nomine a suis tanquam certissimus

Limb. Rel. Hist. p. 22.

tissimus Religionis Calvinianæ Martyr proclamatus fuerit: Unde illa die, qua Barnefeldius decessit, necnon altera adhuc die, Arminiani maximo numero ad supplicii locum confluxerant, qui Sabulum Martyris sui sanguine tinctum colligentes in pretiosis phialis religiose asservabant, quin ullus hosce fanaticos a superstitioso suo fervore absterrere auderet: Ceterum ex Gomaristis ferme omnes Barnefeldium tanquam hæreticum, ut vocabant, qualificatum traduxere: attamen Calviniani Pastores, ut ait Limborkius, *sub voce hæretici pro arbitrio ludunt, & nunc illos, nunc hos eo nomine censent, ut sive pro hæreticidio stent, sive contra, callide in utramque partem sese possint vertere.*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Neuvill. pag. 179.

§. LXXIII.

Barnefeldii epistola ad Ordines Generales Hollandiæ & Frisiæ Occidentalis.

Infelix hic Barnefeldius, ut Adversarios suos forte meritorum recordatione ad miserationem flecteret, Hagæ Comitis imprimi curabat quamdam epistolam, in qua fusius sua in Rempublicam merita Ordinibus Hollandiæ & Frisiæ Occidentalis exposuit, quoniam vero ibidem multa aperiantur arcana,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

præcipua exin decerpere, hucque referre libuit: Erat autem tenoris sequentis.„ Advocati patriæ est, eam juste defendere, congregationes Ordinum Generalium procurare: Libellos supplices, & Demonstrationes ad ipsos recipere, & suo tempore offerre, omnia ipsis proponere; de his cum Nobilibus consulere: & post deliberationem, quod conclusum fuerit, vel uniformiter, vel secundum plura vota, omnibus declarare, & rationibus confirmare: deinde opiniones civitatum petere, secundum plura vota procedere & quod conclusum fuerit, ut effectui mandetur, curare.

Hoc munus vacavit in Hollandia, & Frisia Occidentali, anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto, quando prædecessor meus Dominus Paulus Buys eidem renuntiavit. Et quando ex parte Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis, anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto cum aliis Nobilibus, & ex Civitatibus designatis, in prima mea legatione missus eram ad Regiam Majestatem Angliæ, idem Buysius, ex parte Ordinum Ultrajectensium, in Angliam mittebatur. Post reditum meum ex Anglia, eodem anno, postquam duos tractatus cum suæ Majestatis Commissariis iniveramus, sincerum meum animum

mum erga Principem Orangiæ, & suam Excellentiam, Principem Mauritium, aperui: diligentem tunc operam dedi, ut gubernatio Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis conferretur earum Ordinibus, ante adventum Comitis Leycester, quem existimabam eandem prætendere, prout in Brabantia moris erat, & ut in Anglia intellexeram. Atque ita conclusum fuit secundum plura vota, non tamen sine magna contentione.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

In fine anni millesimi quingentesimi octogesimi quinti, postquam Comes Leycester in hac patria ubique magno triumpho exceptus, & Hagæ in principio anni millesimi quingentesimi octogesimi sexti, tanquam Gubernator Generalis, cum amplissima potestate, erat receptus; & Dominus Paulus Buys inter Ordines constitutus erat ex parte Provinciæ Ultrajectinæ; placuit Equestri Ordini, Nobilibus, & Civitatibus Hollandiæ & Frisiæ Occidentalis, hoc munus Advocati patriæ, alteri conferre. Tunc aliqui Nobilium, & Civitatum mittebantur Rotterodamum ad Magistratum; & me, ut hoc munus mihi offerrent, & ut liberari a Magistratu Rotterodamensi postularem.

Multis rationibus conabar me excusare, ob defectum necessarium partium; tum ad evadendam æmulationem;

Sæc. XVII. A. C. 1619.

nem; tum denique ob alias causas: quæ tamen nihil profuerunt. Itaque hoc munus acceptare debui. Duas tamen petebam conditiones. Una erat, quod si vellent patriam Hispano tradere (quod non sine rationibus prægnantibus suspicabar) ipso facto ab hoc munere liberatus essem.

Altera, ut contra voluntatem meam non mitterer extra patriam: tum ut negotiorum continuam seriem habere possem: tum etiam ut Ordo a me institutus, in absentia mea non inverteretur.

Itaque grave hoc onus assumpsi in principio Martii anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto, & omnem Ordinem turbatum inveni. Omnis auctoritas erat penes Comitem Leycester. Princeps Mauritius, & Comes Guilielmus ab eodem Comite suarum Gubernationum auctoritatem accipiebant. Zelandi de sua *Quota* disputabant, in onus Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis. Collegia supremi, & Provincialium Conciliorum, Quæstores, & Magistratus Hagensis, ita Ordinibus Hollandiæ adfecti erant, ut verbis & scriptis dubitarent, an Ordines Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis sufficientem haberent auctoritatem, ut quotizationem suam (ut vocant) seu contributionem exequi possent. Multi Rectores civitatum,

tatum, Ordinibus male affecti, ob difficultates inter illos ortas. Sæc. XVII. A. C. 1619.

Multi verbi Dei Ministri non amplius Ordines agnoscebant: apud Comitem Leycester agebant, insciis Ordinibus, pro Synodo Nationali. Militares viri in verba Comitis Leycester jurabant: & plebs magna ex parte Ordinibus male affecta: civitates, Graviensis, Venlonensis, & aliæ paulopost occupabantur ab Hispanis; Nuyssensis vi oppressa. Res Financiarum (ut vocant) seu contributionum valde confusæ: in sumendo mutuo duodecim pro centum dabantur ad interesse; & duo pro centum procurantibus. Onera multo graviora proventibus.

Vid. Supra pag. 241.

Comes Leycester multa edebat *Edicta*, in quibus proprio nomine utebatur, & Sigillo. Navigationem non tantum intestinam, sed etiam vicinorum regnorum & locorum, *Edictis* sibi volebat subjicere. In his omnibus valde perplexus eram: sed Deus animum addebat, ad has difficultates optimo modo superandas.

Excessus notabantur a primariis viris, inter quos erat Præses Vander-Myle, in rebus publicis tunc maxime versatus, & etiam ab aliquibus Equestris Ordinis & Civitatum agebatur de bello abbreviando. Non multo post

Ultra-

Sæc. XVII. A.C. 1619. Ultrajecti magna fuit mutatio: multi Seniores cives non tantum privabantur officiis, sed etiam urbem deserere cogebantur. Regimen penes extraneos. *Belleciere*, Flander, creabatur Præses: *Agileus*, Brabantinus, Procurator Generalis: Prætura, Consulatus, & Quæstura Dominiorum, penes Brabantinos erant, & Flandros; & sic de ceteris. Paulus Buysius capiebatur. Reformatio Ecclesiæ Jacobi (in principio a primariis ibi instituta) non satis pura: propterea fuit mutata.

Et quasi hæc non sufficerent, agebatur, ut nomine *Tribuni plebis* instrumentum aliquod componeretur, quo Provincia Ultrajectina Reginæ Angliæ, tanquam Dominæ traderetur, sine ulla conditione, pro suo arbitrio. Interea Ordines Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis, solliciti erant promissa sua Comiti Leycester præstare. Deponebant querelas, ut de excessibus audirentur: sed verba & voces. Comes Haga discedebat, ut per Doesburch, & Zutphaniam ad bellum procederet. Machinatio Jacobi Reingout, & Stephani Paret, in lucem prodibat, & ex Chartis Reingout ostendebatur mutatio Ultrajectina ipsius consensu facta, & quod *vetus fermentum* ibidem *expurgari* deberet.

1. *Cor.* 5.

Decre-

Decreta Synodi Nationalis divulgabantur: Ordines Generales faciebant difficultatem in approbandis illis, ſine Provinciæ ſuæ conſenſu Ordinum: in quo Ordines Generales graviter offendebant. Scribebatur, & prædicabatur contra ipſos. Ordines Hollandiæ aliquantulum tempori ſerviebant, & Decreta per proviſionem admittebant, ita tamen, ut Ordo Equeſtris, & Civitates, jus ſibi retinerent, aſſumendi Miniſtros Eccleſiæ, & deponendi. Comes Leyceſter & Concilium Statuum inſtrumentum dabant approbationis. Ordines de concionibus Seditioſis conquerebantur: ſed dubie reſpondebatur, quod bene aliter compellerentur prædicare. Ordines petebant depoſitionem Reingout: quæ in præſentia Comitis admittebatur: de qua diſcedens dicebat: *Nunc mea auctoritas eſt amiſſa.* Reingout jungit ſe Hiſpanis, & moritur Papiſta. Sæc. XVII. A. C. 1619.

Comes Leyceſter, volens in Angliam diſcedere, occulte egerat in Hollandia, ut Princeps Mauritius cum eo iret, cujus iter ego impedivi, ut mihi in plena Congregatione fuit objectum: & cum Comiti Leyceſter ejus excuſatio proponeretur, dicebat, ſe bene intellexiſſe, quomodo res fuiſſet acta.

Comes Leyceſter deſcendens, duplex hic relinquebat inſtrumentum de nego-

Sæc. XVII. A. C. 1619. negotiis publicis. Post discessum Comitis Standley, & Jorck, proditorie tradebant Hispanis Dauentriam, & Arcem ante Zutphaniam, ut postea Paton Geldriam. Ordines Generales, in principio Februarii scribebant Comiti Leycester, atque etiam Angliæ Reginæ, deponentes querelas, tam de actionibus Comitis, quam suarum creaturarum. Tunc Ordines extollebant auctoritatem Principis Mauritii, tanquam Gubernatoris, ac Comitis Hohenloe tanquam Vicarii Generalis, tradentes illis octoginta cohortes militum pro defensione patriæ.

Comes Leycester volens redire in hanc patriam anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo suum præmittebat Secretarium, cujus intentio, & instructio, mea industria fuit cognita, & illi adempta. Comes redit in patriam: perdit civitatem Sluys. Plebs Middelburgensis seditionem excitat, in loco Abbatiæ. Comes prædictam seditionem fovet, & proficiscitur Dordracum. Ordines ad illum mittunt pro alia rerum dispositione: interea mihi ipsius nomine significatur, ut proponam agendum de pace cum Hispanis. Ego conceptum illum manifesto. Quod ubi Comiti innotescit, ille jurare, pejurare, & sibi hoc commissum negare.

Velo-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Velociter Hagam venit, mittens cohortes aliquas militares in terram Mosanam, & portum Delfensem.

Consiliarii, Wyngaerden (postea Præses) & Casenbroot, de nocte ad me veniunt, ut mihi significent, Comitem de me cogitare, ut me capiat, & in Angliam mittat. Noctu Delfum proficiscor: ubi intelligo, rumorem esse in Zelandia, & Principe Mauritio, me & aliis ex Ordinibus in Angliam mittendis. De hac re Delfi initur Consilium, & concluditur, ut Princeps Mauritius sequenti die Haga discedat, sicut factum fuit. Domini Balcke, & Loosen eodem die ante prandium, ad me veniunt Delfum, ut mecum agant de reditu Principis Mauritii: sed frustra.

Comes Leycester intelligens, Principem Mauritium, & Comitem Hohenloe, milites aliquos congregare, Ultrajectum discedebat: ubi negotiis pto arbitrio compositis Ecclesiæ (per quam Amstelodamum intelligebatur) dominari putabat. Sed conceptuum illius manifestatio, & Hollandica fortitudo Consulis, & Tribuni militum, Petri Boom, ipsius conatus impediebant. Comes discedebat Hornam; & Sacello (per quod Euckhuysia designabat) dominari cogitabat. Sed boni cives, ipsius conatus intelligentes e civitate illum excludunt.

Cum

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Cum adhuc ageret Comes in Hollandia Septentrionali, duo nova intelligebat, quæ illi displicebant. Unum erat, ipsius conatus in civitate Leydana non successisse, per quos aliqui captivi erant, alii fugitivi: paulopost Cosmam, Tribunum militum, Maude, Ducem militum, & Jacobum Valmaer, Ecclesiæ Seniorem, morte punitos.

Alterum, ipsius petitionem de non agendo pro pace cum Ordinibus, in Anglia non fuisse admissam: & de novo illi mandatum, ut per se vel alium Anglum, de pace agenda Ordinibus proponeret.

De quibus duobus dicebat tempus esse, ut sibi de capite caveret. Et magna diligentia, non sine apprehensione, proficiscebatur Ultrajectum, inde Dordracum, Inde Ulyssingam, & ita in Angliam.

Agente Comite in Hollandia Septentrionali, erant Comitia Ordinum Harlemi, ut viciniores essent difficultatibus occurrentibus. Ubi extraneus Magistratus Ultrajectinus, tum literis, tum etiam diversis Prædicantibus, verbalibus, propositionibus, instabat multum, ut Comiti ab Ordinibus major conferretur auctoritas: ad quod animose satis illis respondebatur. Incredibile est, quantis laboribus, non minus, & pe-

& periculis, binos illos annos transegerim: & quanta animositate difficultates superatæ, & patria præservata? Sæc. XVII. A. C. 1619.

Quo ad pacem a Comite propositam primum, tum per extraordinarios Legatos a Regina Angliæ petitam; compertum est, hoc negotium in Comitiis statuum Generalium, inter deputatos Provinciarum, etiam inter membra & Civitates Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis, insuper inter Prædicantes, & populum conceptum esse, ut Regina ad talem petitionem induceretur: ita ut singulari labore, difficultate, & dexteritate, ad cavendam Provinciarum divisionem (inter quas Frisia ita pro pace zelabat, ut illius deputatis commissum esset, non tantum paci consentire, sed etiam de componenda illa serio cogitare) opus esset, qua in Angliam ad Reginam commissarii mittebantur, ut varias hujus negotii difficultates, & considerationes illi aperirent, quibus perspectis, & ponderatis, secundum prudentiam suam responderet. Quibus missis, Ordines honeste a pace tractanda excusabantur.

Quales obvenerint difficultates, anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo & nono ob seditiones Medeblicensem, Montium Gertrudis Huesdanam, & ob alias varias urbes, & Fortali-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

talitia, componenda: quid Princeps Mauritius Concilio Anglicano ſcripſerit, ad demonſtranda injuſta Snoii comercia, prætextu Religionis: qualis diligentia contra claſſem Hiſpanicam adhibita: contra intentionem, & propoſitam vim Principis Parmenſis: contra civitatem, & Fortalitia Bergæ Zoomenſis, atque etiam terram Tholenſem, adhibita; quanto negotia Provinciæ & Civitatis Ultrajectinæ, in mutando illegitimo Magiſtratu, ſucceſſerint: quomodo Acta in pace componenda inter Anglos, & Hiſpanos, mihi innotuerint: quomodo invaſio Caſtri Bredani præmeditata: quomodo Gubernationes Geldriæ, Ultrajectinæ, & Tranſiſolanæ, mea induſtria, & opera, ſuæ Excellentiæ commiſſæ: quomodo Neomagum, & Gravia occupata atque Fortalitium ultra Neomagum extructum; invaſa Fortalitia, Heydanum, & Steenberganum: quibus mediis hæc omnia præparata, directa, & ad bonum finem ſint perducta, usque ad conatus anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi primi, quando Zutphaniam, Dauentriam, Delſzyl, cum aliis propugnaculis, & circumjacentibus; Hulſtum, & Neomagum ſucceſſive eodem anno vincebamus: & quando Princeps Parmenſis notabili damno perdiderit propugnaculum

lum ultra Neomagum: hæc inquam, omnia enarrare, nimis longum esset. Sæc. XVII. A. C 1619.

Hoc tamen dicendum fuit, me etiam in his omnibus præcipuum instrumentum fuisse, atque brevi tempore, auctoritatem vestram majori honore, amore, & favore fuisse auctam, quam unquam antea.

Omnibus negotiis Ordinum, Belli, Politiæ, Justitiæ, & Financiarum, bene compositis, in principio anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi aperui vobis onus officii mei, de quo & alias conquestus fui atque ab eo liberari petii. Quod antea impetrare non potui, cum negotia non satis bene composita: nunc vero, cum omnia satis bono essent loco, serio liberari postulavi; neque aliam mercedem desideravi, quam nullis aliis applicari negotiis.

In seria hac petitione multæ me urgebant rationes: nominatim, quod, cum prædicto anno Exercitum visitassem, gravi premebar colica passione. Sed postulatio mea non fuit exaudita; imo majori honorabar stipendio, atque rogabar, in officio velle perseverare, quod ab omnibus membris, Civitatibus, & Collegiis desiderari declarabatur. In quo debui acquiescere: atque ita ab anno millesimo quingentesimo

Sæc. XVII. A. C. 1618.

nonagesimo secundo usque ad annum millesimum sexcentesimum octavum officium meum continuavi.

Principem Mauritium ab anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo usque ad annum millesimum sexcentesimum sextum inclusive triginta sex diversis vicibus, aut vocatus, aut missus, in exercitu visitavi; ut omnia recte succederent, & dirigerentur, quod etiam factum fuit, & frequenter præter omnium opinionem. Interea quatuor adhuc legationes regias obivi, & ad felicem exitum perduxi. Tractatus etiam de componenda pace, ex parte Cæsaris, Principis Parmensis, Archiducis Ernesti, & Archiducis Alberti, etiam nomine Ordinum Generalium adversæ partis ut non inirentur, allaboravi.

Cum Reges Franciæ, & Angliæ successive cum Rege Hispaniarum, & Archiduce Alberto inivissent pacem; & cum ultimis novem belli annis plura onera sustinuissemus, quam omnes proventus, & contributiones, licet multum auctæ, profuissent, idque ultra viginti sex milliones florenorum: cumque duobus postremis annis, modicum gloriæ fuissemus adepti, & multum damni sustinuissemus, atque in majori essemus periculo, ob duos conatus bellicos

licos infeliciter impeditos: & cum auxilia Germaniæ incertiora essent, & difficiliora, quam antea; ita ut ex onerum incremento, metuendum esset, ne patria ad desperatum perveniret finem; ut ante triennium, Consiliarii & Quæstores monuerant: & cum ultimo triennio, onera patriæ excessissent proventus, intra sex, & septem milliones florenorum: nemini ratione utenti mirum videbitur, quod cum innotuisset, Regem Hispaniarum, & Archiduces, volentes patriæ permittere jura, & libertatem; atque ita cum Ordinibus agere, non tanquam subditis, sed tanquam liberarum Provinciarum regentibus, in quibus nihil prætenderent, ut ad honestum, & certum finem diuturni, cruenti, & pretiosi belli perveniretur, expedire visum sit, hujusmodi tractatui consentire.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

In quo tractatu, cum communi consensu, in præsentia legatorum Regum, Franciæ, Angliæ, Daniæ, Principum Electorum, Palatini, Brandenburgensis, & variorum Evangelicorum Ducum Germaniæ, convenissemus, prima apparuit contrarietas actionum mearum tam in Congregatione, quam per libellos famosos, idque instinctu eorum, & opera, quibus hic tractatus displicebat.

Obsequia mea, unitis Provinciis ex-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

hibita ſunt hæc: Inprimis quod quinque legatiouum Regalium munus obiverim, in quibus quatuor prioribus omnia diremi, & Dux verbi fui. Prima legatio fuit anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quinto, in qua impetrabatur a Regina Angliæ per proviſionem, auxilium quatuor millium militum ad liberandam Antverpiam: deinde promittebatur auxilium quinque millium peditum, & mille equitum, alendum, durante tempore belli: præter milites præſidiarios Brilæ, Fortalitiorum Uliſſingæ, & Rammekeus: quæ civitates, & loca illi fuerunt oppignorata. In ſecunda legatione anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octavo a Rege Franciæ impetrabantur, per annos quatuor, Ordinibus generalibus concedendi tres milliones, & novies centena millia florenorum: deinde ſincerus ſuæ Majeſtatis adfectus, & animus erga Provincias unitas. In tertia legatione, eodem anno a Regina Angliæ impetrabatur, ut ceſſaret a tractanda pace; licet Rex Franciæ cum Rege Hiſpaniarum, & Archiducibus, Veruesiæ pacem iniiſſet. In quarta legatione, impetrabatur a Regina Angliæ, remiſſio tertiæ partis debitorum, nimirum centum, & viginti centenorum millium florenorum: ita ut poſt mul-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

multas difficultates conveniremus in octoginta centena millia pondo: & terminus persolvendæ mediæ partis, nimirum 4000000. pondo, præscribebatur viginti annorum, cum tamen secundum contractum anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto, tota solutio intra quatuor annos fieri debuisset: alterius mediæ partis terminus præscribendus fuit dilatus. In quinta legatione apud præsentem Regem Angliæ concludebatur, ut Rex in Scotia assumeret intra duo, & tria millia militum, in Subsidium Provinciarum unitarum: & consentiebat, ut Rex Franciæ pro illo anno, Ordinibus mitteret tredecim centena quinquaginta millia pondo: duas tertias partes nomine Regis Franciæ, & tertiam partem nomine Regis Angliæ in Solutionem eorum, quæ Rex Franciæ Regi Angliæ debebat. Ex quo contractu, Rex Franciæ pro tertia parte Regis Angliæ, anno millesimo sexcentesimo tertio solvit tres milliones, quadringenta & quinquaginta millia pondo; & pro se duplum; in universum decem milliones, trecenta, & quinquaginta millia pondo. Ex his quinque legationibus regalibus, & contractibus, secutum fuit, Reges Franciæ, & Angliæ concessisse Ordinibus ultra ducenta & quinquaginta centena

Sæc. XVII. A. C. 1619.

millia pondo, quibus Provinciæ unitæ (mea maxime induſtria) liberatæ ſunt: & Obligationes atque civitates oppignoratæ cum fortalitiis redditæ. Secundo, quod omnibus fere reſolutionibus expeditionum bellicarum, tam Secretarum, quam aliarum, ab anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo hucusque interfuerim: & ut ad optatum finem pervenirent, ultra trigeſies ſepties, ſuæ Excellentiæ in caſtris aſſociatus fuerim; interdum uno menſe, interdum plus, minusve, pro negotiorum neceſſitate, in exercitu manſerim. Tertio, quod præcipuum inſtrumentum fuerim, quod plus quam viginti annis, dexteritate quadam, & induſtria, omnes pacis componendæ tractatus, cum Hiſpanis, & illis adhærentibus, negati ſint, quamdiu cum indigenis, ut ſubditis, agere volebant. Qua conditione omiſſa, declarantes, has Provincias eſſe liberas, in quas nihil juris ipſi, aut eorum hæredes prætenderent, & tali qualitate volentes agere cum Ordinibus; contractu jam inchoato, (interventu legatorum, Regum Franciæ, Britanniæ, Daniæ, diverſorum Electorum, & Principum Germaniæ, his Provinciis amicitia, & affinitate junctorum,) de cujus optimo, honeſto & certo fine ſperabatur; cæpi difficultatibus

bus ſummis, laboribus, periculis, & constantia, negotium hoc ad prædictum finem pro parte dirigere, donec contractus fuit concluſus: quo jam decem annis, cruentum, grave, & ſumptuoſum bellum in Belgio ceſſavit. Quarto, quod principale fuerim inſtrumentum ad avertendum pravum, & periculoſum conceptum Comitis Leyceſter, & ſibi adhærentium: & quod infelix illius Gubernatio biennalis, Provincias unitas in ruinam, & manus Hiſpanorum non deduxerit. Quinto cum initio Officii mei, Advocati patriæ, omnia negotia in extrema eſſent confuſione, & nomen Ordinum valde odioſum; quod paucis annis, omnia negotia in meliorem ordinem, unionem, & auctoritatem inter Ordines, ſuam Excellentiam, tamquam gubernatorem, Collegia ſummi, & Provincialium Conciliorum, Quæſtorum, Officiariorum, & Magiſtratuum civitatum, & plebis, ſint deducta. Sexto, quod etiam capita, Admirales, Superiores, Miniſtri juſtitiæ militaris, Colonelli, Capitanei, Officiarii, & milites, terra marique ſervientes, Ordines Hollandiæ & Friſiæ Occidentalis, tanquam ſtipendia ſolventes, agnoverint, fidem & obedientiam juraverint: ſuam Excellentiam, tamquam Capitaneum Genera-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

lem in exequendis resolutionibus, & mandatis Ordinum, debite honoraverint: ut omnibus in publicis functionibus notum est. Quod etiam personæ Ecclesiasticæ, multis annis, ordines tamquam legitimos suos Superiores agnoverint. Ita quod intra triginta fere annos, quibus Ordines interdum ministros habuerunt, intra triginta & quadraginta cohortes equitum, intra trecentas & quadringentas cohortes peditum; & plusquam centum Capitaneos mari servientes, nunquam seditio, aut proditio inter eos fuerit; & communitas in pace, quiete, & reverentia suorum legitimorum Rectorum, sit detenta.

Quæ res extraordinaria, notabilis, & consideranda est, maxime inter tot diversas nationes: cum præter intraneos, intra idem tempus, ministraverint integræ interdum legiones Germanorum, Francorum, Anglorum, Scotorum, Helvetiorum, & Gallorum; interdum pauciores. Qui hæc justo judicio trutinant; & legunt ea, quæ antiquitus contigerunt; atque etiam perpendunt, quæ quatuordecim annis antea, inter nos & durante continuo hoc bello, a parte Hispanorum contigerunt, occasionem habebunt, Deum omnipotentem Dominum laudandi. Omnes

poten-

potentes & Magnates, etiam viri graves, & Docti, de his optime judicarunt. Sæc. XVII. A. C. 1619.

Quibus ordines & ſua Excellentia, non tantum apud intraneos Provinciarum unitarum, vicinos, Reges, Electores, Principes, & Respublicas, longe quoque poſitas; ſed etiam apud Hiſpanos, & ſibi adhærentes in honore maxime, & reverentia ſunt.

Septimo, non parvi meriti æſtimandum eſt, quod etiam præcipuum, & continuum inſtrumentum fuerim, quod fides Ordinum ita creverit, cum ante meum Officium, Ordines nullam fidem haberent, ut ſuo nomine pecunias mutuo ſumerent ad intereſſe; atque ideo magnæ pecuniarum ſummæ, quæſtorum ſuorum nomine, mutuo acceptæ ſint; pro quibus per decem aut duodecim annos, duodecim pro centum ad intereſſe per annum, & duo pro centum pro artefactoria dari debuerint; reditus redimibiles ad duodecim nummum & perſonales ad ſextum nummum, & ut plurimum vi quadam, & auctoritate debuerint vendi; quod nunc in fide Provinciarum, ultimæ pecuniæ mutuo ſumptæ ſint ad nummum decimum ſextum pro intereſſe, & ad tertiam partem pro centum, pro artefactoria: reditus redimibiles ad nummum deci-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

decimum sextum, & personales ad nummum nonum.

Anno eo, quo meum Advocati officium suscepi, Receptor Generalis quinque aut sex annorum computum reddere debebat. Quæstores communium mediorum, aliqui quatuor annorum: Quæstores spiritualium & aliorum bonorum, aliqui multo plurium annorum, quæ etiam reformata sunt, ita ut nunc communium mediorum singulis Semestribus; & aliorum, ut minimum, singulis annis computus reddatur.

In ingressu officii mei, magnis difficultatibus & gravamine poterant ordines Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis, pro generalitate, in sumptus militares, adferre circiter octodecim centena millia pondo per annum: & modo per annum persolvunt quadraginta duo centena millia pondo.

Sed notandum est, quod onera militaria, intra triginta duos hos annos officii mei, ita excreverunt, ordines plura expendere nunc debeant pro particularibus oneribus Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis, quam anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto poterant, tam pro oneribus generalitatis, quam in particulari pro Hollandiæ & Frisiæ Occidentalis; nimirum ultra duos milliones florenorum. Qui tamen ultra præ-

prædicta quadraginta duo centena millia pondo ex proventibus Provinciarum inveniri, & persolvi possunt. Sæc. XVII. A. C. 1619.

Et quamvis melius sit, patriam gravare, quam perdere: prudenter tamen, & caute notandum est, (ut etiam per Collegia summi, & Provincialium Conciliorum, & Quæstores anno millesimo sexcentesimo quarto admoniti sumus) si plus excrescant onera, quam proventus, patriam in extremam ruinam deducendam. Quod si decem ultimis annis, æqualia fuissent onera, decem annorum priorum oneribus, excrevissent particularia onera Hollandiæ, & Frisiæ Occidentalis fere ad quatuor milliones florenorum per annum. Quod (præter alia multa præmeditata, & non præmeditata pericula, & gravamina) per induciarum contractum fuit impeditum.

§. LXXIV.

Comitia a seditiosis Bohemiæ Ordinibus indicta.

Præsagiebant interim futuram hujus anni calamitatem varia ostenta, & quidem Januario vergente prope Francofordiam ingens terræ motus non sine magna populi consternatione deprehendebatur, Nidda quoque fluvius suppres- *Merc. Gallob. t. 12. l. 3. Nicol. Bellus lib. 3.*

so

Sæc. XVII. A. C. 1619. so per tres horas cursu immotus substitit, aliud vero flumen ad Sixtum Ungariæ oppidum versis in cruorem undis universus irrubuit. Attamen hæc alia passim per Europam tristiora monstris his nequaquam Bohemorum Protestantium animos a perversis seditionum machinationibus deterrebant; quamvis enim Cæsar æque ac Ferdinandus Rex illos minis, monitis, oblatis concordiæ mediis, necnon ampla postulatorum concessione ad officium reducere conarentur, nihilominus utrumque bello opprimendi, omneque obsequii jugum excutiendi voluntas tantopere apud eos prævaluit, ut Cæsareis transitum prohibituri Crumlavium intercipere, incassum licet, molirentur, necnon Protestantes Moraviæ Ordines, qui in comitiis suis septendecim gravamina Cæsareis Legatis exhibuerant, ab Imperatoris obsequio avertere, atque ad suas partes attrahere, unice adlaborarent: Nec his contenti Protestantes Bohemiæ directores, insuper ineunte Mense Februario cunctis Ordinibus in arce Pragensi ad diem decimum octavum Maij comitia indixerunt, obtendentes, habere se, quæ ad gloriam Dei, salutem publicam, Religionis libertatem, aliaque privilegia pertinerent, deliberanda. Ita hisce Acatholicis familiare

miliare erat, divinum profanare nomen, eoque ad tegendam seditionem suam abuti. Quoniam vero anno priori petentibus Moraviæ & Silesiæ Ordinibus Mathias Cæsar sub conditionibus ad Saxoniæ Electoris arbitrium præscribendis armorum suspensionem fieri annuisset, hancque in rem Adamum Walsteinium ad præfatum Electorem decrevisset, seditiosi Bohemiæ Proceres, cum ipsis nequaquam pax cordi esset, quæsita studiose mora tandem, datis ad Saxonem literis petebant, ut ipse „prius bene perpenderet, quibus me„diis de hac armorum cessatione, at„que induciis non violandis, præstan„daque omnibus indemnitate sibi a Sile„siis tuto caveri posset, cum omnes „turbæ ex non servatis promissis ori„ginem traxissent, Bucquoius autem „violatis Cæsareis mandatis incendia „in Regno continuarit, & Tampiren„sis Comes durantibus adhuc induciis „in Kinsbergii ditionem impetu facto, „violandis induciis caussam dedisset.„ Hæc illi ad Saxoniæ Electorem, nequiter subticentes, quod prius ipsimet, violata promissi fide, neglectisque Saxoniæ Electoris & Bavariæ Ducis hortationibus, Pilsensem urbem expugnassent, collectisque magno numero copiis in Austriam irrupissent, Svethaliam,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

liam, aliaque loca Cæsaris fidei addicta occupantes universum Regnum in Cæsarem concitassent, captaque Pilsna, per suos Præsidiarios milites Catholicum quemdam Præpositum male admodum habuissent, *cujus petulantiæ*, inquiebat Bavariæ Dux, *si ipsimet Ordines conscii ad eam connivendo taceant, luce meridiana clarius testantur, turbas hasce non ad asserendam Religionem suam, sed Catholicam potius opprimendam factas ab ipsis esse.* Ceterum ad hasce rebellium literas die vigesima quarta ejusdem Mensis Saxoniæ Elector eis respondit, quod si pacificationi per Cæsarem ante undecim septimanas factæ non obstitissent, jamjam de pace agitatum, eaque forte jam confecta fuisset, nunc vero, Cæsare, aliisque ad eam propensis, ad diem decimam quartam Aprilis Conventum Egræ celebrandum indiceret: Ad inducias vero quod attineret, cum conditiones longe difficillimas, & prioribus antea propositis deteriores præscripsissent, ipse potius speraret, quod ipsi talia oblaturi essent media, quæ ad armorum depositionem potius, quam ad suspensionem tantum profutura forent.

Carafa comm. Germ. pag. 66.

§. LXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. LXXV.

Arma utrinque parata.

Cum interim Cæsar ex Protestantium motibus sat probe cognosceret, quod rebelles Bohemi a sincero pacis consilio prorsus alieni essent, quæsitaque mora bellicos Imperatoris apparatus retardare, unice quærerent, hinc per varias Provincias ac regiones militem conscribere parabat, ut rebellium subditorum vim vi repellendo par esset. Verum hic belli apparatus seditiosos flectere adeo non poterat, quin potius cognito hoc delectu mox & ipsi per universum Bohemiæ Regnum, perinde acsi eis supremum in illud jus competiisset, vigesimum quemque arma corripere denuo juberent, eo fine, ut in quocunque loco Cæsar, quem pro solita sua modestia *hostem* appellitabant, impetum facturus sit, sese ei opponerent: Id vero non minus ridiculum, quam protervum erat, quod hi seditiosi, ne palam Cæsarem oppugnasse crederentur, in illius Belliduces, quos tamen ad reprimendos rebellium insultus Cæsar emiserat, totam culpam, & bellici apparatus necessitatem conjecerint, eosque tanquam hostes habuerint, *quorum*, ut subdole spargebant, *tanta fuerat malitia,*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ut nec Cæsari obtemperantes, omnia sub-vertere, & non solum Majestatis diplomata, privilegiisque omnibus, sed vita etiam & fortunis privare Ordines, Regnumque alii possidendum dare conarentur. Nimis vero luculenter patuit horum Rebellium fallacia; cum hi nullum omnino Cæsaris Belliducem, aut fœdere junctum nominare potuerint, qui toto hoc turbarum tempore expeditionem in rebelles hosce Protestantes proprio Marte, aut Cæsaris, Bohemique Regis injussu suscepisset. Num vero Bellidux ille *Cæsari non obediens, vel malitiosus hostis* &c. appellari meretur, qui Cæsaris sui seditiosos reprimentis mandata exequitur? nonne potiori jure hæc calumnia in eos retunditur, qui concitata rebellione legitimum suum Principem ad capessenda arma provocarunt?

§. LXXVI.

Mathias Imperator Augustissimus hoc anno mortuus.

Ludolph. l. 19. c. 2. Barre hist. d'Allemagn. Hist. Grammond. l. 4. Cluverius epit. p. 779.

Ineunte Mense Martio Tampirensis Comes promotis ad Grætsnam castris hoc oppidum ad transitum in Bohemiam situm intercepit, illoque, cum ejus arcem expugnare haud posset, incenso, discessit, Viennam profectus, ubi medias inter hasce turbas, & reducendæ pacis

pacis curas Mathias Imperator, morbis & annis fractus die vigesima ejusdem Mensis hora circiter nona antemeridiana anno ætatis sexagesimo secundo, quem Astrologi climatericum magnum vocant, extinguitur, cum rexisset Imperium annos septem, Bohemiam novem, & Hungariam decem. Erat is secundo genitus Maximiliani II. Cæsaris Filius, Imperator vere pacificus, nec novitatum amans, & quod præcipuum, summa pietate conspicuus, atque in avitæ Religionis cultu constantissimus, quo tamen studio Protestantium, licet necessitate compulsus eis plurima indulsisset, invidiam, arma, imo & convitia sibi accersebat: hos inter Cluverius eundem *amplioris spei quam gloriæ Augustum* nominare non erubuit: non minus proterve spargebant alii, quod Mathias ira in Ferdinandum Regem incensus, minitatus fuerit, se ad Protestantium partes accessurum, ab hoc tamen proposito per Cardinalem Dietrichsteinium deterritum fuisse. Petulantius adhuc nugantur Magdeburgenses Ephemeridum vulgatores, qui auctore Joanne Franco tradunt, quod *Sacerdos haud prius unctioni sacræ manum admovere voluerit, quam anathematis Pontificii vinculis, quibus Mathias (inscius etiam) fuisset innodatus,*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Apostolici Nuntii auctoritate solveretur: qualis vero Ecclesiæ disciplina tradit, quempiam vibrati in eum anathematis usque ad mortem suam inscium ab hac censura solvendum fuisse?

Ceterum defuncti Cæsaris corpus die vigesima quinta Martii ad Virginum Regiarum cænobium deferebatur, exequiis solemni ritu vigesima quarta Aprilis die celebratis, paulo ante vero Parisiis defuncto Cæsari die decima octava ejusdem Mensis a Rege parentatum est.

§. LXXVII.

S. R. Imperii Electores a Moguntino ad novi Imperatoris electionem Francofordiam convocati.

Hist. d'Allemag. Barre Merc. Gallob. t. 12. l. 4. Khevenhill. t. 9. p. 67.

Justis defuncto Cæsari magnificentia ac pompa vere Regia persolutis, Palatinus & Saxoniæ Electores vicariam Imperii administrationem susceperunt: Schwicardus vero Moguntinus Elector pro muneris sui ratione ceteros S. R. Imperii Electores Francofordiam ad novi Imperatoris electionem die vigesima Julii suscipiendam evocabat, reclamante Friderico Palatino, qui res suas, si ad comitia veniret, in discrimen adduci caussatus Moguntinum per suum Legatum Heidelbergam ad privatum collo-

colloquium invitabat, quo etiam Moguntinus venerat, prius tamen cum Electoribus Saxonicis contulit, quid Palatino, Saxone & Brandeburgico comparere recusantibus, agendum esset? Interim vero Egeranæ compositionis negotio per Cæsaris mortem interciso, Ferdinandus Bohemiæ & Hungariæ Rex, cui Albertus Archidux Austriæ possessionem, Regimenque cesserat, mox illud adiit, omnesque harum ditionum populos in sacramentum suum adigere intentus fuit, reclamantibus Austriæ Ordinibus, qui petito deliberandi spatio prius militem inde abduci, suisque querelis remedium adhiberi postulabant. Insuperhabita horum repugnantia idem Ferdinandus datis ad Bohemos Cæsaris defuncti Ministros literis significabat, quod illos in commissa ipsis a Cæsare defuncto vicaria Regni administratione confirmaret, simulque turbis omnibus per privilegiorum confirmationem, finem imponere decrevisset, de cetero autem speraret, quod Bohemi Ordines, postquam eis omnia indulsisset, vicissim sibi obsequium omne præstituri essent. Ne vero eum duntaxat in promissis hærere, pro more suo caussarentur, reipsa ad supremum Regni Burgravium per Adamum Walsteinium Regium diploma transmisit, quo universo

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Bohemiæ Regno sua jura, immunitates, statuta, literas Majestatis, tam in Religione, quam in aliis politicis concessa privilegia, fœdera inter Ordines *sub una & utraque* annis prioribus inita, modo tamen illa ad evertendam fidem Catholicam non tenderent, & aliunde æquis, antiquisque consuetudinibus consona essent, rata habebat. Præterea fidem dabat Ferdinandus, quod arcem Caroloſtadianam conservare, ac nonnisi indigenas Bohemos ad Regni ministeria adhibere, nec monetam Bohemicam diminuere, & denique omnia promissa exacta servare velit.

§. LXXVIII.

Bohemi Protestantes Ferdinandi Regis clementia ferociores effecti.

Priorat. Hist. di Ferd. III. part. 1. l. 1. Pufendorff. l. 1. sect. 25.

Quoniam vero Bohemi Protestantes in sua seditione persistere, atque repudiato Ferdinando alium suæ factionis Regem intrudere decrevissent, factam privilegiorum confirmationem non acceptarunt, caussantes quod Ferdinandus perperam se *Bohemiæ hæredem* nominasset, suasque literas inscripsisset ad eos Regis Bohemorum Administros, quos ipsimet suis officiis dejectos in ordinem redegissent, quocirca Ferdinandum

Carafa Germ.

dum legitimum ſuum Regem, nequidem reſponſo dignati (quæ ſolita hæreticorum ac rebellium humanitas eſt) *multo audacius bellum promovebant, propoſitis ad pacem iis conditionibus, quas vel ipſi admiſſum iri deſperabant.* Præterea datis ad Saxoniæ & Palatinatus Electores literis ſignificabant, quod Ferdinandus, quin promiſſa adimpleret, ad Regimen accedere videretur, eoquod turbarum Authores poſthabito Proteſtantium decreto dignitatibus ſuis reſtitutos velit, novumque militem ubique conſcribat: pariter a Maximiliano Bavariæ Duce petebant, ut Hiſpanorum ſubſidia, quæ jam parata erant, a ſuis finibus arceret. Verum Dux haud ignarus, quorſum hæc ſpectarent, reſpondit, quod a Cæſare, cum adhuc in vivis eſſet, fruſtra petiiſſet, ne copiæ militares per ſuas Provincias iter facerent: nunc vero id prohibere, ſibi haud integrum foret, eoquod vires ad „manus non eſſent, quibus obſiſteret, „cum Bavaria adeo aperta foret, ut ſi „vel maxime vellet, Hiſpanis tranſitum „in Bohemiam prohibere haud poſſet; „maxime cum Imperii leges, mores„que conſulant, amicis, accedente „Cæſaris voluntate, tranſitus copiam „facere, dummodo hi de damno per „Sponſores caveant, de cetero autem

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Jæger Hiſt. l. 9. cap. 1. Adlzreit. Annal. Boh. pag. 3. l. 4. Blanc. Hiſt. de Bavier. tom. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„malis ex hoc bello obviare, in Ordi„num Bohemorum arbitrio foret; si „enim Regi suo, ut par est, obsequium „deferrent, exterum militem in ipsos „cum finitimorum detrimento educere, „minime necessarium foret.„

§. LXXIX.

Austrii & Moravi a Protestantibus Bohemis ad rebellionem contra Ferdinandum Regem sollicitati.

Merc. Gallob. tom. 12. l. 4. pag. 48. Adlzreit. l. c. Barre hist. d'Allem. pag. 470.

EO tempore, quo Bohemi rebelles Ferdinandum Regem suum de bellico apparatu insimulabant, eidemque oblatas Catholicorum suppetias avertere moliebantur, ipsi adversus eum omnes ipsius subditos ad defectionem, & rebellionis societatem pellexerunt, & quidem primo cum Austriæ Superioris Ordinibus fœdus instaurarunt, utque eo firmius suo Principi resistere possent, Danubium flumen, ducta in utramque ripam catena, erectisque binis propugnaculis clauserunt, simul postulantes, ut Arx Linciensis præsidio nudaretur, nec Bucquoius Cæsareus Bellidux in Austriam irrumperet. Inferiores vero Austrii habito Viennæ Conventu in duas dividebantur factiones, ex quibus Catholici Ferdinando sese ultro

ultro ſacramento dicarunt, Proteſtantibus rebellium partes ſequentibus. Inde elucet, quantum fides Catholica, quæ Præpoſitis obedire non modo docet, ſed idipſum quod docet, præſtat, ab iis diſtet ſectis, quæ id quidem ſpecietenus docent, duntaxat tamen exequntur, ſi id e re ſua fore credunt, vel Princeps prius horum Novatorum voluntati ſe ſubjicit. Porro hi ſeditioſi Proteſtantes novis univerſo Bohemiæ Regno delectibus indictis exercitum ſuum indies augebant, atque ad ſigna quoscunque Ferdinandi ſubditos tam Auſtriacos, quam Moravos & Sileſitas edictis convocabant, Regias vero Ferdinandi copias, quocunque modo poſſent, infeſtabant, ac noviſſime Bucquoium, qui opima rebellium præda onuſtus Polnam contenderat, cæſis ſuorum quadringentis, abactoque ſpolio retrocedere cogebant: Kinskius quoque Tribunus ex Budoviſinis Præſidiariis ducentos ſexaginta cecidit, ac centum quadraginta captos abſtraxit. Mansfeldius quoque Pilsnæ viciniam longe lateque devaſtabat. His igitur ſucceſſibus Bohemorum potentia ſimul & petulantia eo usque excreverat, ut illos Moraviæ Status, qui ad ipſorum partes accedere adhuc recuſabant, vi ad rebellionis ſocietatem pertracturi, Turria-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. Sæc. 1619.

rianum Comitem cum sexdecim millium exercitu in hanc ditionem emitterent. Hic ergo die vigesima secunda Aprilis positis ad Iglaviam castris hanc urbem nullo ferme negotio intercepit, postea præter Brucense Monasterium Trebnitsium, Polderberream, Moravo-Budovizium; Zwambram aliasque Ferdinandi urbes occupavit, rapidoque victoriæ cursu ad Olomuzium usque vastatione progressus est, vix ullo sese opponente, eoquod Protestantes, qui Catholicis ubique numero prævalebant, jam antea cum seditiosis conspirassent. Demum ab altera parte Silesii post munitum Troppaviensem Principatum duo Moraviæ oppida Lipnizium & Rhenitium Ferdinandi obsequio subduxerunt: Enimvero adversus iniquam hanc rebellium violentiam querebatur Popelius, qui, cum Moraviam suæ fidei a Rege commissam habuisset, hostilis hujus irruptionis caussas sibi exponi, a Turriano petiit, hic vero audacter eidem respondit, quod aliorum jussu tanquam amicus & frater advenisset, eos duntaxat insectaturus, qui ejus hostes sese profiterentur.

§. LXXX.

Brunna a Turriano Comite capta.

Cum

Cum ergo Turrianus Comes rebellibus passim fausta acclamantibus, ac nemine obsistente totam pene Moraviam victricibus armis suis emensus esset, Brunna celeberrima hujus Marchionatus civitas, cum resistendo impar esset, rebellium furori cessit. Eo tempore Moraviæ Ordines ibidem comitia agebant, quos Turrianus in Bohemorum rebellium societatem pertrahere moliebatur: obstiterant tamen Moraviæ Rectores, Cardinalis Dietrichsteinius Princeps longe clarissimus, Liechtensteinius, & Zerotinus Barones: repugnabant quoque Ferdinandeæ militiæ Tribuni: prævaluit tamen eorum rationibus præpotentia Turriani, unde Cardinalis, cum omnia per iniquam vim agi, atque ad reprimendos rebelles sat virium haud superesse cognosceret, misso ad Turrianum Oratore eidem significabat, quod quidem fœderi accederet, ea tamen lege, si nec metu nec in Regis præjudicium id fecisse videatur. Idem postea alii Magnates Catholici, atque inter eos Princeps quoque Liechtensteinius fecerunt, petitisque publicæ fidei literis se Brunnam profecturos, & instaurato fœderi nomina daturos polliciti sunt. Nec his tamen flectebatur Turriani animus; cum enim Wallensteinius, Tampierensis, & Nacho-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Adlzreit. l. c. Carafa comm. Germ. p. 68.

Sæc. XVII. A. C. 1619. Nachotius Cæsarei Belliduces rebellium audaciam reprimere pararent, eorumque milites, inferioresque Tribuni ab Ordinibus Acatholicis corrupti relictis signis ad Bohemorum castra defecissent, Protestantes Ordines, qui Snami erant, cognita horum perfidia cum copiis suis Brunnam abierunt, ibidemque ex congregatis civibus, an Protestantibus fidem spondere vellent, scisciti sunt, quibus ex metu annuentibus ad arma conclamatum, receptisque in urbem militibus occlusisque portis juramento sese invicem contra Cæsaream suam Majestatem obstrinxerunt. Accedentes postea Cardinalem, qui Præfecti supremi officio fungebatur, an de Wallensteinii & Nachotii conatibus cognitum quid habuissent, atrocibus verbis interrogarunt, simulque eum a Præfectura abstinere jusserunt, qui tamen hac violentia perterrefactus, dummodo ejus vitæ parceretur, ultro se officio suo abdicaturum respondit: Idem quoque Protestantes Ordines a Tserotino & Liechtensteinio scisciti sunt, postea Senatum, qui Catholicæ Religionis erat, cur insciis Ordinibus milites in arcem Spilbergensem introduxisset? interrogarunt, quo, id consciis civibus factum esse, respondente, civibus autem id negantibus Senatum adegerunt

Bellius p. 182.

egerunt, ut hos milites unacum eorum Tribunis exauctorarent, arcisque claves Proteſtantibus traderent, quorum tanta erat in Catholicos rabies, ut parum abſuerit, quin eadem vi, quam ſub turbarum initium Pragæ Cæſareis Adminiſtris intulerant, Conſules & Archigramateum quoque e feneſtris præcipites darent. Dein die tertia Maij Turrianus Comes, rebellium Caput, in mandatis dedit, ut Cardinalis Dietrichſteinius, & Carolus Tſerotinus, qui Ferdinandi partes tuebantur, in cuſtodia tenerentur: ſequenti autem die congregati Ordines Proteſtantes decernebant. I. Brunnenſis Senatus, utpote Catholicus, ratione Proteſtantibus reddita, univerſus Curia pellatur, omnesque Præfecti loco amoveantur, aliis, qui Evangelicæ Religioni addicti eſſent, ſubrogandis. II. Quia Capitulum Olmucenſe & Brunnenſe, eorumque Prælati Bohemorum partes tueri, copiasque ſubmittere recuſarunt, omnia Epiſcopi, Capituli, Monaſteriorum, & Monialium bona apud ſequeſtrum deponerentur, eorum vero ſubditi *ſacramento, quo illis obſtricti erant, ſolverentur*, & Ordinibus ſubjicerentur, eorumque bona venderentur. III. Abbatum, Præpoſitorum, Monachorum, omniumque Eccleſiaſticorum redi-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

reditus, præter exigui victus annuos census, in fiscum redigerentur. IV. Monialibus nuptias contrahendi potestas fieret, constituta dote ex communi ærario. V. Omnes Ecclesiasticorum & Catholicorum ædes, & Monasteria tam in urbibus, quam extra pervestigarentur, atque exin aurum, argentum, arma, annona, & instrumenta bellica aufferrentur, certo loco reponenda. VI. Monachis & Virginibus, quæ ultro suum statum servare voluerint, victus suppeditarentur ex bonis occupatis & divenditis. VII. Ecclesia ad Sanctum Jacobum Catholicis eriperetur, concionibus dein Evangelicis in ea habendis destinata. Mitiora sane ab Evangelico - Calviniana mansuetudine & seditioso horum genio exspectari haud poterant.

§. LXXXI.

Jesuitæ a Protestantibus Bohemis e Moravia ejecti.

Bellus p. 183. lib. 3. Merc. Gallob. tom. 12. lib. 4. Joan. Franc. pag. 2.

Ut autem hi rebelles suum in Catholicos odium luculentiori specimine testatum redderent, die sexta Maij Jesuitas ex urbe, totaque ditione proscripserunt, Brunnæ edito hanc in rem sequenti decreto: *Quandoquidem non solum nobis, sed toti etiam mundo satis jam con-*

constet, quid non solum in Bohemiæ Regno, sed & alibi passim Jesuitæ hactenus effecerint, quod nimirum ut multorum potentissimorum Regum, Principum, procerumque interitus, sic bellorum etiam, & multarum cædium causa semper fuerint, & insuper etiam turbarum istarum, quibus patria sua Moravia viribus exhausta, & ad interitum fere tota redacta sit, auctores verissimi extiterint, non dubitamus jam amplius, quin illi ipsi sint, qui omnia Consilia in patriæ suæ perniciem dirigant, eoque nomine ex tota Moravia proscriptos, profligatosque vellemus. Mandamus igitur Rectori, Magistris, & reliquis Jesuitis omnibus in civitatibus, oppidis, pagis & locis Moraviæ quibuscunque commorantibus, ut templorum, & Collegiorum suorum claves commissariis suis sine exceptione & mora omni tradant, ex patriæ suæ finibus se proripiant, nec unquam posthac in Moraviam sub quocunque etiam titulo, & prætextu revertantur, hac expressa denuntiatione addita, ut a quocunque statuum posthac in Marchionatu isto deprehensi fuerint, capitis supplicio, etiam non dicta causa afficiantur.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Hujus decreti executio tanto ardore a rebellibus urgebatur, ut nec prandio, quod jamjam apponebatur, Jesuitis permisso, togis superinjicere pallia, capitibusque pileos juberentur. Illicet itaque e Collegiis suis ejecti, post ademptas

Sæc. XVII. A. C. 1619.

emptas monasterii Templique claves urbe unaomnes egrediuntur exulatum, quo casus eos aut consilium deduceret. Sesqui hora minus intercesserat, cum in suburbano prædio, quod Jesuitarum possessionis erat, incendium tam atrox erumperet, ut decem circiter ædibus in cinerem redactis flammæ in ipsam urbem progressuræ timerentur; sub primum statim incendii conspectum, rumor per urbem volabat, Jesuitas, ne arcana eorum scripta in hostium manus inciderent, hujus incendii auctores exstitisse, mox igitur Turriani Comitis jussu quinquaginta Moravorum equites cursim Jesuitas aliquousque progressos insequuntur, eorumque triginta duos Brunnam rapido tumultu retrahunt quæstioni subjiciendos, qui tamen innocentes deprehensi, e custodia dimittebantur. Paulopost Jesuitæ pariter ex universo Hungariæ Regno ejiciebantur, a Protestantibus insimulati, quod eorum suasu Belgiosa Bellidux Cassoviæ Protestantes ingenti clade vexarit, eorum Ecclesias & Scholas clauserit, pluresque calamitates intulerit. Horum exemplo incitati Silesii Protestantes pariter die vigesima quarta Junii Jesuitas suis terris expulerunt, indignatione in eos ideo effusa, quod Silesii a Ferdinando plenum sectæ suæ arbi-

Ortelius contin. t. 2. pag. 64. Barre l. c.

arbitrium ac diploma Majeſtatis extorquere haud poſſent; quamvis enim Ferdinandus ad Sileſianos Proteſtantes Ottonem Meliandrum, pro firmanda pace & præcavendis tumultibus ablegaſſet, pollicitatione facta, quod ſua eis privilegia confirmare vellet, dummodo quieti ſubſiſterent, hi tamen hac gratia haud contenti, audacter reſponderunt, *Ferdinandus Auſtriacus, Bohemorum aliarumque adjacentium Provinciarum tumultus noſtra pace ſedare incipiat, nos quoque ſuo tempore & loco faciemus, quid noſtra intererit.* Inſolens hoc reſponſum novis inſultibus confirmarunt, ut enim in illis locis Ferdinando Regi nullius auxilii ſpes aut ſolatium ſupereſſet, etiam ejus Fratrem Carolum Auſtriacum Ordinis Teutonici Magiſtrum, Vratislavienſem Epiſcopum, incuſſo minarum metu, ſtructisque in ejus vitam inſidiis propinquam in Sarmatiam extruſerunt, Vratislavienſes vero Canonicos, quos a Ferdinandi ſtudio avertere moliebantur, dire vexarunt: Leopoldum quoque Ferdinandi fratrem Argentinenſem & Paſſavienſem Epiſcopum modo in Tyrolin, modo in Alſatiam, mox alibi auffugere compulerunt.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. LXXXII.

Vienna a Turriano Comite incassum tentata.

Barre l. c. Ludolph. pag. 736. Merc. l. c. Le Blanc. Hist. de Bavierr. t. 4. pag. 70.

Postquam Bohemi Protestantes, qui specioso, falso tamen nomine, se *Directores* appellitabant, Hungariam, Moraviam & Silesiam sibi addictas noverant, Turriano Comiti in mandatis dedere, ut harum ditionum suppetiis auctus, Austriam invaderet, ipsamque Viennam, cum ibi Ferdinandus Rex sedem suam tunc teneret, obsidione cingeret. Cognito hoc Bohemorum consilio Austriæ inferioris Protestantes, ut novam hanc expeditionem Turriano faciliorem redderent, datis ad Ferdinandum literis rogabant, quatenus patriam ab omni milite suo liberaret, nec permitteret, ut novæ expeditiones & militum delectus in Hungaria fierent. Verum Ferdinandus, quorsum fallaces eorum preces spectarent, haud ignarus, serio de propulsanda imminente eorum vi cogitare cæperat. Interim Turrianus Comes in inferiorem Austriam irrupturus, locis oppidisque aliquot interceptis Labaccum Cæsareo præsidio munitum cinxit: mox vero Status Catholici misso ad Comitem Bochemio interrogabant, quid caussæ haberet, quod

quod cum tanto exercitu Regionem istam infestaret, cum tamen ipsi nec illum nec Bohemos offendissent: de cetero autem petitum fœdus non aversarentur, dummodo illud contra Domum Austriacam, Ordines, & Religionem Catholicam haud pugnaret. Verum Turrianus arrogantia verborum intolerabili hæc respondit: „Hostem „profligare, si vel Jerosolymis esset, cupio, oppressosque juvandi caussa hanc „Provinciam ingressus sum: Catholici „posthac non sibi in animum inducant, „Religionem suam, ut antehac, instar „olei, quod aquis supernatat, Religioni „Protestantium dominaturam: Protestantes æque honesti sunt ac Catholici, „& re nulla Catholicis ad eum usque „diem cesserunt Evangelici, ideoque „nec hi in posterum etiam uno pilotenus, eis auctoritate Sacrorum, necdum æqualitate auctoritatis cedant, „nullaque habita Religionis ratione deinceps æqualitas servetur, & quantum una pars obtinet, tantum & alteri parti juris permittatur, ut sic futurus Rex a Cleselianis insidiis tutus, „Rempublicam digne administrare valeat. Sumptus & pecuniam auxiliumque, unde accepturus sim, non curo, „Deo me committo.„ Prolatis Thrasonicis hisce verbis Buchemio pollicitus

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tus est, quod si Cæsareis præsidiariis Labacco abductis portæ civitatis aperirentur, & a Protestantibus præsidio posthac firmarentur, nil hostile ibi molliri vellet. Hoc pacto Turrianus Labacum deditione accepit. Inde vero Viennam contendens, ibidemque die secunda Junii castra metatus, trajecto Danubio die sexta ejusdem Mensis suburbia occupabat, explosisque belli tormentis urbem nullo negotio expugnandam sperabat, eoquod ex civibus non pauci clandestina cum Bohemis consilia fovissent. Die octava Junii Austriæ Ordines missis ad Comitem Legatis inopinæ hujus invasionis caussam ab eo scisscitabantur, quibus ille respondit, quod Hungarorum tyrannidem in Bohemos exercitam ulturus advenisset, simul vero postularet, ut revocato Hungarico, alioque milite nullus amplius in Regiones istas introduceretur, sin minus, intentatam sibi tyrannidem adhibita vi propulsare cogeretur. Tantam arrogantiam Turriano inspirabat Viennensis urbis mox occupandæ fiducia, quam non parum augebant discordes inter se Austriæ Ordines, necnon civium non pauci hæretica jam labe infecti, atque ad rebellionem proclives. In hac igitur rerum vicissitudine Ferdinandus humana ope & consilio

Massen. Annal. Trev. l. 23.

ſilio deſtitutus, nil reliquum habebat, quam ut ante Crucifixi imaginem pronus, ſupplexque in terram abjectus Dei auxilium præſtolaretur, quod & brevi adfuturum de cælo, aſſeveranter Domeſticis ſuis affirmabat. Nec ſua eum fefellit exſpectatio; interea enim ad Bucquoiana caſtra præter Hungaros magno numero auxiliares milites in Belgio collecti in Bohemiam penetrabant, ac Budoviſium, quod a Bohemis deſertum Cæſarei recuperaverant, hoſtium magis voto quam ferro laceſſiti impune pervenerant, quibus ſuppetiis auctus Carolus Longuevalius Bucquoii Comes die octava Junii noctis ſilentio ad Nodlitium, ubi Mansfeldianum erat præſidium contendit, incenſoque oppido Tinam verſus caſtra promovit, initoque atroci, necnon ad ſextam horam protracto prælio Mansfeldium ingenti clade protrivit, Reingraffio & Arpo, primorum ordinum Ductoribus, ac duodecim millibus Bohemorum præcipue peditum captis, omnibusque tormentis, totoque belli apparatu victorum manibus relicto. Hac victoria animatus Bucquoius quamplurimas urbes & arces partim deditione, partim armorum vi, tam proſpero ſucceſſu Bohemis rebellibus eripuit, ut inde Cæſareis copiis aditus in Auſtriam, ac

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

libera commeandi facultas esset. Accepto igitur de clade Mansfeldii, & Bucquoii in Regnum irruptione nuntio, Turrianus castris nocturno silentio motis Viennæ obsidionem solvere coactus est, cum exercitu suo in Bohemiam reversus, ubi Pragenses Catholici ob partam victoriam Deo grates repensuri Hymnum, quem vocamus *Ambrosianum*, solemnitate publica decantarunt, non sine maxima Protestantium indignatione, ex quibus petulantiores San-Jacobæam ædem & Asceterium incursantes tecta Catholicorum omnium, sacra pariter & profana, omni vi diripere, direptaque solo funditus æquare tentabant, quod & fecissent, nisi Magistratuum armato satellitio repressi fuissent. Diluit tamen Catholicorum gaudium haud ita multo post secuta Hungarorum a Solmensi Comite fusorum clades, quæ tamen haud quaquam par erat Mansfeldianæ, cui similis universo prius belli Bohemici tempore nulla accidit: Sub idem ferme tempus Monachii die undecima Julii advenit Jacobi Angliæ Regis Legatus cum Maximiliano de pace, si qua conciliari posset, acturus; verebatur enim Rex, ne suus Gener Palatinus Elector pravis suorum consiliis ad belli cum Bohemis societatem & Imperialis coronæ ambitum abriperetur.

Le Blanc. Hist. de Bav. t. 4. pag. 69.

HISTO-

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CXCII.

PAULUS V. PONTIF. MAXIMUS.
FERDIN. II. OCCID. IMP.

§. I.

Ferdinandus Rex Francofordiam ad novi Cæsaris Electionem profectus.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Adlzreit. Nic. Bell. l. 3. Merc. Galloh. t. 12. l. 4, Barre hist. d'Allemagn. tom. 9.

Interim Ferdinandus Rex denuo literis suis, & quidem jam quaternis post Mansfeldianam cladem Bohemos rebelles admonebat, ut habita juramenti sibi præstiti ratione ad obsequium redirent, verum hi ne responso quidem ullo Regem suum, licet victorem, dignati sunt, imo eorum Directores ad diem vigesimam tertiam Julii Pragæ comitia indixerunt, ut conceptam Ferdinandi Regis exauctorationem, communi Protestantium Ordinum consensu atque decreto firmarent;

Sæc. XVII. A. C. 1619.

cognita enim Moguntini Electoris denuntiatione Bohemi Ferdinando comitii, legendique Romanorum Regis jus omne nequiter denegabant, eoquod in Bohemiæ Regem propria ambitione, invitis ac circumventis Ordinibus, intrusus fuisset, Regnique possessionem reipsa nunquam adiisset, qui tamen aditus solus demum consummatum Septemvirilis suffragii jus secum traheret. Nihilominus dissimulata horum petulantia Ferdinandus pro innata sua animi magnitudine, & immota in Deum fiducia undecima Julii die pro eligendo Romanorum Rege, & exinde Cæsaris Successore Vienna Francofordiam versus iter aggressus est, suas vices Leopoldo Fratri suo committens, qui civium omnium & Catholicorum arma in publicum armamentarium, ut omne seditionis, ac tumultus periculum longe amoveret, tantisper seponi jussit. Priusquam vero discederet Ferdinandus, quidam ex Ordinibus eundem monebant, ut peregrinum militem, qui maxima intulisset damna, abducere vellet, quibus tamen Rex respondit, quod si Turrianum non evocassent, hisce incommodis supersedere potuissent. His ita dispositis Ferdinandus per Austriam Styriæ vicinorem in Bavariam indeque Monachium die decima nona Julii delatus

latus Maximilianum Bavariæ Ducem invisit, ibidemque diebus aliquot cum summa utriusque voluptate transactis tandem sub exeuntem fere jam Julium Francofordiam ingressus est. Eo jamjam advenerant Joannes Svichardus Moguntinus Elector, necnon Joannis Georgii Saxonis, & Friderici Palatini Oratores: duodecima autem Julii die Joannis Sigismundi Brandeburgici Electoris, Legati, die postero ipsemet Ferdinandus Coloniensis Archiepiscopus atque Elector necnon biduo post Lotharius Trevirensis Elector & Archiepiscopus accessere, qui tamen urbem ingredi nolebant, nisi militia civitatis nulli alteri, præterquam Consulibus & Senatui Sacramento obstringeretur, eo quod compertum habuissent, quod Protestantes Francofordiam unacum Electoribus invadere, & Ferdinandum ab electionis jure excludere decrevissent.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

§. II.

Bohemorum Protestantium oppositio contra Ferdinandi Regis electionem.

Interim Protestantes Bohemiæ Directores Pragæ in suo conventiculo, pro futura Regis electione, & Ferdinandi exauctoratione plurimas condebant

Adlzreit. Annal. Boic. part. 3. l. 4. Barre Hist. d'Allemagn. pag. 475.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

Massen. Annal. Trevir. l. 22. §. 115.

bant leges, inter quas statuebant, quod novus Rex nullatenus foret religione Catholicus, & si quas eorum leges violaret, illico Regia dignitate excideret, & subditi obsequii Sacramento soluti essent, quibus tamen adeo arctis cancellis nullus facile Rex, etsi precario gubernaret, suam auctoritatem sibi a subditis restringi permisisset. Insuper conceptam Ferdinandi electionem quovis pacto interturbare decreverant, hancque in rem Adlerspachium, Berckam, aliosque duos Legatos Francofordiam ablegarunt, qui additis etiam minis electionem differri postularent, quoad in Bohemia, ceterisque Regionibus annexis cuncta restituta essent in integrum, gravantesque difficultates funditus ablatæ essent, si vero hæc electio differri non posset, saltem Ferdinandus Archidux non admitteretur, nec admissus eligendi Regis Romani potestate, suffragiique jure potiri sineretur, sed potius e Regni Bohemici tribus Ordinibus delecti quidam Regis Bohemici vices obirent, atque Electorum numerum implere juberentur. Cum autem hi Legati ad urbem non admitterentur, eoquod per Bullam auream prohibitum esset, ne Francofordiæ in electione novi Cæsaris, ulli exterorum Legati reciperentur: hinc Hannoviæ subsistere coacti

ad

ad Moguntinum, ceterosqne Septem-viros literas, in quibus sua postulata continebantur, transmiserunt: Hic Bohemorum ausus solis Protestantibus Ferdinando exosis probabatur, ceteris vero expositæ illorum propositiones prorsus abominandæ videbantur, ex eo potissimum capite, quod Bohemi, amoto Rege suo legitimo, ab ipsismet inaugurato, seipsos in locum Electoris Regium intrudere præsumerent: quocirca Moguntinus Elector eisdem hæc rescripsit: *Miror, quod excogitatis variis rationibus, & præjudiciis me reprehendere audeatis, eoquod Ferdinandum Austriæ Archiducem ad electionem novi Imperatoris Francofordiam vocarim: conamini etiam jus Electorale coronamque eidem competentem in dubium vocare: Quod factum illud meum attinet, feci, quod muneris mei est, & quod Bulla aurea præcipit, ejusque rationem & Deo & omnibus, ad quos res ista pertinet, suo loco & tempore redditurus sum: Quod vero ad turbas Regni Bohemiæ attinet, illis minime delector, sed potius injuste afflictis serio condoleo, meque operam daturum promitto, ut facta tandem pace ab interitu Regnum illud vindicetur. De Ferdinando Rege affirmare verissime possum, eo ipsum animo esse, ut, dummodo ad obedientiam vos componatis, servitutis jugum aliquod imponi vobis haud quaquam per-*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

permissurus, sed potius ab omni vos detrimento, confirmatis ipsis omnibus tam Religionis, quam politicis Privilegiis, vindicaturus, & propugnaturus sit. Reliquam literarum partem & maxime petitionem de electione suspendenda, vel ordinibus Bohemiæ ad eam vocandis ita comparatam existimo, ut solus de ea decernere non valeam, nec ad pacem Regno conciliandam, siquidem Regi Ferdinando innotescat, facere quicquam posse autumem.

Hæc ille, fusius vero Ferdinandi Archiducis Administri Bohemorum postulata refellebant, eis obtrudentes, quod per summum nefas Ferdinando Electoralis suffragii jus denegarent, quem tamen ipsimet Anno Christi millesimo sexcentesimo decimo septimo tanquam Successorem & Ferdinandi Imperatoris Nepotem, necnon Annæ Reginæ Bohemiæ hæredem agnovissent, & ut talem in Regem suum proclamassent: Ceterum Electores, & Saxoniæ ac Palatini Oratores circa hæc Bohemorum postulata crebras habebant consultationes, ubi Moguntinus, Coloniensis, & Trevirensis Electores Regis Romanorum electionem esse maturandam, econtra Saxoniæ & Palatini Electorum Oratores Principum suorum mentem esse prius explorandam censebant, hanc-

que

que in rem die vigesima quarta Julii Nuntios ad eosdem ablegarunt.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. III.

Fœderis inter Bohemos, Moravos, Silesios, & Lusatios Protestantes initi capita.

Præter articulum de futuro eorum Rege seu potius subditorum mancipio Protestantes Pragæ congregati cum Moraviæ, Silesiæ, & Lusatiæ Ordinibus novum inierunt fœdus, cujus potissimi erant sequentes articuli. I. Rex Bohemiæ futurus Jesuitas & extraneos nec ad consilia, nec ad legationes adhibeat. II. Jesuitæ & Discipuli ipsorum ex Regno proscripti, nunquam admittantur amplius, eorum bonis fisco adscriptis. III. Ordinem Monasticum novum introducere nec Regi, nec Reginæ permittatur. IV. Bona Ecclesiastica ad Ecclesias & Scholas adhibita in alios usus non convertantur. V. Diploma Majestatis a Rege in omnibus exacte servetur. VI. Templa, quæ Protestantes modo possident, ubique ipsis relinquantur. VII. Exercitium Religionis omnibus liberum permittatur. VIII. Ad beneficia Ecclesiastica extranei nulli admittantur. IX. Catholici decretum Concilii Constantiensis

Merc. Galloh. l. c. Brachelius Hist. l. 1.

Sæc. XVII. A. C 1619.

sis & Tridentini, *de fide hæreticis non servanda*, abjurent (*) secus in Regno non tolerentur, X. Ecclesiastici in profanis nihil imperent. XI. Provinciales Officiarii Protestantium Religioni addicti sint. XII. Ubi hactenus Magistratus fuit totus Catholicus, deinceps ex Catholicis simul & Protestantibus seligatur. XIII. Ubi vero maxima parte Protestantes fuere, ibi Magistratus nonnisi ex Protestantibus sit. XIV. Privilegia adversus Religionem & diploma Majestatis concessa rescindantur. XV. Rex novus a Provincialibus dein eligatur, qui postea ad Cancellariam Bohemicam Protestantes adhibeat, ubi duntaxat res Bohemicæ expediantur. XVI. Catholici probi ad hoc fœdus admittantur. XVII. Mutuis auxiliis se juvent, turbatisque Provinciis pro ratione periculi suppetias mittant, inque usus istos Ecclesiastica Catholicorum bona convertantur. XVIII. Catholici, qui his articuli repugnaverint, in Ordinum numero non habeantur. XIX. Ordinum decreta infirmare, Regi non liceat. XX. Proscripti Catholici nunquam recipiantur, sed eorum bona in Provinciarum gratiam vendantur. Hæ plures-

(*) Utrique S. huic Synodo perperam ejusmodi decretum affingunt Protestantes.

pluresque aliæ leges, Catholicæ Religioni admodum infestæ, Bohemorum odium in Catholicos, & seditiosam eorum indolem luculenter testabantur. Ceterum his inter se ita conventis diem, qua repudiato Ferdinando ad novi Regis electionem convenirent, decernebant.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. IV.

Fridericus V. Palatinus Elector Bohemicam coronam affectans.

Suadebant equidem ex moderatioribus nonnulli, æquis conditionibus cum Ferdinando Rege transigendum, prævaluere tamen illi, quos rerum novandarum cupiditas, & veniæ desperatio ad excutiendum Austriacum imperium stimulabat. Hi ergo Ferdinando amoto novum Regem, qui gratus multitudini propriis quoque viribus Regnum tueri posset, eligi petebant, hancque in rem modo Daniæ, & Sabaudiæ Reges, modo Saxoniæ & Bavariæ Duces præcipue vero Fridericum V. Palatinum proposuere. Hic igitur propensam Bohemorum in se voluntatem considerans, Pragæ Bohemios Ordines per suos Ministros sibi devincire satagebat, eorumque oppositionem contra Ferdinandum ratam habens, moras interregni

Merc. Gallob. l. c. Barre p. 476. Calmet Hist. Univers. l. 150. Brachel. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

regni longiores rebus turbandis peroportunas ſtudioſe quærebat, monens Electores, ne Electionem Romanorum Regis præcipitarent, ſed compoſitis prius diſſidiis controverſias tollerent, ipſe vero comitia accedere noluit, ne Bohemos & fœderatos per gratulationem Ferdinando poſt ipſius electionem ferendam offenderet, ſed eo decreverat ſuos Oratores, quibus injunxit, ut, ne Ferdinandus eligeretur, cuncta molirentur. Inſuper ad omnes intentus erat occaſiones, in quibus ſuum erga Bohemos affectum eis teſtari poſſet; cumque ſibi compertum haberet, quod Philippus Comes Licho-Solmenſis cum quingentis Equitibus in Belgio & Colonienſi ditione conſcriptis per Palatinum ad Bucquoii caſtra tranſire pararet, Fridericus Marchionem Onolzbacenſem ea de re certiorem reddidit, qui etiam illos die trigeſima prima Julii prope Aichſtadium profligavit, quæſito obtentu, quod hæ copiæ, inconſulto Palatino, per ipſius territorium tranſire præſumpſiſſent. Sub idem tempus Tampierenſis Comitis milites a Moravis fuſi, fugatique fuere, Bucquoius vero Piſecam, pluresque alias urbes ſuis armis ſubjecit.

§. V.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. V.

Ferdinandus II. Romanorum Imperator electus.

Instabat tandem tempus, quo Imperiale Collegium suffragiis suis nominaturum esset Romanorum Regem: postquam igitur Saxonici & Brandeburgici Electorum Oratores hanc electionem maturare jussi erant, Ferdinando Regi significatum, ut die nona Augusti Senatus populusque Francofordiensis in Curia pro more fidei Sacramentum Electorali Collegio præstaret, & Magistratus omnes peregrinos urbe excedere juberet: quo facto die decima septima Augusti, qui fastis nostris vigesimus octavus est, S. R. Imperii Electores unacum Ferdinando Rege ad Templum Sancti Bartholomæi processerunt, peractisque in choro Sacris, Ferdinandum unaomnes, Saxone ad partes etiam ejusdem accedente, in Romanorum Regem & designatum Cæsarem renuntiarunt, excepto Friderico Palatino, qui per Solmensem Comitem suffragium suum Maximiliano Bavariæ Duci conferre intenderat, non tam ex affectu erga eundem, quam ut Catholicos collideret, dimotoque Ferdinando, Austriacorum Imperatorum seriem in-

Bellus & Carafa l. c. Calmet Hist. Univ. l. 150. Ziegler. Capit. p. 79. Limnæus jus Publ. t. 1. p. 12. & pag. 484. Priorato vita Ferd. III. Camerar. epist. ad Anhalt. die 12. Aug.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

interrumperet, *si tamen*, addebat, *majora suffragia aut Regem Ferdinandum, aut Archiducem designent, atque e re Imperii visum sit, ut dignitas Imperialis diutius absque imminutione liberæ electionis in una domo persistat, non sunt mihi privata invidendi illis rationes, sed omnem observantiam ejus declarabo:* Quantum vero Palatini animus ab hoc proposito alienus fuerit, mox sua in Ferdinandum rebellio prodidit. Ceterum neo-electus Rex firmata juramento consueto capitulatione, allatisque Aquisgrano & Norimberga Imperii insignibus coronatus, die nona Septembris Archiepiscopi Moguntini manu inunctus, & consecratus est, gratulantibus ei hanc dignitatem omnibus probis, vehementer autem lamentante Camerario Calvinista, & rebellibus Bohemis. Porro Ferdinandus præter consuetos, ut vocant, capitulationis suæ articulos omnium primus jurare cogebatur, quod Imperii Vicarios in sua jurisdictione turbare, hujusque dignitatis jura in controversiam trahere nolit, nullosque præter Principes, Comites, & Barones in Germania natos & enutritos, necnon in Imperialibus Constitutionibus versatos ad Consilium Aulicum assumere velit. Tam acceptam hanc electionem habebat Pontifex, ut Moguntino concederet

Blanc. Hist. de Bavier. t. 4. p. 72.

ret in subsidium sexaginta millia aureorum pro conscribendis aliquot legionibus a suis Ecclesiasticis exigenda. Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. VI.

Fridericus V. Palatinus Elector a seditiosis in Bohemiæ Regem electus.

Comperta Ferdinandi evectione ad Cæsareæ dignitatis fastigium rebelles Bohemi, id quod jam pridem animis volutabant, tunc vel maxime in opus deducere moliebantur, instigante potissimum Achatio Dona, qui Ferdinandi Regis abdicationem, novique Regis suffectionem ardentius urgebat: Id facile persuaderi poterat illis, quibus sub Religionis obtentu Austriacam Domum pellere, fidemque Catholicam exscindere constitutum erat. Igitur die undetrigesima Augusti habito Ordinum conventu Ferdinandum ejurarunt, ac de novo Rege nominando egerunt. Haud ultra proponebant Maximilianum Bavariæ Ducem, quem ab iniquis hisce consiliis longe alienum noverant: Nominabant quidem Saxoniæ Electorem, verum potissimi eundem, eoquod Cæsaris in fide, & justitiæ tutela obfirmatus esset, contempserunt; Daniæ quoque Regem, nonnulli ideo tantum nominas-

Struv. Period. 10. sect. 9.

Laur. Austr. l. 3. p. 146.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

minasse videbantur, ut omnia, quorum caussa a ceteris recusaretur, in medium proferendi occasionem nancisserentur. Nec multo reverentius habebant Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, cui Catholicæ Religionis studium objectabant; id tamen ejus electionem haud morari edicebat Ernestus Mansfeldius nuper a Majorum sacris ad Calvinianam profugus sectam, qui e suo genio hunc Ducem æstimans, non sine magna hujus Ducis summe Catholici injuria asseruit, eum facile ad Protestantium sectam transiturum, si Regno capessendo Religionem suam unice obstare noverit. Novissimus igitur omnium, uti inter eos studiose conventum erat, proponebatur Fridericus V. Rheni Palatinus Elector, qui secta Calvinianus Bohemico diademate dignissimus unanimi suffragio habebatur. Unde ex Equestri Nobilitate nonaginta & unus, ex Optimatibus triginta sex, & ex civitatum Oratoribus ferme omnes in eum concurrentes, licet absentem, continuo Bohemiæ Regem promulgarunt. In qua electione Bohemi hi ludiones non modo atrocis sese perfidiæ, sed & turpis simulationis reos fecere, dum super eo deliberabant, quod amplius semestri prius, quam hæc fingerent, jamjam conclusum habuerunt, & de Ferdinandi in Bohemiam

hemiam acceſſu deſperatum eſſe ſignificarunt, ex ejus equili plusquam triginta generoſos aſturcones præcedente Menſe Julio ad augendam rebellionis ſocietatem vendiderunt, Erneſto autem Mansfeldio ſpurio illi, bisque proſcripto, depulſis Religioſis Monaſterii, cui Codiſchsviæ nomen, annuos ad aureorum decem millium reditus in præmium promotæ abdicationis Ferdinandeæ dicarunt. Poſtero die quosdam ablegarunt, qui Palatino ſui electionem referrent, rogarentque, ut diadema auſpicato delatum acceptare Pragamque venire dignaretur. Dein legem ſanciunt, qua contra Ferdinandi abdicationem, indicta etiam perduellionis pœna mutire inhibitum. Cunctabatur equidem Fridericus ab initio, miſſoque Aulnio Barone (*) Jacobi Britanniæ Regis Soceri ſui conſilium expetebat, priusquam vero hic Legatus in Angliam venerat, Rex comperta Generi ſui electione ſuum convocabat Senatum, in quo Rex decidebat, Bohemos novæ rebellionis reos eſſe, proin temerariæ ejusmodi electioni conſentire, indecorum, nefasque fore: Hanc in rem Jacobus poſtea Pragam ad Fri-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Rapin. Hiſt. d'Angl. l. 18.

(*) Scriptorum nonnulli illum fuiſſe Baronem Achatium a Dona ſcribunt.

Sæc. XVII. A. C. 1619

dericum ablegabat Westonum Equitem Religione Catholicum. & Convaium Hæreticum, qui oblatum Regnum respuere, Friderico persuaderent, & Bohemos ad Ferdinandi obsequium revocarent. Verum horum Oratorum opera in irritum cecidit, partim Palatini pertinacia, partim legatorum inscitia; quippe ipsemet Jacobus Rex nonnunquam jocando dicere solebat, quod Electori Palatino tres oppido singulares Domestici per ipsum obvenerint, & quidem primo Cubicularius nomine Clarckus, qui Electori nequidem corrigiam dextre dissolvere valeret, utpote unimanus. Secundo Sacellanus, Preston vocatus, qui nequidem preces fundere posset, eoquod Anglico ritu uti prohiberetur, & denique Convaius Scriba, qui nec legere, nec scribere edoctus esset. Præter hos vero Maximilianus Bavariæ Dux Fridericum ad repudiandam Bohemiæ coronam iterato hortabatur, ut infra memorabimus: Ipsa etiam ejus Mater Ludovica Juliana, prudentissima fœmina multis lacrimis detestata est hanc Bohemorum de Filio suo optionem, quam etiam eidem dissuadebant Saxo & Brandeburgicus Electores, ac denique Ferdinandus Imperator misso Comite Hochenzolleriano eundem ab usurpando hoc

Regno

Regno graviter dehortabatur: Prævaluere tamen præter Regii faſtigii ſplendorem, & opimarum ditionum acceſſionem perverſæ non minus quam importunæ ſoliicitationes eorum, qui in vanas ſpes proni, nova rebus ſuis incrementa ex tumultibus & novo Regimine ſibi pollicebantur, quos inter præcipui erant Achatius Dona, Ludovicus Camerarius factioſus Palatini Jureconſultus, & Abrahamus Scultetus Præco Aulicus peſſimi Conſultores, ex quibus prior hanc Friderici electionem tanquam *Divinæ Providentiæ ac miſericordiæ opus, & fundatæ vocationis* prodigium adulatoria lingua deprædicare non erubuit. Pariter Mauritius Naſſoviæ Princeps, & Bullionius Dux, ambo Calviniſtæ, ex odio erga Domum Auſtriacam Friderico ad ſuſcipiendam Bohemiæ coronam auctores exſtitere. Fertur quoque, quod uxor ejus Eliſabetha Jacobi I. Britanniæ Regis Filia dubitanti Marito calcar addiderit, eidem crebro ingerens, indecorum eſſe, velut cælitus oblatum ſceptrum repudiari ab eo, qui Regis Filiam in thronum aſſumere ſit auſus. Inſuper Correſpondentes Germaniæ Principes Rottenburgi congregati, quos Fridericus deſuper conſuluerat, eundem rogarunt, ut familiæ ſuæ honori, & Calvinianæ Religio-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Cancell. Anhalt. epiſt. Don. 27. Auguſt.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ligionis incremento consulturus, Regnum acceptaret, cui quoque male feriati ejusdem Consiliarii exponebant, quod sponte oblatam dignitatem recusando pusillanimitatis notam, & Angliæ Regis Soceri indignationem haud effugeret, ignave prætermittens occasionem, qua uxorem suam præfati Regis Filiam impares natalibus suis nuptias querentem ad Regios honores promovere, & Palatinum Septemviratum Bohemico augere posset: His addebant, quod per Regni acceptationem ipse cæleste prorsus ac *divinum efficeretur instrumentum*, quo Lutheranam Religionem latius proferre, simulque Calvini reformationem protrahere, necnon efficere posset, ut aucto Protestantium Electorum numero deinceps facile semper Evangelicorum unus ad solium Imperatorium eluctari valeret: aliunde vero nec cælum nec homines eidem defuturi essent, & quidem præter Britannicas opes Mauritius cum Batavis suis Watteraviæ Comites, Onoldspacensis & Badensis Marchiones, & Wirtenbergiæ Dux, Hungari item atque Transylvani, necnon Gaborii ope Turcæ & Tartari, ac denique omnes *Correspondentes* Principes, Fœderatique promptum auxilium laturi essent: ipse vero Palatinus utpote Imperii Vicarius Bohe-

Bellus l. 3. pag. 249.

Bohemiæ ſalutem procurare obſtrictus foret, præcipue cum Saxoniæ Elector otioſus ſubſiſteret, & Brandeburgicus nimium *puerilis* eſſet. Ita reverenter Proteſtantes loqui ſolent de S. R. J. Principibus, qui iniquis eorum conſiliis non patrocinantur. Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. VII.

Palatini Electoris conſenſus in ſui electionem.

Interim S. R. J. Electores Francofordiæ congregati, cum novum Bohemiæ Regem interim a rebellibus electum fuiſſe ignorarent, datis ad eos literis ſignificabant, quod amica compoſitione hactenus, & creſcentibus turbis tandem exortas inter ipſos & Mathiam defunctum Cæſarem ac Ferdinandum Regem diſſenſiones tollere decreviſſent, ac propterea ad vigeſimam Novembris diem Ratisbonæ Conventum, ad quem ipſi comparerent, indicere ſtatuiſſent, ipſo Ferdinando Cæſare ad hanc compoſitionem propenſo. Verum Proteſtantes Bohemiæ Ordines nullo eis dato reſponſo die tertia Septembris Fridericum de facta ejus in Regem electione certiorem reddidere: ſub idem quoque tempus Acatholici Sileſiæ Ordines in comitiis ſuis Vratislaviæ habitis *Merc. Galb. tom. 13. l. 1.*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

bitis præfatam electionem ceteraque pacta Pragæ inita rata habebant, atque ad neo-electum Regem suos decernebant Legatos: Priusquam vero Fridericus ad Bohemos rescriberet, Monachium ad Maximilianum Bavariæ Ducem Rheinhartum Solmensem Comitem unacum aliis duobus Consiliariis exploratum miserat, an Dux, a quo exercitus Catholici unio magnam partem pendebat, Friderico Bohemiam invadente hostem vel amicum se gerere meditaretur? Hi ergo præprimis Friderici conatum de Maximiliano in Cæsarem eligendo deprædicantes significabant, quod Fœderatorum copiæ propediem in Palatinatum descensuræ duntaxat eo spectarent, ut fines tuerentur, & hostium excursiones citra Maximiliani offensionem coercerent, proin eidem minime suspectæ esse deberent; de cetero autem Fridericus ex Maximiliano cognoscere averet, quid tandem spei fœderatis Protestantibus, & præcipue Friderico esse posset, si quæ vis injusta ingrueret, vel apud eos annonæ inopia esset, denique, quænam foret ratio reconciliandæ in Imperio amicitiæ? Præterea hi Oratores duntaxat pro re nata, non autem ex professo Maximiliani mentem circa Regni Bohemici acceptationem explorare jubeban-

Adlzreit. p. 3. l. 4. annal.

bebantur. Ad hæc igitur reposuit Maximilianus, quod pergratum haberet, si nil periculi ullis Imperii Ordinibus allaturæ essent Fœderatorum & Friderici copiæ, maxime Bambergensibus, Herbipolensibus & Eichstadianis: si vero traducendi exercitus necessitas incideret, prius transitus libertas petenda, tumque annonæ pretium repræsentandum foret: revocarent tamen Legati in memoriam, quid cladis accepissent Solmenses Equites, & quid damni Eichstadiensis Episcopatus per Sigismundi Marchionis stativa, si igitur ejusmodi violentiæ continuarentur, Principes suorum defensionem mutuis auxiliis suscipere cogerentur: de cetero autem scirent ipsi, quod minæ a Correspondentibus jactatæ, damnaque accepta Catholicos eo adegerint, ut adversus inopinatos casus militem conducerent, nulli tamen, nisi defensionis caussa vim illaturum: si vero quis annonæ defectus in Friderici exercitu contingeret, æquo pretio a Bavaria peti posset: de restituenda amicitia actum non esse, ad hanc tamen rem plurimum valituram Friderici, aliorumque industriam respondit Maximilianus, qui circa articulum de Bohemico diademate ipsimet Friderico hanc in sententiam rescripsit. *Mihi persuasum est*, *te*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

te utpote columnam Imperii, & communis patriæ ſtudioſum, non eſſe ejus animi, ut novas turbas excitare velis in imperio. At enim Bohemiæ Regnum, absque ingenti Germaniæ concuſſione, invadi non poterit: de cetero tecum reputa, quam raro, verius nunquam, Bohemis grati, tutive fuerint Principes exteri: atque eam quidem ob rem, olim Albertus Bavariæ Dux, oblatum diadema recuſarit: fama eſt, ab Ordinibus graviſſimas Regi futuro leges, & velut ſpeciem quandam ſervitutis, eſſe impoſitas, quas ſi tu ſubire cogitas, quanti id oneris tibi erit? Quod ſi vero in Germania eam ob rem naſcatur bellum, vix otioſi perſiſtent Ottomannici, ſed erit proclive, ut per Betlemum Gaborem Hungariam ſaltem, orbis Chriſtiani propugnaculum, nitantur occupare, atque inde in imperium inveterata ambitione, & odio in Chriſtianos irrumpere. Veſtigia Turcicæ Sævitiæ atque tyrannidis, quæ fixa jam ſunt in Tranſylvania, Moldavia, & Wallachia, ceteris Provinciis deberent eſſe terrori. Ergo inde metuendum bellum exitiale a gente immanitate barbara, hinc a domo Auſtriaca, quæ jus ſuum in Bohemiæ Regnum non erit neglectura: Hæc non erit quieta, ſed viribus omnibus Ferdinando Cæſari opitulatura. Ipſe enim a toto Septemvirorum Collegio, pro legitimo Bohemiæ Rege eſt agnitus. Tale præjudicium multum ſane ponderis

deris habebit, nec patietur Ferdinandus, coronam suo capiti tantis ceremoniis impositam, impune, atque cum ignominia detrahi. Quid hinc, nisi divisa Principum studia, bella, & incredibiles calamitates? Non sunt forsan Bohemi eo usque a Ferdinando alieni, neque omnes contra ejus caput sic conspirarunt, quin possint ad mentem, & obsequium redire, reconciliare amicitiam, reddere obsequium. Ejusce causæ exemplum, cum ad omnes prorsus Reges atque Principes vel maxime pertineat, credibile est, ne ab ipso quidem Britanniæ Rege esset probandum: non foret vertendum vitio Domus Austriacæ Principibus, nedum Ferdinando Imperatori, de cujus dignitate agitur, si consumptis frustra omnibus rei componendæ remediis, arma denique corripiant, ad sui defensionem.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Ad hasvero Maximiliani literas Fridericus hæc reposuit, sibi vitio haud vertendum, si diadema non quæsitum, sed divinitus oblatum sibi imponi permitteret, de cetero Bohemorum interesse, ut de Ferdinandi abdicatione rationem redderent, sibi vero nil esse cum Bethlemio negotii, nec tamen mirum, si Hungari undique pressi ipsius auxilium imploraturi essent. Dato hoc responso Fridericus rebus in Palatinatu constitutis, & administratione civili Joanni Bipontino, bellica vero Joanni Nasso-

Sæc. XVII. A. C. 1619. Naſſovio demandata, unacum Conjuge ſua, liberisque Ambergam profectus eſt, inde vero datis die ſeptima Octobris ad eundem Maximilianum literis, ſe tandem Bohemiæ coronam acceptaſſe ſignificavit, & Palatinatum ſuum ſuperiorem cum Ambergenſi Curia perquam ſtudioſe Bavariæ Duci commendavit: mox tamen hic Friderico ſequentes transmiſit literas: „*Quando jam jacta eſt alea, nil ſupereſt conſilii, quo ab incepto te deterream, fateri tamen cogor, me cogitatione non aſſequi, qui fieri poſſit, ut ex Bohemicis motibus Imperii incolumitas, totiusque Germaniæ quies naſcatur. Hoc ſolatii eſt reliquum, quod, in quemcunque tandem caſum res venerint, amanter, fideliterque, quæ commoda ſint viſa, tibi aperuerim: Domus Auſtriaca res ſuas non erit neglectura, & vix, ac ne vix quidem futurum, quin ſuppetias per Bavariæ fines traducat, id tametſi damno futurum ſit, non poſſem nihilominus prohibere, niſi ſedes belli figatur in Boica, & cum domo Auſtriaca, ipſiusque ſæderatis, capitales inimicitiæ contrahantur. Non videtur legibus imperii conſentaneum, Cæſarianas Legiones, quæ amice ſe gerunt, prohibere tranſitu, & debitam ſupremi in Imperio capitis rationem non habere. Cæſar, Cæſarisque amici, non debent eſſe deteriore loco, quam alii. Tu enimvero, extero militi*

liti per tuas ditiones in Bohemiam eunti, non obstitisti, nec itidem ejusce fœderati obstiterunt: istis exemplis non deberet concedi, ut Cæsaris hostes sint ipso Cæsare in imperio potiores. His addidit Dux alia, de caussis conscripti a Catholicis exercitus, ad sui defensionem; eos enim non immerito vereri, ajebat Maximilianus, ne postquam Romanam Religionem in suo Regno Bohemi everterint, eandem in Germania nitantur stirpitus evellere, quamquam a Friderico mitiora sperentur.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Certe graviter, prosequebatur Dux, perculsi sunt *Catholicorum animi*, nonnullis *crudelitatis exemplis. Cassoviæ de duobus Religiosis, unoque præterea adolescente in foro, mox post absoluta divina, caussa indicta, capitis sumptum est supplicium; suntque alia, quæ paulatim erumpent in apertum: nihilo tamen secius Bohemi, Hungaris, aliisque pollicentur Catholicis omnem Conscientiæ, rituumque Romanorum libertatem. Talia autem facinora, nihil cum istiusmodi pollicitis consentiunt: procul absunt a desiderio reconciliandæ mutuæ fiduciæ & consensionis, quod tu ipse jactitas. Interim* Deum precor, ut omnia bene feliciterque evenire jubeat.„ Exigui fructus spem Bavariæ Duci reliquam fecerat, non modo Friderici pertinacia, sed vel maxime

Sæc. XVII. A. C. 1619.

xime petulantia Bohemorum Directorum, qui ab initio horum motuum pro explenda sua ambitione ac rebellione omnes tam Divinas quam humanas leges pessumdederunt; quo enim jure Ferdinando, quem ipsimet in Regem elegerant, Regnum eripere poterant; si enim eum tanquam Regem suum agnoverant, cur eum, qui nullum se superiorem in terris habuit, judicare ausi sunt? si vero Bohemiæ Regnum tanquam Cæsaris & Imperii feudum, uti reipsa est, esse crediderunt, cur judicium, ut vocant, feudale non instituerunt, ubi a Cæsare & Imperio de juribus partium judicari debuisset? cur omisso ejusmodi judicio, nequidem post Mathiæ Imperatoris obitum Imperii Vicarios interpellarunt, supplices, ut hi feudale judicium instituerent, Paresque Curiæ eo convocarent. Ast maluerunt via facti Regem suum exauctorare, seque tanquam judices simul & accusatores gerere.

§. VIII.

Friderici epistola ad Saxoniæ Electorem, hujusque responsum ad illum.

Merc. Gallob. t.13. l. 1.

Prius vero die sexta Octobris Fridericus Amberga literas ad Saxoniæ Ele-

Electorem dabat hujus tenoris: „haud „necessarium est, turbarum, quæ in „Bohemia hactenus extiterunt, men„tionem aliquam apud te facere; non „enim ignorare potes, quantis cona„tibus Jesuitæ, & eorum assecla Pro„testantibus in Regno isto Statibus sem„per restiterint, permissum eis a Ru„dolpho Cæsare Majestatis diploma op„pugnarint, idque unice egerint, ut „regnum istud cum incorporatis ei pro„vinciis sub jugum pontificium & ab„solutum dominium rursus mitteretur, „cumque læsa sæpius patientia, viam „tandem Ordines invenerint, qua di„ploma istud Majestatis ab interitu vin„dicarent, & per hanc occasionem Re„gno ejecti essent, quam laborarint sta„tim, armis, ad quæ corripienda Cæ„sarem induxerant, reditum, de me„diis scilicet aliis desperantes, sibi pa„rare.„

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Prohibere equidem per ablegatos „meos Francofurtum Consiliarios modis „omnibus, ut ab extremitatibus absti„neretur, conatus sum, cum vero, „qui ablegati eo ab Ordinibus Bohe„miæ legatis fuerunt, ut admitteren„tur, impetrare non possent, nec lite„ræ eorum in Collegium Electorum ad „consultandum afferrentur, sed ad e„lectionem faciendam præcipitatis con„

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„filiis properaretur, insignis inde mu-
„tatio in regno isto, abdicatio scilicet,
„& nova personæ meæ electio secuta
„est. Enimvero nunquam eam pren-
„savi, nec unquam coronam istam, re-
„bus præsertim sic stantibus, & regno
„ita jam bellorum tumultibus exhau-
„sto, ut utilitatis parum, periculorum
„vero & laborum satis multum expe-
„ctari inde possit, expetii. Cum ve-
„ro Ordines Bohemiæ cum incorpo-
„ratis provinciis decretum, de jugo
„isto veteri semel excutiendo, & nun-
„quam iterum assumendo, quin pere-
„grino potius imperio admittendo fece-
„rint, colligere facile potui, quid in-
„de imperio vicinisque Principibus in-
„commoditatis accrescere possit, quod-
„que futurum sit, ut causa omnis mali
„mihi imputaretur, qui legitimam & or-
„dinariam Dei vocationem acceptare
„recusaverim, oblatamque *Rempublicam
juvandi occasionem neglexerim: Cum igi-
tur legationem a Bohemis, & incorpora-
tis provinciis ad me decretam quotidie ex-
pectem, consilium, auxiliumque tuum im-
ploro, promitto autem, quod, quæ futura
sint, ad te fideliter referre, omniaque ita
disponere velim, ut pax in imperio, sub-
lata omni bellorum occasione, conservetur.
Hoc quidem ita spero, dummodo Hispa-
niæ Rex, & reliqui Status Catholici (cum
Ele-*

Electoribus enim Spiritualibus, & Bavariæ etiam duce hoc nomine jam egi) quietos se præstiterint. Secus si faxint, externum quoque requirere auxilium vel invitus cogor. Ad extremum, non dubito, quin de Hungaricis etiam rebus quid inaudieris: Earum quæ ratio, & finis sit, exploratum satis non habeo, ita tamen statuerunt Ordines, Jesuiticarum, quas hactenus perpessi fuerunt, machinationum pertæsi, quod, quia viribus, propugnaculisque, adversus juratum Christiani nominis hostem paratis, nudari, privarique sese vident, de ratione aliqua ab interitu se suosque vindicandi cogitare decreverint, cœperintque.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Ad has vero Friderici literas Saxoniæ Elector respondens paucis hæc significabat: *de rejectione moderni Imperatoris, factaque nova personæ tuæ in Regem electione, verba jam facere nolo, cum præsertim de jure electionis, quo Regnum istud fruatur, deque pactis cum Domo Austriaca intercedentibus, & impetratis contra Reversales, quemadmodum, etiam de causis factæ rejectionis, & quo animo eam Cæsar Domusque Austriaca accepturi sint, nihil etiamnum mihi constet, summe tamen vereor, futurum, ut Regnum istud Bohemiæ, & incorporatæ provinciæ ad optatam hac ratione pacem non modo non perveniant, sed turbis etiam majoribus involvantur, cum præsertim tractationibus locum nullum re-*

Sæc. XVII. A.C. 1619.

lictum esse scribas, Imperatorem vero, periculum sit, exclusionem istam gravissime laturum, & vel omnium, quæ ipsi adhuc restant, jacturam potius, quam Regno isto cedat, facturum. Dissuasionibus prolixis negotium tibi facessere nolo, ne vel invidere tibi dignitatem istam, vel Ordinum jura, immunitates, & privilegia in dubium vocare velle videar, ita tamen statuo, si rationes contrariæ, & dissuadentes cum Suasoriis conferantur, futurum, ut his longe præponderent. De te non dubito, quin in arduo hoc negotio consilium maturum adhibiturus sis, exemplaque aliorum Principum, quibus honores oblati iidem olim fuerint, ob oculos tibi propositurus, & admonitiones istas meas nonnisi ex fideli, & benevolo profectas animo existimaturus sis. Ad me quod attinet, omnem istam rem divinæ providentiæ, & moderationi committo, totoque pectore opto, ut consilia apprehendas ejusmodi, quæ Electorali & Regia dignitate digna, subditis utilia, toti Imperio honorifica, Regno Bohemiæ annexisque provinciis salutaria sint, & ad pacem acquirendam perniciemque omnem avertendam quam maxime faciant. Non intermittam etiam, quin *habito cum reliquis Electoribus, Collegis meis, consilio, quæ ad pacem conservandam necessaria futura sint, modis omnibus promoveam. Motuum Hungaricorum quæ causa sit, mihi qui-*

quidem non constat, ex missis tamen hinc inde literis colligi facile potest, Transylvaniæ etiam Principis ad Moraviæ Ordines facta postulata, propediem eam palam facerent. Interim Deum precor, ut periculum omne ab Imperii finibus avertat, & ne Turcis occasio detur, quod armis non potuerunt hactenus, obtinendi, clementissime prohibeat.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Verum hæc Principum monita eo minus Friderici animum ad saniora revocabant, quo audacius ejus fautores illum in suo proposito firmabant, atque edito libello (*) demonstrare nitebantur, quod Ferdinandus II. mortuo Mathia Imperatore a Bohemiæ Regno, annexisque Provinciis exciderit, proin Fridericus a Bohemiæ Ordinibus jure in Regem eligi potuerit.

(*) Hujus libri sine Authoris, & typis nomine anno 1620. editi titulus est. *Deductio* daß ist, nothwendige Ausführung, Bericht, und Erzehlung deren Ursachen und *Motiven*, warum Kaiser *Ferdinandus II.* nach tödtlichen Abgang, weil. Kaiser Mathiä, des Regiments im Königreich Böheim und desselbigen *incorporirten* Länder verlurstiget worden.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. IX.

Fridericus a rebellibus Bohemis Rex coronatus.

Struv. Period. 10. sect. 9. Londorp. t. 1. l. 4. c. 91. Khenvenhill. tom. 9. Brachell. Hist. nostr. temp. l. 1. Jæger Hist. Eccles. Arnold. Kezer hist. tom. 2. l. 16. cap. 1. §. 16.

Attamen Fridericus hisce Bavariæ & Saxoniæ Electorum suasionibus nequaquam a concepto acceptandæ coronæ proposito abduci poterat, præcipue stimulatus ab ambitiosa Conjuge sua, quæ utpote Anglici Regis filia vehementer angebatur, se Marito Rege carere, atque imparem natalibus suis consortem habere. Itaque novus Bohemiæ Rex, paulopost nec Comes, nec Elector, nec Rex futurus, unacum conjuge filiis, universoque comitatu Heidelberga Ambergam, indeque die undecima Octobris Waldsassium superioris Palatinatus municipium profectus est, quo Bohemi pariter & Palatini Proceres convenerant, negotio postremam imposituri manum. Horum postulatu Fridericus pollicitus est, quod Pragæ deinceps perpetuæ habitationis sedem sibi constituere, illucque ad recipienda Regni insignia primo quoque tempore sese transferre, Regnique privilegia, Rudolphinum diploma, ceterasque Regni leges, regandique conditiones sua syngrapha firmare velit, ea lege, ut Palatinatu non exuto

Rex

Rex Bohemorum, Dux Silesiæ, Marchio Moravorum, & utriusque Lusatiæ fiat ac sit. Haud silentio prætereundum est, quod Elector, postquam Waldsassium profecturus Heidelbergensibus suis valedixerat, mænibus excedens inter effusas confertæ multitudinis congratulationes lacrimari palam cæperit, proximam forte ruinam suam suorumque præsaga mente deplorans. Insuper Friderici Mater e fenestris abeuntem conspiciens exclamabat: *Ah! nunc Palatinatus transit in Bohemiam.* Die autem 21. Octobris Pragam adventans a Bohemiæ Proceribus, ac Silesiæ, Moraviæ & Lusatiæ Nobilibus inter publicas lætitiæ significationes excipiebatur, Tallenbergio ceterorum nomine perorante. Aderat etiam multitudo agrestium Bohemorum, qui falcibus, tribulis, ferratis clavis, aliisque bellicis Zyskianæ rebellionis reliquiis instructi Fridericum tanquam Regem suum armorum atque utensilium concrepatione tumultuosa quidem, imperii tamen hujus genio accommoda salutarunt: Die autem quarta Novembris Fridericus de acceptando regno dubius adhuc hærebat, religionem movente antiquo inaugurationis more, quo Reges ab Episcopis sacro oleo inungi solebant; ast Protestantes Bohemi

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Bellus l. 3. pag. 248.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

hunc ei ſcrupulum mox exemerunt, aſ-
ferentes, quod antiquiſſimorum ejus-
modi rituum non eſſet habenda ratio;
quippe ſine quibus etiam ille, qui Rex
eligeretur, rite quoque Rex eſſe poſſet,
ſicuti Henricus III. anno 1051. ante ſu-
ſceptum etiam Baptisma Rex inaugu-
ratus fuiſſet. Semoto igitur hoc du-
bio Fridericus ab Huſſitico Archiſyna-
goga in æde Metropolitana Pragenſi
Divo Vito ſacra, præſtito prius jura-
mento, coronatus eſt. Dein Regi ſuo
in ſolio ſedenti Proceres omnes, qui
ob religionem loco non prohibebantur,
tacta digitis corona capiti Regio impo-
ſita, ſupplices fidem obſequiumque ju-
re jurando exſolverunt: ipſe vero Rex
quinque Bohemos Proceres militiæ au-
ratæ Equites creabat, & Calviniani
fervoris ſpecimen daturus, paulopoſt
Imagines ſacras, omnemque cultum
Catholicum ex eodem Templo elimi-
nabat, Sacerdotibus Catholicis ad a-
liud Templum migrare compulſis, uti
infra fuſius referemus. Tertio poſt die
Eliſabethæ conjugis ſuæ coronatio, eo-
dem ferme ritu peracta eſt: Ut autem
novus Rex uſurpati diadematis invi-
diam a ſe averteret, publicis literis ad
omnes Reges, Electores, Duces &
Nobiles, necnon aliis ſeorſim ad Polo-
niæ Regem, Venetos, aliosque Italiæ
Prin-

Barre Hiſt. d'Allem. t. 9. p. 481.

Piaſecius pag. 322.

Principes datis ſuam agendi rationem vindicare nitebatur (*). Applaudebant viciſſim novo Regi ex odio erga Auſtriacos, Veneti, Dani, Suecique. Demum vero Fridericus Praga ſimul cum uxore ſua Norimbergam ad Correſpondentium Principum comitia, ubi adverſus Cæſarem nova cudebantur conſilia, profectus eſt: Bohemi autem ſequenti anno, ut obeunte Patre Auſtriacæ Domui ſucceſſionis ſpes penitus ſucciſa eſſet, Fridericum Henricum Regis Filium in Regni Succeſſorem nominabant, cum tamen ex eo capite, eoquod ex veteri Bohemorum jure Reges *eligendi*, non autem *nativitatis jure dandi* eſſent, non ita pridem Ferdinandum exauctoraſſent, ac ipſemet Fridericus in præfata Apologia ſua, quam tamen anno ſequenti Valentinus Cæſarius Auſtriacus egregie confutabat edito libro, profeſſus eſſet, ſe ideo in ſui electionem conſenſiſſe, *ne Regnum, quod electione deferri oporteret, hæreditaria ſucceſſione deinceps occupetur*. Pariter ſingulari nota dignum eſt, quod Huſſi-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Fides Bohemo-Palatina.

(*) Hanc in rem edidit apologiam, ſub hoc titulo: *Friderici D. G. Bohemiæ Regis Comitis Palatini Rheni, Electoris &c. declaratio publica, cur Regni Bohemiæ, annexarumque Provinciarum Regimen in ſe ſuſceperit.*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Huſſitici Verbi Miniſter tam in Regis quam Reginæ inauguratione, quoties eis quædam Regni inſignia tradebat, ſigillatim quamdam precationem Catholicorum more adjunxerit, quod in iis, qui ejusmodi rituum, omniumque Papiſticam, ut loquuntur, ſuperſtitionem redolentium oſores ſunt, valde mirum videri poteſt.

§. X.

Britanno - Batavica ſecretiſſima Inſtructio Friderico V. data.

Bald. Chron. moral. pag. 1067. *Arnold* Kezer *Hiſt. tom.* 2. *l.* 17. *cap.* 1. §. 11.

Inter arcanas ſcripturas, quæ poſt Pragenſe prælium a victoribus reperta fuere, habebatur ſecretiſſima quædam inſtructio, cujus Author ſe fideliſſimum Friderici Educatorem, atque exercitatum militem, verſatiſſimumque Politicum appellitat, ſuaque præcepta ad genium illius ævi Principum accommodat, ita exorſus:

Sereniſſime Princeps, Alumne chariſſime! documenta non quotidiana cape: „his ſervatis, te ſervabis: hiſce „regna Britanniæ unita, Hollandia de„fenſa, Galliarum Reges in officio re„tenti erunt: hiſce tu Cæſarem compe„ſces, Cæſar eris. Audi Educatorem, „Magiſtrum, Clientem: cujus ſalus ex „tua Salute pendet, ſecreta, ſed ſeria „con-

„consilia suggerentem. A puero didi- „cisti, inter consilium & adulationem, „quid intersit. Cavebis autem, ne ad „alios imperii hæc arcana perferantur.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

II. „Jacta est alea, transisti Rubico- „nem, tenendum est institutum: cade- „re jam de fastigio tua Majestas potest, „descendere non potest. Inter pares, „vivere par non est, qui pares oppres- „sit, aut omnes etiam tuæ potentiæ „adjutores, opprimendi sunt, aut to- „tum perdendum. Pauci reges ab ho- „stibus, multi ab æmulis, & quondam „fidis, plerique ab intimis trucidati „sunt. Alexandri tota progenies cæ- „sa est ab Alexandri Ducibus. Hæc „tecum perpendes, & Historicum tuum „rogabis.

III. „Tuo in regno, si unquam in „ullo non est minor, sed major Virtus, „quam quærere, parta tueri: major, „inquam, nam sine tuo labore, tuo- „rum astu, versutiisque tibi sunt om- „nia parta, uno verbo, si fateri inter se- „cretissima arcana licet, errore factus „es rex. At toto corpore tuarum Di- „tionum, sociorumque defendendum „est, quod accepisti. Numera a Julio „Cæsare, usque ad Ferdinandum, in- „ter centum, qui regna per vim oc- „cuparunt, non sunt quatuor, qui non „eadem perdiderint, & cum tota sa-

„milia

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„milia perierint. Inter magnos reges, „pauciſſimi ſuo die defuncti: Inter quin„quaginta Cæſares, quære tres, qui „poſt multas ſeditiones, non dederint „ſanguinem invidiæ, vel odio. Inter „Bohemiæ Reges, duo ſolum ſine re„bellione regnarunt. Tu, quorum lo„cum tenes, pericula expaveſce, gla„dium contra Cæſarem ſumpſiſti, gla„dium non modo Cæſaris, ſed cujus„cunque time: Dominus eſt vitæ tuæ, „quisquis contemptor eſt ſuæ. Imo tan„quam de invaſore, & prædone trium„phabit, quisquis te occiderit. Cau„tionem itaque a nobis, magnificentiam „ab aulicis diſces, fortunam ex defun„ctis, atque utinam legendo, non ex„periendo.

IV, „Tria igitur hoc rerum ſtatu cir„cumſpicies hominum genera: Hoſtes „apertos, Amicos veros, & qui ſunt „vel ficti amici, vel tecti hoſtes, quos „omnes inter dubios numeramus.

„Hoſtes aperti ſunt, Domus Au„ſtriaca, Pontifex, Itali, & qui his „ſine fraude, ac fuco ingenue adhæ„rent. Contra hos opus eſt tibi ſum„ptu magno, diuturno, Ducibus ma„gnis, fidisque, milite perpetuo, quia „hæc illis adſunt, ſæpius vinci poſſunt, „tardius debellari poterunt. Noſti Han„nibalem tribus magnis, decem me„diocri-

„diocribus præliis victorem, tandem „bello victum, vectigalem, exulem, „veneno tot decora perdidisse. Sæc. XVII. A. C. 1619.

V. „Pares sumptus, viresque aper„tis hostibus non habes, ideo a fœde„ratis petenda sunt: in quo multa pe„ricula. Primum, ne graventur im„pendiis. Secundo, ne de recompen„satione desperent. Tertio, ne casu „adverso frangantur. Quarto, ne in„ter se dissentiant. Quinto, ne alio „bello implicentur. Sexto, ne illis „tua potentia invidiosa reddatur. De„nique, ne quavis ex causa multi dis„sentientes, & quorum proposita con„traria sunt, te deserant. Hæc exem„plis te tua Germania tempore Caroli „V. docuit, cum Principes prodiderunt „civitates. Valde itaque consideran„dum, quo modo par hostibus esse „possis.„

VI. „Neque solum hostium, quæ „modo est, potentiam expendas velim „sed eam, quam extrema pericula, vel „desperatio efficere potest: qui vinci„tur, & magno animo est, undique ar„ma habere potest. Quid, si Ferdi„nandus, Leopoldus, Carolus, alii, „extrema tentent? si jura sua Venetis „transcribant? si Magnatibus Poloniæ, „vel illi regno, Lusatiam, Silesiam, „Moraviam tradant? Quid, si jus suum

„non

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„non dico Hiſpano, aut Franco, ſed „cuivis alteri offerant? Quid, ſi fœde„rum vigore, ultro oblata a Turcis au„xilia accipiant, unde & tu, & Gabor „petiiſtis? Putas, Turcam tam ſpe„cioſam cauſam deſerturum? Quid, ſi „Hiſpanus cum Turca pacem faciat? „Quid, ſi Iſtriam, Carniolam, Carin„thiamque Venetis divendant: itaque „ſecurus eſſe noli. Victor inexpectato „ferieris ictu. Miſerorum eſt induſtria, „nunquam alto Sanguini deeſt miſera„tio, nunquam afflictis auxilium. Sed „quid me diffundo? ferieris, a quo „minime putabas.

VII. „De amicis ſcito, paucos eſſe „tibi: Socer, Uxor, Dux Bullionius, „quidam agnati, Frater, ſi coluntur, „amici ſunt, ceteri fortunam tuam ve„nerantur, ſuæ ſpei, ſuæ promotionis „ſunt amici, quibus niſi tu ſatisfacias, „experieris proditores, ac transfugas, „Quotus enim quisque te tua, non ſua „cauſa, ſecutus eſt? Quotus quisque „recedens, tibi non maledicit? ſed de „amicis tuis ſpeciatim conſidera.

VIII. „Bohemi amici nequaquam „ſunt. Id verius, quam credibilius eſt: „ſenties id tamen, ubi acta perpende„ris: Primum, non honoris tui cauſa, „ſed neceſſitate compulſi, te Regem „dixere, & quidem a Saxone, Bava„roque

„roque repudiati: & magna tamen con- Sæc. XVII.
„certatio fuit, ne Saxonem invitum A. C. 1619.
„præferrent, aut Gabrielem. Deinde
„liberi esse statuerant more Hollandiæ,
„& Venetiarum, & jam Helveticas Res-
„publicas meditabantur; sed positi in-
„ter Duces & reges, cum viderent sub-
„sidia non dari a Principibus, in tam
„pernicioso exemplo: cum etiam ad-
„verterent in electione Imperatoria ra-
„tionem statuum non haberi, sed Re-
„gis: non inconsultum arbitrati sunt,
„cæremoniali coronatione sibi auxilia
„parare.

IX. „Tertio, clarius etiam odii sui
„signum in te jam ostendunt, cum eas
„tibi conditiones ferunt regnandi, quas
„moderati domini mancipiis imponere
„vix solent. In omnia eorum acta a-
„gendaque jurare cogeris: si delinquas,
„ipsi tui sunt actores, testes, judices,
„forte & præcipitatores. Bellum tu
„gerere, scribere militem, iis invitis
„non potes: illi sine te, & contra te
„possunt: Armamentarium habere tibi
„non licet, illi habere volunt. Deni-
„que eorum Senatus-consultis subscri-
„bere cogeris, & jam in tuum, & tuo-
„rum opprobrium, & jam contra tuam
„salutem; ni faxis, Rex non eris. Ne-
„que te moveant blanditiæ, & obse-
„quia; plus affectat in hujusmodi re-
„bus

Sæc. XVII. A. C. 1619. „bus ſimulatio, & oſtentatio, quam ve„ritas, & amicitia faciant. Fictioni „multis opus eſt tegumentis, ne pa„teat: cave igitur, illis credas. Na„turam eorum perdiſce, inter vapores „ceresiſiæ, ructusque jam ſaturi, & „oppleti deliberant; atque ad ea, quæ „cogitarunt, efficienda, præcipites ſunt, „celeresque. Bohemia indigenis regi„bus ſemper Noverca fuit, tibi extero „ne ſpera matrem fore. Dum alios ti„met, dum a te ſperat, paululum in„terquieſcet; te ſi timere cæperit, a te „ſi ſperare deſierit, redibit ad inge„nium.

X. „Cum igitur Bohemi ſint aſperi, „efferi, contumaces, in conſiliis ab„rupti, in executione inopinati, recte „facies, ſi te nondum regem eſſe, nec „ipſos tuos ſubditos arbitreris.

„Arborem te eſſe cogita, quæ non „radicibus fixa, ſuis ipſa membris fir„metur in terram depreſſis; ſed quam „fulcra, & ſtatumina ſuſtentant exter„na, quorum nonnulla de facili ſucci„di, & abrumpi poſſunt. Perpende, „nullam eſſe diuturnam potentiam, quæ „ſuis viribus nixa non eſt. Tuum Im„perium, nonniſi conſenſu parentum „validum eſſe poteſt: at conſenſus ille „momentaneus, volubilisque eſt. Ex„perieris, ubi Auſtriacos timere deſie„rint,

„rint, ubi tributa exegeris, ubi sup- Sæc. XVII.
„plicia decreveris. Imo non obscure A. C. 1619.
„te Lutherani, & Hussitæ detestantur,
„Saxonemque respectant, ut suæ liber-
„tatis vindicem: Nec defuerunt, qui
„censuerint, te puerum coronandum,
„& tollendum, ut Augustum Cicero
„laudandum, & tollendum dixit. Tu
„ne committe, ut tolli possis.„

XI. „Hæc ut penitius pervideas,
„cognatum Mauritium, & Hollandos
„specta. Nemo ab hominum memoria
„periculosius, feliciusque pro Patria
„gessit bella, quam Mauritius: nemo
„paterna memoria gratiosior fuit; in
„nullum major civitatum affectus fuit.
„Quæ enim non dixerunt, feceruntque,
„cum triumphantem exciperent? quæ
„non dederunt, pollicitique sunt, cum
„etiam nudas Virgines publicitus offer-
„rent? Nunc vero, nisi occupasset fa-
„cinus, ille cadaver esset, regnaret Bar-
„neveldius. Causa est, perpetuum cer-
„tamen inter libertatem & regnum. Ea-
„dem est in Bohemia. Tu cupis esse
„Rex absolutus, non larva Regis: cu-
„pis omnes tibi subditos esse: illi cu-
„piunt maxime esse liberi, nec regem
„quidquam, nisi quod illi volunt, posse.
„Dum igitur illi immoderatam petunt
„libertatem Regibus dominantem: Tu
„non precarium, sed obnoxium in sub-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„ditis obſequium, neceſſe eſt motus o„riri, ut nunc videmus in Belgio, ubi „omnia tentantur, nec tamen magnis „multorum odiis ulla potentia par in„venitur. Itaque præſtabit Belgium „totum in ſervitutem rapere, quam „tam anxio imperio tenere, quod nunc „mutatis pro conditione temporum, „Magiſtratibus feliciter inchoatum eſt.

XII. „Venio ad alios amicos, quos „difficulter invenies, ſi judicaveris Bo„hemos amicos non eſſe, Gabor Tran„ſylvanus tibi amicus non eſt, ſed o„dio Cæſaris, & timore, fœdus tecum „pepigit, ut, dum te objicit periculis, „ille Hungariam teneat, muniatque, „Bohemiæ regnum & ille affectavit, „ſed ſpe ſua fruſtratus, ringitur, quod „tecum hanc partiri prædam debeat; „cum primum poterit, quod dimiſit „invitus, omni conatu recuperare con„tendet. Sua te regem factum jactitat „opera, præmia petit: Novit is probe, „non poſſe Hungariam contra Turcas, „Tartaros, Venetos, Polonos, ipſos „Hungaros, a ſe defendi, niſi aliis re„gnis, Provinciisque adjectis. Bohe„miam itaque, additasque illi ditio„nes, ſuæ coronæ eſſe neceſſarias non „immerito putat. Cum vero jus eli„gendi regis in Bohemia Proceres ſibi „vendicent, non difficulter in ſuam „Sen-

„Sententiam hos pelliciet, facietque „tibi, quod tu Ferdinando, & quod ipse „domui Auſtriacæ. Imo ſi Cæſar illi „Hungariam in feudum donet, niſi a „moribus ſuis degeneraverit, omnibus „paratus erit contendere viribus, ut „Bohemia Auſtriacis reſtituatur.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

XIII. „Multo minus Turcam fidum, „amicumque exiſtimabis. Jucundiſſi„mum ille ſibi, in veſtibulo Portæ ſuæ, „ſpectaculum de veſtris pugnis exhibet. „Victor pariter, & victus, præda eris. „Sic arietes, ſpectante lupo, & inhian„te, concurrunt. Sic Galli Gallinacei, „plaudente Aquila, præliantur. Axio„ma Turcarum eſt, nulli Chriſtiano, „niſi commodi ſui cauſa, amicum eſſe. „Nullum hactenus bello, ſi omnes e„volvas *Annales*, juvit, quem non in „miſerandam redegerit ſervitutem; fi„dem ſola utilitate, quæſtu metitur. „Tot opum, ac Virorum impendiis pro „Hungaria depugnavit, toto Europæ „corpore illa defenſa eſt: At ſine San„guine, ſine ſumptu, Hungariam te„net, per vaſallum fidum poſſidet, tri„butum accipit, jus traducendi exer„citus habet. In Moraviam, Bohe„miam Sileſiamque, & ſi non ſtatim „moverit, tu ſemper eum expectabis. „Nam Gabriel ejus præſidio Tranſyl„vaniam obtinet, ejusdem Hungariam „occupat, Baſſæ ſubſidio militem para-

Sæc. XVII. A.C. 1619.

„tum habent, vocati, & invocati adeo„runt, urbes pro cautione, ac pigno„re, ut Lippam in Transylvania acci„pient.„

„An tu fore speras, ut Turca mo„ribus suis non utatur? cur tam per„fide, atrociter, periculoseque Ger„maniæ Imperium infestavit, si nunc „te secure regnantem sinet? At servet „sane fidem; at tu illi credere nequa„quam debes, quia nunquam hacte„nus servavit fidem. Legationes igi„tur tuæ, quas partim promisisti Con„stantinopolim, partim nunc adornas; „profusa etiam donaria, quibus Turcam „demereris, subjectionis tuæ Symbola „erunt, securitatis vades non erunt. „Hoc sane horrendum est, regnum „tuum, cum primum violare fidem illi „visum fuerit, in ejus fore potestate. „Si ad altam te Portam suam vocave„rit, eundum esse. Si, ut arma Tur„cicis conjuncta contra quempiam chri„stianum convertas, jusserit, idem fa„cere cogeris; quod ante biennium „tuus Gabor fecit, contra Polonos exer„citum suum Duce Scender Bassa ex„pediens. Nec insolitum tibi videri „poterit, si fidem Turca fallat, cum „ipse, ut de Gabor taceam, tot modis „jusjurandum, & fidem, regnandi cau„sa, violaveris, & exemplum contra te „dede-

„dederis. Ego vero puto, Turcam & „tibi, & Gabrieli tunc fore infestiorem, „dum vos felices putabitis. Nam Tur„ca hactenus id egit, ut discordiis Chri„stianorum rem stabiliret suam; nunc „si te, Gabrielem, Venetos, ac Prin„cipes quosdam Germaniæ concordes „viderit, sibi timebit. Itaque pulsis „Austriacis, vos dissipabit, disjunctos „invadet; te per Gabrielem, & Venetos „per alios vastabit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

XIV. „Quæ de Turcis, deque tuo „Transylvano Gabor attigi, ut uberius „noris, juvat; cognosces autem ex „*Literarum* copiis fideliter ex originali „transcriptis. Disces sane ex illis ar„tem cum Turcis tractandi; nec pudeat, „pigeatque a Veterano, quique ma„gnam virilis ætatis partem apud Tur„cas contrivit, tyronem in hac palæ„stra discere. Sed & intelliges distin„cte, quem in scopum, curas, cogita„tionesque suas Gabor direxerit. Ut „autem promptius assequaris, quæ „prioribus *Literis* habentur, scire de„bes, Gabrielem tuum, contra Princi„pem, ac Dominum suum, validum „Turcarum exercitum in ipsa Transyl„vaniæ viscera duxisse, eaque mise„randum in modum vastata, direpta„que, sublato Gabriele Bathorio, Prin„cipatum sibi formasse: Turcas multis

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Christianorum millibus in diram ser„vitutem abductis, Transylvania ex„cessisse. Ut igitur navatæ operæ pro„missa jam dudum præmia Turcis ex„solverentur, collectis omnibus Tran„sylvaniæ viribus, bellum contra san„guinem suum movit, quas Turcis per„miserat, arces, valida Christianæ Rei„publicæ præsidia iisdem consignaturus. „Præsidiarii tantum facinus aversati, „cedere noluerunt, sed muris vi tor„mentorum dejectis, ac dissipatis, Lip„pa inprimis mænibus cincta, ac du„plici arce munita; deinde Solymos, „Eperies, Towraggya, Margita, Mo„nostor, Arad, Syri, Facsat, occu„pata, Turcisque in manus tradita, „longeque major tractus Hungariæ Tur„cis hac deditionis ratione cessit, quam „decennali superiorum annorum bel„lo, ab iisdem fuerit occupatus.

„Post hunc tam heroicum (Turcicæ „videlicet servituti nobilissimam Pro„vinciæ portionem mancipando) actum, „ad Vezirum Nakas Hassanem Bassam, „priores *Literas* ex castris ad Lippam „positis scripsit: posteriorem undenam, „quave occasione dederit, ex ipsis per„cipies.„

His ita propositis hujus instructionis Auctor profert Bethlemi Gaboris literas priores ad Vezirium, quæ hujus

jus erant tenoris: *Ab annis compluribus inter nostrum potentissimum, invictissimumque Cæsarem, & regnum Transylvaniæ, alienationes, disceptationesque intercurrerunt, ob adeptam, nec redditam Lippam. Diffiteri non possumus, plurimas, easque justas, ac evidentes caussas fuisse, ob quas nec regnum, nec qui hujusque fuere Principes, adduci potuerunt, ut eam redderent. Nam ex quo priscorum Hungarorum progenitores, relicta Scythia, ferro absumptis harum terrarum incolis, regnum acquisierunt, nullo unquam tempore vel auditum, vel lectum alicubi, quod Gens Hungarica, non dico, Arces, civitates, tractus integros, sed vel palmum terræ sine armis, sine Sanguine, sine cæde, gratis alicui concessisset. Ex quo autem Gens Othomanica contra Hungaros bella gerit, quacumque in arce soli Hungari milites fuere, quantumvis valida impressione premerentur, haud sese dediderunt, ad unum omnes internecione deleri pro defensione patriæ maluerunt. Testantur id Alba Græca, Temesuaria, Szygetum.*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Nunc nostræ actiones, & adversus potentissimum Imperatorem declarata sincera fidelitas, longe aliter habet. Nam ut in potentissimum Imperatorem, veram fidelitatem nostram, restitutione arcis Lippæ, comprobaremus, ob practicas plurimorum Germanizantium, accedente præsidiariorum

Sæc. XVII. A. C. 1619.

rebellione, & exercituum nostrorum multiplici difficultate, multorum insignium militum nostrorum Sanguinis ac vitæ profusione, civitatem assaltu, Arcem valida impressione occupavimus, ut vel hac ratione potentissimo Imperatori gratificaremur. Interea ex parte Germanorum, tametsi sub pacis prætextu, multa donativa deferantur potentissimo Imperatori, alia tamen ex parte Georgium Hommonai in Transylvaniam, Sorban, Waivodam in Walachiam valido exercitu instructos, expediverunt. In Subsidium quoque arcis Lippæ (ne videlicet reddi illa per nos posset potentissimo Imperatori) ad instantiam præsidiariorum, validus contra nos exercitus fuit expeditus. Verum nos accelerato itinere, illius adventum prævertimus, & jam civitatem occupaveramus, cum hæc auxilia supervenerunt. Interim & Arcis oppugnationem urgendo & contra adventantes in campis depugnando, Deo adjutore, contra utrosque feliciter rem gessimus. Arce igitur occupata, & evacuata, juxta clemens mandatum potentissimi Imperatoris, Lippam unacum quinque arcibus, & castellis ad eam spectantibus, nos ipsi in manus Beglerbegi Temesuariensis, spectabilis, ac Magnifici Mehemet-Bassæ consignavimus.

Ob hanc æterna memoria dignam fidelitatis nostræ declarationem, cui parem nemo hujusque in tota natione Hungarica, forte

forte nec in alia, versus Othomanicam gentem exhibuit, quam clementem protectionem, quantam bonorum affluentiam sperare debeamus a nostro clementissimo, summœque dignitatis Cæsare, quam amicitiam, benevolentiamque a Veziris, quam ab universa Musulmanica gente gratitudinem, id nos summi inprimis Dei, ac per totum orbem diffusarum gentium, ac nationum, perennaturo judicio committimus. Capitis nostri, vitæque propriæ discrimine, tot insignium militum nostrorum Sanguine, tam grande obsequium præstitimus, vel hac ratione, gratiam, ac favorem potentissimi Imperatoris demereri satagentes De totius negotii cursu, deque postulatis nostris, quæ potentissimo Imperatori repræsentamus, Vestram Magnificentiam, Orator noster, qui illic est, plene edocebit, rogantes cum omni affectu Magnificentiam Vestram, digna postulata nostra, suo favore promota velit, quod nos una cum nostro regno, omni gratitudine demereri conabimur. Deus conservet Magnificentiam Vestram diutissime incolumem. Datum in castris nostris ad arcem Lippam positis, die decimo sexto mensis Junii. Anno millesimo sexcentesimo decimo sexto.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Posteriores autem ejusdem Gaboris ad Schenderem Bassam literæ his conceptæ erant verbis: *quam sincere, ac fraterno, quam grato benevoloque affectu,*

Sæc. XVII. Sæc. 1619.

fectu, conatus semper fuerim Vestræ Magnificentiæ servire, summus Deus mihi sit testis. Nescio tamen, quo meo merito, Vestra Magnificentia in meam perniciem, & apud splendidam portam, & alibi, multas fodit foveas, in quas ne præcipitarer, Deus hucusque protexit. Ego vero in Vestram Magnificentiam nunquam deliqui, quin potius, quantum potui, demereri laboravi, & vix non servus ipsius vectigalis fui. Quolibet enim anno multa donaria, suppellectilem argenteam, pecuniam numeratam, & salem debui Vestræ Magnificentiæ pendere, quarum rerum testes habeo, quos producam, cum oportunum fuerit. Ex iis cognoscet splendida porta, qua ratione Vestra Magnificentia Transylvaniam emungat. Non solum coram, sed etiam apud legatos, splendida semper verba dedit mihi Vestra Magnificentia, multis juramentis promisit benevolentiam, interim conatu omni exitium meum procuravit. Hucusque dissimulavi. Literas, quibus Vestra Magnificentia post meum ex Transylvania abscessum, Saxones allicit, heri accepi, quas ubi perlegissem, miratus sum vehementer, quod nondum desistat Magnificentia Vestra a practicis Transylvanicis, cum tamen nihil juris habeat in Transylvaniam, nec existimet, deposuisse nos, ac negligere curam Transylvaniæ. Rogo itaque Magnificentiam

tiam Vestram, a practicis hujusmodi desistat, in Transylvaniam me scriptitet, certo sibi persuadeat, cum iis, quibuscum cœpit, rem hanc non perficiet. Ego negotia Vestræ Magnificentiæ non attingo, cum id mei non sit officii: ita nec Vestra Magnificentia res meas dirigat, cum nemo ipsi hac in parte quidquam commiserit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Certo credat Magnificentia Vestra, quod & ego existimo me talem esse servitorem Cæsaris mei Clementissimi Domini, qualis est Vestra Magnificentia. Servivi, sed & nunc in dies servio potentiæ tuæ cum omni justitia, quod nunc vel maxime testatum feci. Et totam siquidem Hungaricam nationem, eodem prorsus modo, quo Transylvaniam, ad pedes potentissimi Domini perduxi. Isti jam suæ potentiæ una mecum fidelissimi erunt. Maneo nunc Posonii in Regia Hungariæ, Corona in meis manibus est, Deo Gratiæ, post dies decem Hungari sibi regem eligent. Convenerat omnis exercitus Ferdinandi, erant ultra sexaginta millia, ante portas Viennenses conflixímus, & magnus Deus, potentissimi Imperatoris auspiciis, victoriam largitus est, profligavimus inimicum, ultra Danubium pepulimus, Viennam conclusimus. Nunc exercitus nostros trajicimus, ut illos iterum invadamus, & si Deus faverit, Vienna quoque paucos intra dies,

in

Sæc. XVII. A. C. 1619. *in potestate mea erit. Totum regnum Bohemiæ, regnum Moraviæ, regnum Silesiæ, potentissima, Imperatori fidum, ac benevolum effecimus, eorum Exercitus penes me habeo, ex omnibus regnis Legati cum muneribus destinantur ad Lucidam portam. Taliter ego inservio potentissimo Domino, Vestra autem Magnificentia clanculum vult meos subditos a me avellere, ad rebellandum inducere, ob quod certe nunquam ei serviam. Deus sit cum Vestra Magnificentia. Posonii. 4. Novembris. Anno 1619.*

Recitatis hisce literis Auctor ita prosequebatur. XV. „Venetos ne ipsos „quidem amicos arbitrabere, multæ „causæ sunt. Prima, Aristocratiam „tuentur, & Principem nonnisi in spe„ciem habent, plebem contemnunt, Pa„tricius Sanguis solus imperio dignus „censetur.

„Natura itaque inimicus est Monar„chiæ eorum status, nec expedit tibi „tuos Proceres familiares esse Venetis, „amorem enim libertatis, odiumque „Regum adsciscunt.

„Secunda, Veneti mali vicini sunt, „cum nullo Italico pacem colere potue„runt, nullum vicinum habent ami„cum, omnium vicinorum ipsi sunt æ„muli. Patuit id nupero ad Gradiscam „bello, quo ex Hollandia, aliisque lo„cis

„cis auxilia petere debuerunt. Ne du- Sæc. XVII.
„bita, nec tibi quidem erunt amici. A. C. 1619.

„Tertia, tu, & illi pariter dilatare „regna, & vicina imperio adjicere fata„gitis, non igitur diu inter corrivales „pax esse poterit. Quod nunc tibi, & „Gabrieli blandiuntur, causa est, quia „tuo labore ac sumptu quam maxime „Austriacos atteri cupiunt, quorum ma„gnitudini invident, adeoque nullum „vicinum habere, quem timeant, ex„optant. Itaque si vel tua, vel Ga„brielis potentia eo perveniat, ut illis „sit formidanda, omnibus machinis „obsistent. Olim Lusitaniæ regibus In„dicam navigationem intercludere vo„luere. Omnibus enim Christianis in„vident se potentioribus. Turcam to„lerant, eique adulantur, cum tamen „ab illo & premantur, & spolientur.

„Denique fac, ad nutum omnia ire „Gabrieli, fac ipsum Turcicis copiis ad„jutum Styriam, ceteraque Cæsaris „occupare, & Coronæ Hungaricæ ad„jungere, tunc enim necesse est pacem „inter ipsum, ac Venetos discindi. Nam „ne dubites, eo rerum statu, Gabor „illa quoque repetet, quæ Veneti ab „Hungaricis olim regibus, cum eos „Turca premeret, usi occasione alienæ „calamitatis, in suam nassam averte„runt. Quod si vetera noluerit movere

„liti-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„litigia, certe præsentia nequaquam „negliget.

„Par autem Venetis erit, Transyl„vania, Hungaria, Styria, Carinthia, „& Austria unitis, & in vasallatum „Turcæ datis. Actum quidem ad nu„tum magnæ portæ, peribunt nobiles „Veneti, cum adversus duos validos „terra marique hostes, defensorem non „habebunt. Quæ omnia tam timenda „sunt, quam non sperandum est, Tur„cam, vel Gabrielem, data occasione „augendæ potentiæ, carituros prætextu „violandorum fœderum, quasi non sit „facturus Veneto, quod fecit Cæsari. „Nec ignorant ista Veneti, sed invidia „in domum Austriacam flagrantes, fu„tura pericula non æstimant. Nihil e„nim invidia potentius, utpote quæ se„ipsam consumit, ac devorat.

XVI. „In Principibus, urbibusque „Germaniæ, quamdiu illis tecum est „communis metus, spem locabis, ille, „ubi desierit, suas quisque res aget. Illi „tantum sui defensionem, & incremen„ta quærunt, eaque ex bonis Ecclesia„sticis, alia enim, quæ dones, non „habes. Hæc spes si decollet, bona „si acceperint, cum omnibus satisfieri „non possit, odisse incipient. Nam in „hac divisione, juxta legem, tibi po„tiorem partem applicabis, fratrique „tuo

„tuo & tot Palatinis non abundanti- Sæc. XVII.
„bus. Civitates etiam ſua merito re- A. C. 1619.
„poſcent præmia: nam pecunias gra-
„tis non exponent. Deinde, te urbes
„liberæ, & maxime finitimæ, valde
„metuunt, ut Wormatia, Spira, Fran-
„cofurtum. Jam vero ſi fies potentior,
„etiam te Norimberga, Ulma, formi-
„dare occipient. Putant enim, te ſibi
„velle dominari, aut ſane poſſe: ſem-
„per enim cogitat infirmior, non quid
„debeat facere fortior, ſed quid poſſit.
„Tertio, facile inter Principes diſcor-
„diæ, bellaque oriuntur, urbes pleræ-
„que Senatum ſuum oderunt: nec du-
„bium, ubi timor Cæſaris abfuerit,
„quin cives admodum vexati hactenus,
„Senatores ejecturi, vel occiſuri ſint.
„Nuper ſe Francofurtum, Wormatia,
„Norimberga commovit. Sic veſtra
„Liga diſſolvetur.

XVII. „Hollandorum etiam amici-
„tia incaute niteris, niſi Mauritius eos
„plane ſubegerit. Socero tuo Britan-
„no ante duos annos diffidere cæpe-
„runt: nunc Mauritium cognatum tuum
„oderunt, quia illum viam ad Princi-
„patum affectare, haud vane conji-
„ciunt. Et tu quoque ſuſpectus eſſe
„cæpiſti, ſed quia graviori in Hiſpanum
„odio ardent, idcirco tibi ſuppetias fe-
„runt. Sed illi quoque ita te adjutum

„vo-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„volunt, ut viciſſim illis ſis auxilio, ad „occupandum Europæ Imperium, quo „magnis animis, & variis adſpirant ar„tibus. Et niſi me augurium fallat, „inde prima quoque mali labes Socero „tuo, aliisque timenda eſt.

XVIII. „Regem igitur novum te „eſſe conſidera, certiſſimas multorum „regum inimicitias ſuſcepiſſe, paucos „habere amicos, faciendaque illa om„nia, quæ novis hominibus Tullius „quondam præcepit.

XIX. „Nunc quid agendum ſit, vi„des, etſi ipſe ſatis per te ſapis tibi, & „conſiliarios habes verſutos, callidos„que, tamen & hæc noſtra proderunt.

XX. „Duabus rebus hactenus va„luiſti: prudentiſſima ſimulatione, diſ„ſimulationeque: deinde celeritate. „Prior ars jam vim perdidit ſuam, al„tera igitur utendum. Simulando e„nim & diſſimulando in Europa fallere „nullum potes. Itaque artem nihil „profuturam deſinas, cenſeo.

„Extant tuæ *Literæ*, tam placidæ, „amicæ, ambitionis expertes, ut ab „ipſa virtute ſcriptas eſſe putes, can„didiſſimaque ſimplicitate. Interim „cum Hollandis, Venetis, Turca, Ga„briele, cunctis, qui prodeſſe, vel ob„eſſe poterant, ictum fœdus, inopi„nate rebellant Bohemi, deficiunt Si„leſii,

„lesii, Moravi, Austriaci, & quasi a „Machina, novus adest e septem mon- „tibus hostis. Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Mihi jurati affirmarunt, nec Cæ- „sarem, nec Principes Papisticos cre- „didisse, te regem esse velle. Cum e- „lectus esses, perstitisti in simulatione, „& res belle successit, credo, Papistas „credere, te præ amore Cæsarem e Bo- „hemia exclusisse. Sed serio, noli ar- „bitrari, ullum Papistam esse tam fun- „gum, aut caudicem, ut credat, tibi „esse credendum. Quod si tibi credere „se dicant & jurent, tu credas, eos „tui causa pejerare. Hoc moneo, quia „manifesta simulatio odium magis ex- „asperat. Qualis fuit illa in tuo pro- „grammate, cum hostem vocares Tur- „cam, & significares tibi animum esse „contra illum tua defendendi. Odio- „sum est sic Principibus collegis stulti- „tiam suam exprobrare. Cuncti enim „norunt, ea de re *Literas* Bohemorum „tenent, Gabrielem, adeoque Turcam „in subsidium vocatum, a quo & Po- „lonus ab infestanda Silesia deterretur. „Quid igitur tu eum hostem vocas, & „aversari simulas, cum ille tibi Do- „minus, fautor, auctor, & Conciliator regni sit? Sine illius venia nec „Gabriel venire, nec Polonus impe- „diri, nec tu Rex esse poteras.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Cum igitur in ejus te Clientelam „dederis, amicum fore ſpoponderis, Le„gationibus miſſis, magna ac multa „obtuleris, idque conſtet paſſim omni„bus, non puto negandum. Nam „Betlemum etiam Batavi noſtri riſere, „quod contra Turcam muniendos fi„nes dixiſſet, cum ipſe in medio regno „Lippam, aliasque arces, vi expugna„tas ultro Turcis tradiderit, cum intus „in corde, ac cute Turcam alat, fo„veatque, cum Viennam Turcico jugo „ſubjiciendam, datis *ad Turcas Literis*, „promittat. Itaque magis auctoritati conſules tuæ, ſi te Turcæ dicas con„fœderatum, & mineris, te eum ad„ducturum. Ægre ferent hoc urbes „Germaniæ, ſed quid refert? Libere „confitere, & factum eſſe recte, defen„de quod negari non poteſt.

XXI. „Huc etiam pertinet, quæ „reliquo in programmate eſt excuſa„tio, Non enim ullum movere pote„rit, ſi dicatur, juſtam eſſe alieni re„gni occupationem, eo quod ſecta quæ„dam in eo fuerit, quæ magnos Prin„cipes ſeduxerit. Quid enim aliis fiet „regnis, ſi iſta admittantur?

XXII. „Altero ergo ſtratagemate „uti perges, & prævalebis, celeritate „inquam. Itaque recte eſt factum, ut „in ipſa coronatione, in Bohemia, Mo„ravia,

„ravia, Hungaria, Auſtria, preſſo pede „hoſtem inſequeremini, ſi ſic victoria „utemini, paucos intra menſes, pe„dem in Germania non habebit Impe„rator. Ex una victoria gradum ad „aliam facies. Hoc vide, ne des tem„pus reſpirandi. Decimas retine; nam „reddendo, timoris ſuſpicionem præ„bebis, retinendo, fiduciam oſtenta„bis. Omnia occupa, ante Ver pro„ximum habes Spiram, Moguntiam, „Treviros, ab his incipe, opes habe„bis, & nomen, nec deerunt, qui tibi „aderunt. Ver timendum eſt, ſed „confœderati tui mature tibi ſuppetias, „auxiliaque ſubmittent. Denique ce„leritate eadem uteris continue, quam„vis forte ſucceſſus aliquis tibi requiem „ſuadere poſſit. At ſcito, nihil eſſe „periculoſius ſecuritate. Itaque au„dacter perge, omnes move, Gallum „demereri ſtude, ceteros omnes. Sem„per aliquid inveni, quod te alacrem „oſtendat, prorumpe, ubi non ex„pectaberis.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

XXIII. „Denique hoc memineris, „aut omnia, aut nihil. Hoc ſemper „diximus, ſi unum pedem Auſtriacæ „ditionis, ſi unum oppidum Epiſcopa„tus alicujus expetis, habenda ſunt „omnia: facilius eris Imperator, quam „defendas privatus Princeps Elector

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„aliquam Abbatiam. Nam si parte ali-
„qua contentus sis, ea tibi ab eo, quod
„non accepisti, eripietur. Tigridis ca-
„tulum rapis, mater insequetur: si ut-
„rumque irretias, quieta præda frueris.
„Dividi regnum non potest, totum ha-
„beri potest. Non fert duos Soles
„Germania.

XXIV. Hæc communiter agenda sunt,
„nunc superest, ut memoriæ causa te mo-
„neamus, quomodo cum singulis agen-
„dum sit & primum cum Cæsare. Cæsarem
„verbis tractabis humanissimis, ac se-
„riis plane, petes, ut regnis cedat,
„te filium agnoscat, afflictissimos sub-
„ditos, ne turbet, Jesuitis ne credat.
„Eam quoque ob causam, Soceri tui
„Britanni Legatum subornasti, ac pa-
„cis concordiæque spem verbis ampli-
„ter ostentare rogasti: Interim omni-
„no machinare, ut Cæsar sit in tua
„potestate. Sic enim Rex Romanorum
„cito eligeris. Verum hic considera,
„quod diximus paragrapho sexto: Non
„esse ad desperationem Austriacos re-
„digendos, nisi simul capi, vel occidi
„possint. Nam extrema desperatio sæ-
„pe est causa victoriæ, furor arma ad-
„ministrabit, & invenies tibi hostem
„undecumque. Tantum corpus sine
„sonitu non cadet, alios sternet, alios
„trahet. Timeo, ne, si ipsi viderint
„sua

„ſua tueri non poſſe, cuivis malint, „quam inimico ſua dare. Nec culpare „illos tu potes: ſi enim, ut latius re„gnares, cum Turca fœdus iniiſti, ipſi„que aditum in Germaniam aperuiſti, „quid illi non facerent, vel ſalutis, „vel dignitatis, vel denique ultionis „cauſa?

Sæc. XVII. A. C. 1619.

XXV. „Cum Romanenſibus, hoc „eſt, Pontifice, Epiſcopis, Clero, mo„derate ages: ſi quid tamen accepiſti, „retine, ne leviter feciſſe videaris. Ra„tio, quia totum hoc genus quieti de„ditum, in Germania, & ſi cibum ſug„geras, ſi palpes, ſi colas, haud qua„quam inſurget. Ut animalia quædam, „ſi mandræ plenæ ſint, torpent, ſter„tuntque innoxia, fame efferantur. Ita „hic quoque res habet. Si milites col„ligant, ne moveare: etſi enim duplo „majorem, vel meliorem exercitum ha„beant, nunquam te offendent, cum „continebunt, ſe & ſuos conſumment, „tandemque tuæ te protectioni commit„tent. At ſi ad deſperationem illos „adegeris, reperient vindictæ modum, „nec morientur inulti. Bruta etiam „pro pabulo depugnant. Timeo enim, „ne ſe dedant potentibus, oppignorent „ditiones, ne Gallus advocetur: ne „alia fiant, de quibus ſæpe actum eſt. „Si enim velint, milite, pecunia ſupe-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„rare poterunt: volent autem, cum „eos necessitas acuit, cos virtutum, & „vitiorum limatissima. Itaque, hoc „age, ut eorum Consiliarios facias tuos, „Canonicos, Nobilesque Viros attra„has: omnes enim aliquos Officiales, „etiam militum Duces habent refor„matæ religionis, per quos omnia ex„piscaberis. Cum vero indagine cin„xeris, ut externa implorare non pos„sint auxilia, uno impetu, etiam cum „puluisculo, eos exue, & opes omni„bus formidandas accumula. Hoc „semper time, ne illi aliquid tam in„opinatum tibi inveniant, quam tu il„lis invenisti. Extrema vitabis. Ve„neti, ut domum obruant Austriacam, „tanta largiuntur: quid facient Ro„mani Cardinales, ut se servent? De „expeditione Italica cælabis, nec ad„mittes mentionem: ex improviso e„nim opprimenda est.

XXVI. „Cum magno Turcarum Im„peratore ad Portam, per Legatos So„ceri, Venetorum & Hollandorum jam „actum transactumque est, ne ægre fe„rat, se in diplomatibus tuis hostem „vocari: Non enim posse alio modo illi „in Germaniam amicos parari. Inte„rim ab eo periculum esse tibi scito. „Non urgebit sibi munitiones in Mora„via constitui, antequam Romano Im„perio

„perio inaugureris. Eo usque & jam „differas excidium Lutheranorum, quos „postea rebus tuis certo stabilitis, com- „mode exterminabis. Interim modum „cavendis Turcis vix ullum video: si „enim uno anno delere Austriacam pro- „geniem posses, & Germaniæ viribus „te munire: Deinde si Gabrieli persua- „deres, ut ab Othomanica servitute re- „cedat, haud dubie Turcæ resistere „posses. At nunc Gabriel id potius a- „git, ut Turcæ subdat quam plurimos, „& ejus Monarchiæ fines stabiliat, pro- „feratque; quod quidem ego arbitror „esse boni Servi, sed miseri regis.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Dum vero in illo metu versaris, „Bassas omnibus modis, sed maxime „pecunia consiliabis. Purpuratos au- „læ tuos facies: nam munera si mit- „tas, omnia impetrabis: idque facies, „etiamsi hostis sis. Nam in magno „regno plus sæpe potest Consiliarius, „quam Princeps. Interim verbis Tur- „cas coles, omnia promittes, sed ita, „ut noris officium tibi nullum esse ma- „jus, & potentius nummo.

XXVII. Bohemos tuos ita tracta- „bis, ut habeas subditos, utque filios „tuos reges eligant, & filios filiorum. „Nam temerarium esset, in mediam „belli flammam se conjicere, si po- „steris tuis invidia solum, non etiam

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„regnum quærereretur. Non facient „sponte, aut sane si facturos speras, „prudentis est tamen sibi sua providen„tia consulere, non ab æstu comitio„rum pendere. Subdes autem eos si„mulando, promovendo, removendo.

„Simulando nimirum summam se„curitatem, & confidentiam, ut nemo „propositum tuum subodorari possit. „Tiberius tibi præceptor esto, qui eos, „quos evertere cupiebat, summopere „honorabat: deinde securos opprime„bat. Hoc scito: quia honores pauci „moderate ferunt: ideoque semper al„tius ascendere, quam oportuit, mo„liuntur.

„Promovendo tuos, imo & hostes; „sed tolle in altum, ut lapsu graviore „ruant. Nemo hostem facilius vincit, „quam si in altum ducat, unde se præ„cipitet. Belgium & Britannia pro„rexit, & extulit quam multos, sed „quos certo ruituros expectabat; & „ceciderunt: cadet alius, qui sequitur, „ac fidit. Promove ante tuos, quos „putas fidos, alios quos putas casu„ros.

XXVIII. „Removendi sunt auda„ces, alterius religionis homines, li„bertatis amantiores, quam regno ex„pedit. Audaces, & temerarii caven„di, quia gratiosi vulgo, & magna„nimi

„nimi habentur. At Regum ſecuri- „tas in ſubmiſſione, & puſillanimitate „ſubditorum conſiſtit. Exempla in „promptu, & prope ſunt. Luthera- „nos & Huſſitas ſupprimes; ut in An- „glia Puritani, & Lutherani preſſi ſunt. „Papiſtæ, & Anabaptiſtæ nihil molien- „tur: ſatis enim attriti ſunt. Luthe- „rani pari jure cum Reformatis con- „tendunt, Saxonem jactant, ab exte- „ris firmantur. Itaque eos in ordinem „redige; quemadmodum in Hollandia „Remonſtrantes, ſive Arminiani redacti „ſunt.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

XXIX. „Modus amovendi, per ſpe- „ciem honoris, mandando ſpecioſas, „& impendioſas functiones. Sic Tur- „rianum in Britanniam Legatum mit- „tes, qui te potentior erit, quamdiu „Bohemiam incolet; ſic Mansfeldium „alio ablegabis.

„Modus alius per accuſatores, ut „litem intendant civilem, ut calum- „niis varie petant, vexentque. Nun- „quam inter diſcordes deerunt occaſio- „nes: tu ſere diſcordias & pugnas. Qui „amantes ſunt Libertatis & exacto al- „toque ingenio, eos omnibus technis „& verſutiis perſequere.

„Exemplum nuper in Batavia edi- „tum: & ſane Barneveltium vix totis „viribus commixi, Mauritius, Socerque

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„tuus occiderunt, quod tamen neces„sarium erat: Sed hoc actum cautissi„me, & providentissime, ut per ipsos „Ordines occideretur.

XXX. „Omne periculum in regno tuo „tibi imminet a Proceribus. Hos elimi„nandi, dejiciendi, aut etiam e me„dio tollendi, hunc modum tene. Tres „sunt Ordines in Bohemia, Domino„rum, Nobilissimorum, & Civitatensium. „Inter hos acerrima æmulatio est. Ci„vitatenses enim fere contemnuntur. „Tuum erit primum aggredi Dominos, „hoc est, Comites & Barones. Dein„de Nobiles. Postremo Civitatenses „jure suo privare, Domini erunt fere „auferendi e medio, nec mirare: Do„cumentum regium est: Spicas emi„nentes decutere. Nisi feces, seca„bere.

„Primo, qui familiares sunt tibi, „& tuis, per idoneos homines, magna „illos spe inflabis, ut contemnant præ „se reliquos, injuriose agant: ideoque „exosi reddantur, Deinde, inter se „ut contendant, ac committantur, ef„fice, sicque aliquos tolle. Civitates „interim extolle, donec per eas No„bilitatem dejeceris; cui rei illæ ope„ram volentes, lubentesque conferrent. „Florentibus enim Proceribus, preca„rio regnabis. Illis oppressis, Civita„tes

„tes adorieris, ad te tuosque revocan- Sæc. XVII.
„do judicia, civium querelas contra A. C. 1619.
„Magiſtratus audiendo, curando, ju-
„vando. Sic venies ad mutationem,
„cribrationemque Senatorum; qualem
„in Hollandia nuper inſtituere. Ubi
„Senatus fuerit tuorum humorum, tan-
„dem ruſticos, & pauperes tanquam
„popularis, & Tribunitiæ poteſtatis,
„civibus æquabis, & ſine labore, ſicut
„deſiderat cor tuum, abſolute domi-
„naberis. Uno verbo: morte vel exi-
„tio trecentorum procerum regnum
„tuum in tuto collocabis & ſtabilies.

XXXI. „Nunc præclara occaſio ſe
„offert: exercitum habes, eo domina-
„bis & tuos: militem cole, & ex Ger-
„manis tuis habe: ipſe in caſtris eſto.
„Dux tuus potentior te erit, ſi pro te
„bella gerat.

XXXII. „Ærarium ne Status ha-
„beant, tu ſemper aliquid pete: ſi in
„te transferre non poteris, fac ut di-
„vidant ipſi, quod haud difficulter aſ-
„ſequeris. Denique, quod caput eſt,
„Pragam compeſce.

XXXIII. „Germanos tuos Princi-
„pes adorabis: Comitibus comis eris,
„& blandus, ludes, & potabis cum il-
„lis, mores eorum ſic diſces. Cum
„urbium legatis, de eorum commodis
„ages, & quia totas curias inaurare
„non

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„non potes, Syndicos, Secretarios, „& qui auctoritate præ ceteris pollent, „tuos facies, nullis impendiis parces.

„Hoc suadeo, ut opportune opu„lentas urbes, Norimbergam, Ulmam, „ceterasque in tuam redigas potestatem; „nam earum opibus firmiter te com„munire poteris. Imitare Julium Cæ„sarem, aliosque, qui complures ur„bes prædæ causa diripuere. Non of„fendes ea re Principes, & Nobilita„tem, si & illis bolum aliquem in fau„ces injeceris, In Hollandia clande„stinis nunc agitur machinis, ut Am„sterodamum sit in Mauritii potestate: „tantæ enim ibi opes sunt, ut decen„nali bello sufficiant. Francofurtum „si inescare, & invadere possis, miri„fice rem tuam stabilies. Egentes, „& obærati cives, spe spoliorum illecti „lubentissime tibi mutuas tradent o„peras.

„Si urbes dolo, blanditiisque ca„pere non poteris, Plebejos, vulgus„que promiscuum concita, Tribunus „plebis esto, Patriciorum fastum, in„solentiam, injurias, contumelias, ul„tum venire te simula. Scis, quamid „Norimbergæ, Ulmæ, Francofurti, Wor„matiæ, gratum sit. Urbibus occupa„tis, earumque nervo validus fortis„que, Comites, aliosque Nobiles in „ordi-

„ordinem redige, & ſumma illa papa- Sæc. XVII.
„verum capita prudenter demete. Non A. C. 1619.
„enim aliter Rex eris.

XXXIV. „Ante omnia, ne tuum cum „Turca fœdus cognoſcatur, adverte: „Catilinam enim Patriæ, & Libertatis Germaniæ proditorem dicent. „Nemo enim ignorat, Turcicæ tyrannidi receptum eſſe, Principes, & Nobiles e medio tollere.

„Denique in regno, in quo nihil „præter vim habes, vim exerce, ſed „miſtam dolis, aſtuque, donec omnia „poſſideas. Turcam metue, Gabrielem cave, contra Auſtrios pugna, Proceres Bohemos ſenſim minue, Eccleſiaſticos ne time, nec ad deſperationem adige. Nunquam bellum offenſivum gerent, etſi potentiores. Animalia nulla Leonem aggrediuntur: „mille oves nunquam unum lupum invadunt, nec Leonem centum boves: „tu Leo es, non timebis eos, ſed vires contra hoſtes alios verte. Moraviam cuſtodi, hæredibus proſpice. In „Belgio Hiſpanienſi, ſperamus aliquot „ordinum, urbiumque transfugia: quod „ſi evenerit, res tuæ in tuto erunt: „ſed feſtinandum: nam omnes confœderati, eodem tempore, & te regem „Germaniæ, & Mauritium Dominum „Belgii videre ſummis votis exoptant.

„Si

Sæc. XVII. A.C. 1619.

„Si tam diu quieverit Gallus, haud „dubie vicimus. Jam enim Principes, „urbesque vobis fœdere unitas, ut se „parent, excitavimus. Ponemus in „medio Franciæ, si possumus, Bullio„nium, aut ejus filium; si non possu„mus, quemvis, qui se nobis junxerit.

„Huc autem nunc desino, & hæc „monita e media arte politica deprom„pta, & alta mente recondas, inque „usum, & actiones tuas feliciter trans„feras, velim. Reliqua pro re nata, „ubi tempus, causaque poscet, lubens „uti possum, uti debeo, fideliter com„municabo.„

Puduit summopere seditiosos Sectarios, intercepta hac instructione simul impiissima juxta ac seditiosa eorum consilia fuisse detecta, quocirca hanc mere in Palatini injuriam fuisse confictam sparsere, hancque in rem libellum ediderunt, cui titulus: *Elenchus libelli famosi* &c. Attamen, quæ tum & postea in Germania, Hungaria, Galliis, & alibi ab eis gesta fuere, nimis luculenter datæ huic instructioni consona sunt.

§. XI.

Gabor seu Gabriel Bethlemus Transylvaniæ Princeps Bohemis rebellibus opem pollicitus.

Prius-

Priusquam Bethlemus Gabor Transſylvaniæ Princeps mox recitatas literas ad Vezirium ſcripſerat, jamjam Bohemi eundem de rerum ſuarum ſtatu certiores reddidere, ejusque opem adverſus Regem ſuum implorarunt. Ipſe vero eisdem reſcripſit, quod duo ſibi „attentanda propoſuerit, & quidem „primo, ut favorem voluntatemque Ot„tomanici Imperatoris pro ineundo fœ„dere ſibi redderet devinctiſſimum; ſe„cundo, ut Ordinum Bohemiæ ſtatum, „mentem, atque affectum haberet ex„ploratiſſimum; de hoc autem ex ipſo„rum literis die decima quarta Auguſti „acceptis certior factus, pariter die de„cima ſeptima ejusdem Menſis Turca„rum favorem & conſenſum ſpe ſua „ampliorem acceperit, proin, quam„vis eximia domus Auſtriacæ, Romani „Pontificis, aliorumque auctoritas ac „potentia aliter ſuaderent, maximis „tamen conatibus Menſe ſequenti ad „fines Moraviæ contendere decreverit, „interea vero Bohemos monitos velit, „ne cum hoſtibus ullam belli aleam „periclitari, ſed ſuum adventum præ„ſtolari vellent. Acceptis hiſce literis Bohemi viciſſim die nona Septembris Bethlemum de fædere cum Sileſiis & Auſtriacis inito, necnon de Ferdinandi abdicatione, & Friderici electione certiorem

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Priorato Hiſt. di Ferd. III. part. 1. l. 1. Nicolaus Bellus l. 3. Ortel. contin. pag. 64. Merc. Gallob. t. 13. l. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tiorem reddebant, & rebellium more acres in Ferdinandum tanquam intrusum, perjurum, iniquum ac crudelem Principem calumnias spargebant, quarum tamen falsitatem Ferdinandus Imperator universo orbi manifestam reddidit.

§. XII.

Bethlemi Gaboris irruptio in Hungariam.

Khevenhill. tom. 1. pag. 686. & t. 9. pag. 629. Barre hist. d'Allem. t. 4. Caraf. com. rest. Germ. Brachel. Hist. l. 1.

Interea Bucquoius Comes occupata Pilsecca, & Vechinensi arce intercepta compererat, superioris Hungariæ Oratores Pragæ nuntiatum advenisse, quod Bethlemus cum quadraginta suorum millibus in superiorem Hungariam moveret, hujusque exercitus dimidiam partem ad Moraviæ fines Bohemis submissurus, cum reliquo vero agmine Hungariam inundaturus esset: Igitur Bucquoius haud cunctandum ratus, promotis castris Bohemos ad pugnam provocabat, quam tamen illi, utpote viribus & caussæ suæ diffisi declinarunt, Gaboris suppetias præstolaturi. Hic enim, quamvis dolose sparsisset, propositum decretumque sibi esse, Bohemos ad officium reducere, re tamen ipsa eos suffulturus in Hungariam superiorem irrupit, & Magnates inopino ejus adventu territos sibi concilians, cunctos sibi re-

luctan-

luctantes, & præprimis Humanaium Cæsari fidelem in Poloniam auffugere coegit: demum vero receptis ad se rebellibus Hungaris Redegum Ferentium, & Sethschium Georgium, Tribunos transfugas cum octodecim millibus trans Tibiscum amnem præmiserat, Cassoviam Hungariæ superioris civitatem intercepturos. Præerat huic urbi, Vir egregiæ fortudinis, ac immotæ in Regem suum fidei Andreas Doczius, qui hostile nil a Gabore metuendum ratus, inopinato urbem a Transylvanis rebellibus cingi viderat. Petebant hi a civibus, Doczium sibi vivum tradi; secus, se nec lactentibus quidem parsuros: cum vero cives resistendo impares essent, urbem unacum Doczio Præfecto tradidere, quem Georgius Ragotsius Calvinista Successor a Gabore destinatus, vestibus nudatum, ludibrioque habitum, vinculisque constrictum in Transylvaniam illico transmisit, ubi paulopost seu veneno, seu aliis sectariorum artibus e medio sublatus periit. Ragotzius autem Cassoviæ miscere cuncta, pervadereque cæpit; omnibus enim in Bethlemi fidem jurare compulsis inhumana prorsus crudelitate in eos, qui Cæsari fideles sacramentum Gaboris detrectabant, sæviebat, cumque immanitas certus sit

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Spanheim mem. l. 1. pag. 147.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

Ortelius l. c. pag. 65. Bellus l. 3. pag. 267. Merc. Gallob. tom. 13. lib. 1.

hæresis character, hæcque nonnisi sanguine & Catholicorum & Sacerdotum lacrimis, ut lacte pascatur, ita etiam hi Calvinistæ rebelles Monasteria, & Episcopatus integros primo devastarunt, dein Canonicos, Monachos, sacratosque Deo Viros quamplurimos pudenda crudelitate evirarunt, ceteros vero amissis omnibus bonis e patria exulare compulerunt, duos quoque Societatis Sacerdotes, necnon Marcum Crisinum Strigoniensem Canonicum variis contumeliis ac tormentis ad defectionem a Religione Catholica incassum sollicitabant, tandem vero unacum Georgio Hofmanno, qui a fisci Regii consiliis erat indicta caussa in publico foro interemerunt, eorum corporibus in abstrusa foricarum abjectis: Hac crudelitate prosperoque expeditionis primæ successu animatus Gabor, totam ferme Hungariam copiis suis percursabat, cunctosque, qui violentum ejus adventum tempestiva fuga prævertere nequiverant, sub sacramentum suum passim compulit, & Ductore Setskio plerasque civitates, quas *metallicas* appellant, suæ potestatis fecit, continuatoque victoriæ cursu Fillecam urbem munitissimam die vigesimo septimo Septembris, & postea Neiheiselium, Wæzenam, Jermathan, Syrnam, San-

Geor-

Georgium ac Pæſingam occupavit, moxque Comorram & Jaurinum urbes in Cæſaris fide immotas intercipere fruſtra conatus, ſecundum Inſulæ Danubianæ, cui Schyttæ nomen, marginem inoffenſo progrediebatur curſu, captisque pluribus oppidis denique Poſonium, ut Hungaricam Regum Coronam invaderet, cum inſigni celerique militia contendit, inde vero diviſo exercitu, ductore Comite Turzone, ad Moravorum fines decem millia, ex Hungaris plerosque, miſit, quibus Comes Turrianus copias ſuas adjunxit, Auſtriam invaſurus. Gabor autem miſſis ad urbes finitimas edictis, ne Sacramento ſibi dicendo ejusque imperio obluctarentur, interminatis etiam ſeveriſſimis pœnis hortatus eſt; E contrario autem Forgatſius Hungariæ Palatinus Bethlemum, ejusque Præfectos datis literis, ut fidei, qua Romano Imperatori, communique Patriæ addicti eſſent, memores forent, admonuit, poſtea ſeditioſæ hujus expeditionis damna exponens, illos a nefando hoc molimine necquicquam dehortatus eſt.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XIII.

Comitia a Proteſtantibus Sileſiæ Ordinibus Vratislaviæ habita.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Londorp. tom. 1. l. 4.

Dum hæc interea in Hungaria gerebantur, Proteſtantes Sileſiæ Ordines Vratislaviæ ad vigeſimam Octobris diem comitia indicebant, eo fine, ut omnia, quæ in Comitiis Pragenſibus tam de novo cum Bohemis fœdere, quam Friderici electione acta fuere, unanimi ſuffragio ab omnibus tam Eccleſiaſticis, quam profanis confirmarentur, ac interpoſita juramenti Religione rata haberentur, interminata bonorum omnium & beneficiorum ſuorum amiſſione. Clericis inſuper & Eccleſiaſticis ſignificabatur, quod deinceps Epiſcopo ſuo nullas pecuniarum ſuppetias ferrent, *cum jus collectandi ad jura territorii pertineat.* Præceptum inſuper, ut Præfecti Catholici ab officiis removerentur, ſubrogatis Evangelicis, ubi vero Senatus integer eſſet Catholicus, ibi dimidia parte remota, totidem Proteſtantes eis adjungerentur, ita tamen, ut Conſules nonniſi Religione Proteſtantes eligantur: in Glogavienſi autem civitate Proteſtantes ſoli in Senatum aſſumantur. His ita nequiter decretis ejusmodi juramentum Canonicis Uratislavienſibus præſcripſere: *Juramus, nos omnia a Bohemiæ Regno in comitiis Pragenſibus nuper decreta conſtanter ſemper ſervaturos, ipſoque facto comprobaturos, vitam quietam, & ab omnibus*

bus adversus Protestantes machinationibus vacuam acturos, & contra impetratas Religionis concessiones nihil moturos, nec a fide præstita vel precibus vel promissis aut minis, nullisque a juramento absolutionibus, Conciliorum decretis de non servanda fide hæreticis, aliisque qnibuscunque exceptionibus, quibus jam nunc renuntiamus, nos abduci permissuros, idque sub perjurii pœna, omniumque, quæ in Silesia possidemus, amissione. Adversus iniquum hoc juramentum Carolus Archidux ac Vratislaviensis Episcopus, licet absens, vehementer querebatur, præcipue, cum Silesiæ Ordines Capitularium reditus & beneficia sibi usurparent, necnon urbem, arcemque præsidiario milite suo munirent, ejuratoque universo nomine Austriaco & abrogata dignitate Episcopali summum Silesiæ imperium sibi vendicarent, moxque de subrogando Ludovico Friderici Palatini fratre Calvinistæ deliberarent. Tantam Protestantium proterviam Archidux cum diutius ferre haud posset, Sigismundi III. Poloniæ Regis, ad quem Protestantium vi confugere compulsus erat, opem implorabat. Hic ergo datis literis Lignitsensem Ptincipem & Silesiæ Ordines hortabatur, ut cum Bohemis, qui legitimi sui Regis auctoritatem contra omne jus fasque violassent, nullam

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Carafa comm. Germ. pag. 76.

Khevenhill. tom. 9. pag. 632.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

societatem habere, nec Ecclesiasticos bonorum spoliatione vexare, minus vero illos ad juramentum Deo & justitiæ repugnans cogere velint. Hanc in rem etiam idem Poloniæ Rex Legatos suos Pragam decrevit, qui Bohemos, eisque fœdere junctos cum Cæsare conciliare niterentur. Verum hi exuto omni pudore Regem monere audebant, ne quicquam contra Bohemiæ Regnum moliretur; cum enim cum Turcis & Tartaris amicitiam colerent, & Hungaros, Batavos, Danos, Suecos, multosque Principes sibi conjunctos haberent, diuturnum admodum & cruentum bellum Poloniæ Regno imminere posset, si Rex se hisce turbis immisceret.

§. XIV.

Pacta conventa pro Catholici exercitus directione.

Bellus l. c. Barre Hist. d'Allemagne Carafa l. c. pag. 73. Adlzreiter Annal. Boic. part. 3. l. 4. Blanc. Hist. de Bavierr. t. 4. p. 75.

Cum Turrianus Comes Hungarorum copiis auctus, Austriam invadere festinaret, Ferdinandus quoque Imperator iter suum Viennam versus maturandum censebat. Jamjam die octava Septembris Francofordia discedens, Herbipolin, contendit, ubi rursus Protestantes Principes, qui se *Correspondentes* nominabant, Rotenburgi congrega-

gregatos literis ſuis rogabat, ut deplorandum Imperii ſtatum miſerti, conditiones pacis magis honeſtas ampleſterentur, totiusque Imperii ſaluti conſulerent: cum autem ſurdis fabulam caneret, eorumque petulantia eousque progrederetur, ut palam minas jactitare non erubeſcerent, Ferdinandum nondum e Germania ſine parricidio evaſiſſe, & vix Viennam perventurum, aut ægre Norimbergæ, aliisque in locis ſtructas evaſurum inſidias, hinc adverſus rebelles Vaſallos, ſubditosque ſuos vitam auctoritatemque ſuam defenſurus miſſis legatis ſummi Pontificis, & Hiſpaniæ, Galliarumque Regis & Saxoniæ Electoris opem implorabat: poſtea Herbipoli Auguſtam die decima octava Septembris profectus, inde Monachium ad Maximilianum Bavariæ Ducem divertit, ubi ſuo & Catholici fœderis nomine conditiones, quibus Maximilianus liberum Catholici exercitus Imperium in ſe ſuſciperet, mutuo conſenſu firmabat. Conventum autem erat in has leges. I. Maximilianus tanquam ſupremus fœderati exercitus Bellidux fide integra Cæſari, & fœderatis contra eorum hoſtes opem ferret, prout ipſe pro rerum, temporum, viriumque ratione neceſſarium aut utile duxerit. II. Quo inſcio aut invito Cæſar nec de pace

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Calmet Hiſt. Univerſ. lib. 150.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

nec de induciis cum hoste aget, nec vicissim Maximilianus invito Cæsare. III. Ad belli sumptus Dux instar aliorum Ordinum Catholicorum subsidia conferat, si vero quid amplius contulerit, aut majus damnum passus fuerit, vel quicquam de suis ditionibus propterea amiserit, id Cæsar refundet, oppignoratis in securitatem omnibus ejusdem bonis. IV. Quicquid de Provinciis Austriacis hosti armorum vi eripuerit, id omne loco pignoris retinebit, usque ad specialium sumptuum & damnorum compensationem, exceptis tamen teloniis, salinis, fodinis, aliisque ad Principis fiscum spectantibus. His legibus utrinque firmatis, Ferdinandus Cæsar die octava Octobris Monachio Salisburgum, indeque per Styriam superatis multorum insidiis ad Viennensem Regiam incolumis die vigesima quinta Novembris pervenit.

§. XV.

Bucquoius e Bohemia Viennam cum exercitu suo a Leopoldo Archiduce evocatus.

Brachel. Hist. l. 1. Barre Hist. d'Allemagne tom. 9.

Jamjam Bethlemus Gabor ad usque Posonii suburbia castra locaverat, capta hac urbe Viennam oppressurus. Erat tunc Posonii cum Palatino, paucissimis-

cissimisque Ferdinando fidis Hungariæ Optimatibus præsidium militare, sed tenue, nec contra rebellium vim profuturum. Aucturus autem illud Comes Bucquoius, tres legionariorum cohortes quingentosque equites cum belli tormentis aliquot submiserat: eo ipso autem vespere, quo hæ suppetiæ Posonium attigere, Gaboriani sub noctis medium Bucquoianos numero, viribusque impares multa cæde vastarunt. Hac clade conterriti Gubernator Palfyus, & Petrus Raphayus evolutis diebus deditioni præstitutis, cum nulla auxilii spes superesset, se juxta, Posoniumque cum incolis universis Gabori permiserunt, in has conditiones jurare coacti. I. Ut Gabor pro Hungariæ Principe haberetur. II. Forgatsius Palatini dignitate adhuc potiretur. III. Urbes arxque Gabori traderetur. IV. In tota Hungaria Calvinianæ sectæ libertas esset. Firmatis hisce legibus Gabor ejecto mox Germano præsidio urbem vel jam suam raptor intravit, interceptoque Fischeto & Eberstorffia arce ad Viennæ usque mœnia exercitum, terroremque tulit, & quicquid circumquaque oppidorum offendit, id cepit, diripuit, incendit, partimque cædibus incolarum exhausit. Postea die octava Octobris præter

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Carafa l. c. Bellus l. 3. pag. 283.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Marcum Weydam ſex alios Legatos Pragam ad Regni Directores ablegabat, qui proſperos ſuorum armorum ſucceſſus referrent, ac pro præſtita Bohemis opera mercedem centum millium nummum Philipporum exigerent, ſimulque peterent, ut quemadmodum ipſe Viennam in proximo occupaturus eſſet, ſic Bohemi in ceteras Auſtriæ Provincias conjunctis quamprimum armis irrumperent, easque Auſtriæ Archiducibus ereptas, Dominis ſuis veteribus (ſcilicet Bethlemio) reſtituerent. Ita mendax ille auri nundinator promiſſi ſui fidem exſolvebat, pollicitus quondam, *ſe Bohemos ad Regis obſequium reducere conaturum.* Ceterum cognito hoſtilis impetus periculo Leopoldus Archidux, qui Viennæ Ferdinandi Cæſaris vices agebat, de urbe ſibi commiſſa ſollicitus Bucquoium maxima celeritate accurrere præcepit, civibusque Viennenſibus arma non ita pridem ablata reſtituit, plurimasque copias in urbem recepit; interim duodecim Italorum millia ductore Toleto iter ſuum in Germaniam maturabant, ac inſuper Hiſpaniæ Rex numeroſum militem in Belgio contrahendi curam demandabat Marchioni Ambroſio Spinolæ, qui rebus ita poſcentibus in Palatinatum inferiorem irrumpere juſſus erat. Sigismun-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

gismundus quoque Poloniæ Rex in Ferdinandi opem quatuor Cosaccorum millia, necnon Cosmas Magnus Etruriæ Dux quingentos Equites præmiserat. Tres vero Ecclesiastici Electores septem millia militum se conscripturos, & per tres Menses stipendia soluturos pollicebantur. Denique summus Pontifex ex bonis Ecclesiasticis ingentem pecuniarum vim Roma ad Cæsarem mittebat, promissis etiam octo peditum millibus. Præterea Bavariæ Dux validum exercitum suis sumptibus alebat, Saxoniæ etiam Elector paratis ad bellum suppetiis in Ferdinandi obsequio immotus persistebat, non sine maxima Calvinistarum indignatione, qui eum Electorali dignitate exuere, ac Guilielmum Vinariensem Ducem eidem subrogare moliebantur. Enimvero Catholici Austriæ Ordines a Protestantibus suppetias contra Gaboris insultus efflagitabant, eoquod hic non Religionis studio, sed rebellionis concitandæ, necnon Austriacæ Domus, imo etiam Christianæ fidei extirpandæ animo arma sumpsisset: his autem auxilium ferre recusantibus, Catholici de opportunis se suaque tuendi mediis Viennæ deliberarunt, simulque Protestantes Hornæ congregatos hortati sunt, ut in Cæsaris obsequium reversi a seditio-

Bellus l. c. pag. 273.

Priorat. Hist. de Ferd. III. p. 1. l. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ditiosis suis machinationibus desisterent, Leopoldus quoque Archidux, ne ex suis subditis quisquam seditiosorum Ordinum vel Hungarorum castra sequeretur, indicta etiam capitis pœna inhibuit, simulque Catholicis Ordinibus præcepit, ut Belliduces vel milites vagantes, si in eorum prædiis vel agris delitescerent, Viennam captos abducerent, necnon Monasteria & Ecclesiasticorum prædia necessario præsidio tuerentur.

§. XVI.

Rebelles a Cæsareis profligati.

Barre Hist. d'Allemagne pag. 483. Ortel. contin. pag. 69.

Postquam Turrianus Comes, Bucquoium Archiducis jussu e Bohemia cum exercitu suo in Austriam properare intellexerat, mox & ipse paucis copiis in Regno relictis in Silesiam contendit, ubi Hungarorum a Gabore sibi submissornm, & Moravorum, Bohemorumque facile viginti millia contraxerat. Cum his igitur e Moraviæ finibus Teyam fluvium transgressus, in Austriam Danubio proximam sese infudit, castrisque ad Wolcherstorfium locatis Demersdorffium occupavit, ibique haud procul a Cæsareis castris copias universas, bellique tormenta explicuit, præcipua proximæ obsidionis cura

cura Redegoferentio ſupremo Hungari- Sæc. XVII.
cæ militiæ Ductori commiſſa. Haud ita A. C. 1619.
pridem Comes Bucquoius e Bohemia, & Tampierus e Moravia, præſtantiſſimi Belliduces Viennam advenerant, quorum prior e munitione ſua, valloque Turriani caſtra copiasque continuata tormentorum explofione laceſſebat, nec remiſſius Turriano ſuis e machinis reſpondente: unde par utrinque *Bellus p. 273.*
cæſorum, ſauciorumque numerus: Altera autem die Bucquoius, cum hoſtem ſuis longe ſuperiorem animadverteret, noctis beneficio uſus, cuncta belli tormenta, per Danubii ſublicium pontem, Viennam verſus reduxit, relictis duntaxat in munitione ſex legionibus, quibus præerant Saxo quidam, & Fuggerus, & Stauderus Tribuni, repentinos hoſtium inſultus repreſſuri. Hi paulopoſt ad denſiorem matutinæ nebulæ illapſum a Turrianis oppreſſi, ſuorum cædem reciproca clade ulciſcebantur, demum vero ponte poſt ſe dejecto Viennam & ipſi ſeſe receperunt, inſequentibus eos Bohemis: unde accurrentibus Bucquoio, Tampierio, Ma- *Barre l. c.*
rada & Liechtenſteinio acre initur certamen, Auſtriacis incredibili virtute adverſus hoſtem numero longe ſuperiorem decertantibus: Accidit tamen, an militum incuria, vel caſu, aut hoſtis

Sæc. XVII. A. C. 1619.

hostis dolo incertum, ut tria pulveris nitrii doliola concepto igne dissilirent, ac quinquaginta circiter Cæsareos milites discerperent: injecto exinde terrore Bucquoyani hostem a tergo instare rati pedem referunt, solus vero Bucquoius animo intrepidus mox restitutis Ordinibus in planitie loci, cui Kethseo nomen, reddita ad pugnandum alacritate certamen instauravit, donec tandem die propemodum mutuas inter cædes exacto superveniens nox utrinque pugnam dirimeret. Altera die rursus mutua castrorum oppugnatione continuatum est prælium, brevi tamen Turrianus Austriacos devincendi spe dejectus, suorumque clade territus, receptui canere jussit, exercitu suo ad trans danubianas rusticorum casas in hiberna dispersо: Accepta hac clade repente in irritum cessere Turiani cum civibus Viennensibus Acatholicis consilia, noctu in palatio suburbano in der alten favorirt inita, quorum capita hæc erant I. ad primum Turiani ingressum Ferdinandus Cæsar cænobio includatur II. ejus liberi secundum nova dogmata instituantur. III. Fideles Consiliarii ad unum omnes interficiantur. Ceterum in Viennensi hoc conflictu cecidere ex Bohemis plusquam sexcenti, Austriacorum desideratis duntaxat

Hist. Pragm. t. II. p. 201.

taxat ducentis, quos inter Marchio Pallavicinus vel maxime lugebatur: demum ingruente incredibili frigoris asperitate Bucquoius exercitum suum circum Viennam Neostadium usque in hibernas stationes distribuit: nec tamen propterea a mutuis crebrisque velitationibus cessatum est: paulopost duo Hungarorum Protestantium millia a Cæsareis signis ad Gaboræos perfide transgressi sunt: ita nempe a vera fide alienis potior est rebellantium, quam obsequentium conditio. Attamen nihil potentius Bethlemum a concepto Viennam expugnandi proposito absterruit, quam inflictæ per Georgium Humanayum cladis nuntius; postquam enim hic Hungariæ Dynasta Cæsari fidissimus in Poloniam auffugere compulsus fuerat, celeriter illic collecto sexdecim millium e Polonis & Cosaccis exercitu, in Transylvaniam irrupit, variaque Hungariæ loca cepit, mox tamen a Ragotsio Cassoviæ Gubernatore non sine magna clade repulsus. Hic vero adversantis fortunæ invidiam infracta fortitudine superare assuetus, collectis ex fuga copiis, junctisque sibi Radulo & Altheimio Comite, Humelam prope, Ragotisanos nil hostile suspicantes adoritur, ac prælio admodum pertinaci & cruento ad seram noctem

Sæc. XVII. A.C. 1619.

Ortel. continuat. p. 68.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ctem protracto nunc victor, nunc victus decertat: postero autem die vix cæpto utrinque summa contentione certamen instauratur, victoriæ palma ad neutram partem inclinante: tandem vero Poloni militarem ad astum a pugna conversi, repente fugam simulant. Tum vero Ragotsianis, solutis ordinibus, ad prædas ac spolia turmatim convolantibus, Poloni raptim in prælium regressi peditatum hostilem propemodum universum deleverunt, ipso Ragotsio nonnisi propudiosa fuga mortem declinante. Reportata hac victoria Cæsarei Joannisdorffium usque populationibus progressi, hoc idem Ragotsianæ ditionis oppidum diripuerunt, parisque excidii terrorem Eperieusium usque Cassoviamque propagarunt: Ragotsio autem Podackum contendenti Bethlemus Radegum Ferentium cum aliquot millibus auxiliatum submisit, ipse vero collectis vasis, relictaque Vienna retro Posonium regressus est, ubi direpta in itinere Sopronienſi civitate fœdus cum Bohemis restaurabat, passimque, ut ipse Cluverius testatur, Pontificios seu Catholicos dire habebat. Demum indictis comitiis, repudiatoque Ferdinando, se in Hungariæ Regem a Proceribus proclamari, raptæque coronæ Regiæ custodiam in se transferri curabat.

Cluver. epitome p.781.

rabat. Cum autem discordantes jam tum Proceres Hungaros reperisset, titulum Principis Hungariæ tantisper sibi arrogans, alia comitia in Novembrem proxime secuturum Hungaris imperabat, quæ tamen parem primo conventui exitum habuere; cum enim Gabor, ejusque socii rebelles, Ferdinando abdicato, alium Regem eligendum proponerent, Ordinum non pauci pristinum Sacramentum exuere renuebant, palamque Croatæ testabantur, nullam sibi desciscendi caussam esse, nec ulla in re se a Ferdinando inclementer habitos fuisse. Hæc declaratio vehementer ambitiosum afflixerat Gaborem, qui imperare, non autem postulati sui repulsam ferre assuetus erat.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XVII.

Comitia a Correspondentibus Norimbergæ celebrata.

Haud parum quoque Friderici, qui Praga reversus se pro Bohemiæ Rege gerebat, res turbabant Principum Correspondentium diffidia, ob quæ eorum Conventus Rotemburgi ad Tubarum habitus irrito successu dissolvebatur: Alium igitur Mense Novembri Norimbergæ habere decernunt,

Merc. Gallob. t. 13. l. 1. Carafa & Brachel. l. c. Bellus l. 3. pag. 291. Barre Hist. d'Allemagne tom. 9.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ad quem ipsemet Fridericus Palatinus, ceterique Protestantes Principes, qui se *Correspondentes* dicebant, necnon Comitum, civitatumque legati convenerant: Horum consilia Religioni, ac Domui Austriacæ perniciosa subodoratus Imperator, eo etiam Legatum decreverat Georgium Comitem de Hohenzollern, qui in consilium admissus exponebat, quod Cæsar ad tollendas dissensiones, & reddendam in Imperio concordiam paratissimus, illos quoque eo etiam fine huc convenisse, speraret: de cetero autem haud ignoraret, quam inique cum Cæsare Bohemi egissent, quamque nullius momenti caussas ad turbas hasce defendendas prætenderint, cum tamen defuncto Mathia, Regni administratio ad ipsum legitime electum, proclamatum, coronatum, unctumque Bohemiæ Regem devoluta esset, ac ipse etiam non solum omnia præstiterit, ad quæ mutuis pactis (quæ tamen vivente Mathia violasse, falso accusaretur) obstrictum esse sciret, sed postmodum sæpissime, se gravamina debito justoque modo omnia abrogaturum, dummodo in obsequii signum arma deponerent, spoponderit, & in sinceræ suæ voluntatis testimonium illico militibus suis inducias imperarit. Econtrario autem Bohemi hanc armorum suspen-

ſuſpenſionem, omnemque pacificationem reſpuerint, Cæſaris copias majori quam antea impetu invaſerint, eumque nequidem reſponſo dignati, atrociſſima quæque attentarint, quæſito Religionis prætextu, cum tamen de ea nullam controverſiam Cæſar unquam moverit, nec etiamnum moturus, aut contra Majeſtatis literas acturus ſit: ſi quid autem forte vivente Mathia factum ſit, id Ferdinando imputari haud poſſet, proin Principes congregati ſinceræ huic Cæſaris declarationi, non autem perverſis Bohemorum relationibus fidem adhiberent, & malis præſentibus & futuris remedia oppoſituri Cæſareæ Majeſtatis honori conſulerent. Ad hæc Cæſaris poſtulata Proteſtantes veterem crambem recoquentes reſpondebant, quod ipſorum gravamina ante Ferdinandi II. electionem non fuerint ſublata, obſiſtentibus Cæſarum Miniſtris: poſtea Ferdinando præſcribere audebant, ut ſuum Conſilium Aulicum ad normam ab ipſis præſcriptam emendaret, Donawertham reſtitueret, milites ſuos & præcipue exteros dimitteret, atque e Bohemia educeret, ſecus, *cum periculum ſit, ne ſedes belli in ipſo tandem Imperio conſtitueretur, ipſis vitio verti haud poſſet, ſi & ipſi quoque de ſubditorum ſuorum ſalute ſolliciti defenſionem pararent;*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619. *cum statui cuicunque Evangelico, atque ita Bohemiæ etiam Regi auxilio esse obstricti forent.* Observandum plane, quod hi quidem a Cæsare militum suorum exauctorationem tanquam reddendæ pacis medium petierint, hanc vero ipsi nullatenus vicissim spoponderint, non alio ex fine, nisi ut Cæsare inermi eo facilius Catholicos omnes bonis suis exuere, Domumque Austriacam evertere possent.

Postea producta est Ferdinandi Cæsaris responsio ad rebellium Bohemorum literas hanc in sententiam concepta: „Defuncto Mathia Ego Cæsar Ferdinandus Rex datis literis me ad privilegiorum confirmationem, pacem in Regno constituendam, justitiamque debite omnibus administrandam promptum me paratumque obtuli: militi quoque Cæsareo armorum depositionem imperavi; Directoribus quoque Bohemicarum rerum notum id fieri curavi, spemque bonam concepi, futurum omnino, ut & ipsi ad pacem constituendam se componerent, sed contrarium a vobis factum, Bucquoio enim respondistis, de induciis mandatum a Directoribus vestris vos nullum habere, moxque transitus ipsi præclusistis, interceptoque commeatu impetum in eum fecistis, suorum multis

„tis trucidatis. Tametſi vero, reſpon- Sæc. XVII.
„ſum a Directoribus veſtris nullum ac- A. C. 1619.
„ceperitis, confirmationem tamen pri-
„vilegiorum juſto tempore ad vos, &
„quidem in duplo miſi, additis literis
„fiduciariis ad prænominatos Vicarios
„regios, ut fides dictis eo melius ad-
„hiberetur. At vos ne ſic quidem a
„conatibus veſtris malis abſtinuiſtis,
„quin ulterius progreſſi potius ſubdi-
„tos ad arma corripienda hortati per
„totum regnum eſtis, & armorum lu-
„ſtratione in territoriis omnibus inſti-
„tuta, copias indies majores collegi-
„ſtis, & convitiis variis perſonam meam
„apud Electores & Principes alios de-
„honeſtaſtis. Tametſi vero hæc & alia
„ſufficere poſſent ad omnem vobis gra-
„tiam denegandam, miſſis tamen de-
„nuo literis, paterne admodum ex-
„petii, ut aliquos ad aulam meam mit-
„tere velitis, cum quibus de mediis,
„quibus turbæ iſtæ quamprimum com-
„poni poſſent, colloquium inſtituere-
„tur. Sperabam quidem, malis iſtis
„remedium hac ratione inveniri aliquod
„poſſe, ſed fruſtra; nam ne ad has
„quidem literas reſponſum miſiſtis, quin
„& ſuperiores Confirmationi privile-
„giorum additas acceptare noluiſtis, ti-
„tulum directionis omiſſum eſſe in in-
„ſcriptione cauſantes, cum tamen hi a

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Cæsare titulum istum nunquam obti„nuerint, & vos ad Matthiæ Cæsaris lite„ras, quantumvis titulo isto carentes, „semper antea responderitis, literæ ve„ro istæ ad solos eos, qui sub utraque „sunt, dirigi, quod confirmatio ad Ca„tholicos æque atque ad illos pertine„ret, non potuerint. Interea cum ego „cogitationes meas omnes ad reme„dium aliquod malis istis inveniendum „converteram, ulterius etiam progressi „in id operam dedistis, ut vicinas pro„vincias, quæ se participes turbarum „istarum nondum fecerant, ab obedien„tia Cæsaris aversos vobis conciliaretis, „& ad partes vestas pertraheretis. Tur„rensis igitur Comes cum millibus ali„quot armatis Moraviam ingressus va„riis persuasionibus effecit, ut pauci ali„qui ex Ordinibus posthabita omni, „quam Regi suo debebant, reverentia, „ad partes suas transeuntes, assumptis „quos pro defensione provinciæ con„scripserant mille equitibus, Prinnam „interceperint, Provincialem Præfe„ctum Marchionis locum tenentem, & „alios conventum ibi celebrantes, mi„nis gravissimis exceptos arresto obli„garint, templum parochiale, in quo „jus & prætensionem nullam habebant, „vi summa occuparint, Ecclesiasticos „aliquos cum Ordinum omnium con„sensu

„ſenſu ante multos annos in regionem „iſtam introductos, ſine ulla cauſa ſu- „bito ejecerint, conſtitutum a Cæſare „quondam Senatum exauctorarint, cer- „tos ſibi Directores Bohemorum extem- „plo conſtituerint, bona Spiritualia ar- „ripuerint, perſonas Eccleſiaſticas ut- „riusque ſexus domibus privatis inclu- „ſerint, & violato, quod Deo præſti- „terant, voto, matrimonium contra- „here fecerint, ſuperioris Conditionis, „qui præſtitæ Cæſari fidei memores, „diſceſſum ab ipſis fecerant, tanquam „proditores publicos proſcripſerint, & „multa alia nunquam audita antehac „facinora perpetrarint. Excitato hoc „in Moravia incendio, eaque jam tota „ardente, Auſtriam quoque aggreſſus „Turrenſis eſt, Laam finitimam Mora- „viæ urbem obſedit, & ut præſidium „ab Ordinibus expetitum introducere- „tur, effecit. Ad ipſam deinde Metro- „polim, ubi ego ſedem meam tum ha- „bebam, Viennam ſuperato Danubio „movit, ſuburbiisque occupatis crebris „tormentorum diſploſionibus cives un- „dique ad anguſtias redegit, & arcem „ipſam tormentis petiit, tandem tamen, „cum urbe potiri ſe non poſſe videret, „cum magna præda iterum receſſit. In „Bohemia interim comparatis novis „viribus, bona ſpiritualia publice ve-

Sæc. XVII. A.C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„num exposita, & multa alia facinora „patravit. Cumque ad Directores istos „perlatum esset, Regem suum, tan„quam ad Electorum Collegium perti„nentem, a Moguntino Electore, ex „aureæ Bullæ præscripto Francofurtum „vocatum esse, animum vestrum totum „aperuistis, & quod nihil intenderitis „aliud, quam ut me, & tota Domo Au„striaca male deformatis, atque oppres„sis, libertatem vobis tandem compa„raretis. Hunc ut finem obtineretis, „ausi estis me Regem in itinere impe„dire, & ne pro legitimo Bohemiæ Re„ge agnoscerer, Electoribus persuadere. „Illud quidem apud Saxoniæ Electo„rem primum egistis, postmodum cum „nihil proficere ibi poteratis, Legatos „vestros Francofurtum ablegastis: Eos „cum, uti admitterentur in urbem, „obtinere non poteratis, acceptas a „Directoribus vestris literas ad Mogun„tinensem Electorem misistis, & mei „vocationem, quod non in loco com„petente, Pragæ nempe, itemque an„tequam ad regnum pervenissem, facta „esset, impugnastis. Additæ literis „istis, & aliæ toti Electorum Collegio „inscriptæ, iisque a voto electionis ex„cludendum me, quod possessionem re„gni non haberem, & vivente adhuc „Cæsare, administrationem regni usur„pare

„pare contra Reversales literas cæ- Sæc. XVII.
„pissem, petiistis. Tertias etiam Mar- A. C. 1619.
„purgo, antequam domum rediretis,
„ad Electorale Collegium, ejusdem cum
„prioribus argumenti, misistis, & in-
„signi protestatione conclusistis. Omnes
„illas firmissimis refutari argumentis
„possem, ut vero appareat, quam ini-
„que cum Rege vestro in Bohemia e-
„geritis, hanc saltem relationem ad-
„dere operæ pretium visum est. Invi-
„tationem meam prætensi isti Directo-
„res in literis suis ad Electorem Mo-
„guntinensem datis, impugnare ausi ex
„fundamento duplici fuerunt, quia ni-
„mirum in more positum fuerit, ut vo-
„catio ista Pragæ fieret, & Rege ab-
„sente, Officiariis, Consiliariis, Pro-
„ceribusque regni primum, deinde Re-
„gi aperiretur. Et deinde, quia ex
„aureæ Bullæ constitutione, cap. ni-
„mirum 7. & 20. Reges Bohemiæ, at-
„que Electores alii, nonnisi virtute re-
„gni, & principatuum suorum, digni-
„tatem, vocem & jura Electoralia, in
„electione Regis Romanorum habeant,
„jusque, vox, dignitas, officium, &
„omnia alia non possint in alium cade-
„re, præter illum, qui Electoratum
„cum terra possidet: Nullus etiam nisi
„possessor principatus sui ad electionem
„aliosve actus admovendus sit. Pro

Sæc. XVII. A.C. 1619.

„confirmanda autem possessionis necessitate allegastis porro controversias „quasdam, earumque Electorales decisiones, maxime vero edita a Carolo „IV. quondam Cæsare, & reliquis Electoribus in controversia Ruperti junioris, & Senioris Comitum Palatinorum decreta, in quibus Senior juniori „propter possessionem præpositus fuerat. „Exemplum item controversiæ, quæ „inter Philippum-Ludovicum Neoburgicum, & Joannem Bipontinum, itemque inter Joannem Lützelburgensem, „& Henricum Ducem Carinthiæ in electione Ludovici Bavari acciderunt. „Affirmastis porro, etiam jura Electoralia Ordinibus Bohemiæ speciali aliquo privilegio donata & confirmata „esse. Commemorastis etiam, quidnam tempore minorennitatis Ludovici „Regis acciderit, & quomodo Ordines „præ proximioribus agnatis usum jurium Electoralium exercuerint, quod „nimirum in electione Caroli V. Ordinum & minorennis Regis Ludovici „Legati, præ Sigismundi Poloniæ Regis tanquam proximi agnati & patrui „Legatis admissi, & defectus minorenitatis per Ordinum tanquam proprietariorum specialem plenipotentiam „suppletus fuerit. Conquerimini igitur, quod cum ad realem possessionem

„nem

„nem nunquam pervenerim, denun- Sæc. XVII.
„tiatio tamen ad me, & quidem Vien- A. C. 1619.
„nam, non Pragam facta fuerit, & jus
„electionis contra Bullam auream, a
„possessione in præjudicium suum sepa-
„retur, cum præsertim ingens eorum,
„quos patrocinio meo tueri debuissem,
„facta strages fuerit. Orabatis igitur
„Electorem Moguntinensem, ut pro ca-
„venda nullitate ista, vel electionem,
„quoad composita de Sessione Bohemi-
„ca controversia fuerit, suspendat, vel
„Ordines ipsos ad electionis actum re-
„quirat. Contra hæc omnia notan-
„dum est, quod ad exemplum illud Lu-
„dovici Regis attinet, ex instrumento
„insinuationis ante centum annos, an-
„no nimirum Millesimo quingentesimo
„decimo nono facto, appareat, lega-
„tos Moguntinenses Pragam quidem ve-
„nisse, sed in favorem tantum Electo-
„ris sui denuntiationem ibi sequentibus
„verbis fecisse: *Tametsi non teneatur Elector ad locum alium quam Pragam Legatos mittere, Regem tamen ipsum etiam, contra Regni terminos tum versantem, non ex debito, sed libera tantum, & benevola erga eum affectione, compellare jussisse. Id vero in præjudicium Electoratus Moguntinensis nullo modo facere se aperte potestantur.* Inde vero non sequitur, si non
„obligati Legati fuerint ad locum alium,
„quam

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„quam Pragam proficiſci, poteſtatem „etiam ad locum alium proficiſcendi „non habuiſſe. Quod ſi vero Budam „Legatos mittere, Moguntino tum li„cuerit, Viennam etiam eos mittere „non minus jam licuit. Præterea alia „etiam regni Bohemiæ jam ratio eſt: „Ad vicarios enim regios Legatio, quod „exauctorati a prætenſis Directoribus „fuerint, fieri non potuit, multo mi„nus vero ad Directores, pro illis enim „habiti nunquam fuere, quin etiam de „ea ſupprimenda potius, quam ad Re„gem, quod Ludovici tempore factum, „perferenda ſolliciti fuiſſent, quinimo „ſine periculo etiam Pragam venire Le„gati non potuiſſent. Quod ad aureæ „Bullæ allegationem attinet, apparet „facile ex capitis iſtius ſeptimi contextu, „ad electionem, qui legitimæ Succeſ„ſionis jure fruatur, admittendum eſſe. „De Statibus autem Bohemiæ notum „omnibus eſt, eos me anno milleſimo „ſexcenteſimo decimo ſeptimo in Co„mitiis publicis die ſeptimo Junii, tan„quam legitimum Succeſſorem & Fer„dinandi quondam Regis, & Annæ Re„ginæ nepotem, in Regem elegiſſe, „proclamaſſe, & ſequenti vigeſima no„na Junii coronaſſe, ab electionis igi„tur jure excludi non potui, quin imo „alius præter eum, qui legitime in Re„gem

„gem electus, & coronatus fuerit, vo- Sæc. XVII.
„cari ad electionem juxta privilegia Re- A. C. 1619.
„gni anno millesimo ducentesimo nona-
„gesimo a Rudolpho I. concessa, & a
„Carolo IV. omnibusque Electoribus
„confirmata, non debuisset, idque eo
„magis, quod Regi Uladislao, omni-
„busque ejus Successoribus promissum,
„Electores omnes anno millesimo qua-
„dringentesimo nono, sub 500. marca-
„rum auri puri pœna, ad electionem
„novi Imperatoris, non invitato Bohe-
„miæ Rege, non conventuros. Jura-
„menti porro præstatione apprehensio
„possessionis territorii, & omnium ju-
„rium territorialium probatur. In actu
„autem coronationis juramentum etiam
„mihi præstitum, & omnis reverentia
„exhibita ab Ordinibus fuit, quin idem
„etiam postmodum ipso jam turbarum
„tempore tribus, quas ad me Viennam
„Ordines, & Directores ipsi miserunt,
„literis, factum est, quemadmodum id
„ipsis literarum exemplaribus, in qui-
„bus clementissimum Regem suum Fer-
„dinandum nominarunt, probari satis
„posset. Qua fronte autem titulum &
„honorem regium mihi derogare possi-
„tis, cui ab Ordinibus coronæ contri-
„butio promissa, & Electorale munus
„a defuncto Cæsare Mathia collatum
„confirmatumque fuit, & qui privile-
„gio-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„giorum confirmationem, ad quam so„lam obligatus eam, ad ſupremum Re„gni Burggravium, ex Reverſalium te„nore, transmiſi, videri nullo modo „poteſt. Elector quiscunque alius, „converſis forte in ſeditionem ſubditis „ſuis, jus electionis, & dignitatem E„lectoralem non amitteret, quod igi„tur Bohemiæ Rex ob excitatas in Re„gno turbas poſſeſſione ſua privari poſ„ſit, non video, cum in pœnam ſedi„tioſis turbæ iſtæ potius quam laudem „& gloriam cedant. Habeo præterea „multos adhuc in Regno iſto, omnium „trium Ordinum, & utriusque religio„nis fideles ſubditos, quin imo pleros„que vi ad rebellionem iſtam coactos „fuiſſe, conſtat, in quorum gratiam „non exercitum ſolum in Regno meum „alo, ſed gratiam etiam meam omni„bus ad frugem converſis offerri literis „publicis curavi, & poſſeſſionem per „Vicarios meos etiamnum conſervo. „Non deſunt inſuper exempla. Sic e„nim anno milleſimo quingenteſimo „ſexageſimo ſecundo Maximilianum Im„peratorem ab Electore Moguntino tan„quam Regem Bohemiæ, & Electorem, „ad electionem novi Romanorum Re„gis requiſitum actui toti, tametſi Fer„dinandus pater ejus Imperium adhuc „poſſideret, interfuiſſe, & Rudolphum

„etiam

„etiam anno milleſimo, quingenteſimo „ſeptuageſimo quinto tanquam corona- „tum Bohemiæ Regem, imperante ad- „huc Maximiliano patre ejus, Electo- „rali officio ſuo in novi Romanorum Re- „gis electione functum fuiſſe, & decre- „tum electionis cum aliis ſubſignaſſe „patet, tametſi juramentum ipſis ab „incorporatis provinciis præſtitum non- „dum eſſet. Allegata a Directoribus „exempla ad caſum hunc minime per- „tinent. Controverſiæ enim iſtæ inter „agnatos, & ejusdem dignitatis, Prin- „cipes nempe perſonas, non vero inter „Principes, & ſubditos extitere, con- „ſtitutio autem Bullæ aureæ Principes „Electores, non vero Principes, & ſub- „ditos concernit. Quod ad factam tem- „pore Ludovici Regis legationem atti- „net, ſciendum eſt, non Ordines ſed „Regem ipſum ad electionem tum re- „quiſitum fuiſſe, & Legatos etiam a Re- „ge tantum commeatum, & fiduciarias „literas habuiſſe. Tametſi vero con- „ſenſus etiam Ordinum tunc acceſſerit, „ex actis tamen conſtat, id propter „Controverſiam inter Sigismundum Po- „loniæ Regem tutorem nempe & agna- „tum proximum, & Regem Ordines- „que exiſtentem factum eſſe, quemad- „modum diſputatio a legatis paulo ante „electionem habita ſatis id oſtendit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Cum

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Cum vero Controversia sublata Ula„dislaus Sternbergensis partes Regis in „legatione ista sustineret, ad electionem „admissus fuit, præjudicare hoc exem„plum mihi nequaquam potest. Falsum „est, quod dicitis, ordines proprieta„rios jurium Electoralium esse, inhabi„les enim eorum sunt, & si ita res ha„beret, investituram accipere a Cæsa„re Bohemiæ Rex nunquam potuisset. „Ego autem investituram, atque ita „jus quoque, & vocem electionis le„gitime accepi. Unum adhuc notan„dum est, non ab Ordinibus omnibus „sed a paucis tantum, qui Directores „sese nominant, literas istas profectas „esse; legationes enim ab Ordinibus „nonnisi in legitimis, & a Rege indictis „comitiis fieri possunt. Circa episto„lam alteram ad Electores Francofurti „congregatos missam notandum primo, „subscriptionem sub omnium Bohemiæ „Ordinum nomine generaliter, & in„differenter sine Catholicorum exce„ptione factam esse, eo saltem fine, ut „priores illas a Directoribus ad Electo„rem Moguntinensem datas literas or„narent, & ab omnibus Ordinibus nul„lo excepto datas & approbatas fuisse „probarent. Cum tamen certum sit, „Catholicos in consilium adhibitos non „fuisse, ex Protestantibus vero multos

„vi

„vi ad consensum suum præbendum co- Sæc. XVII.
„actos fuisse, quosdam etiam sigilla sua, A. C. 1619.
„ut numerus saltem augeretur, bis ap-
„posuisse, ut ita ad omnes tres Ordi-
„nes literæ istæ referantur.

„Finem, scopum, & intentionem
„literarum istarum hanc esse notum est,
„ut persuadeant Electoribus, mei ele-
„ctionem, & coronationem sufficere ad
„jus illud electionis apprehendendum
„non posse, idque hac ratione, quod
„non libera, sed coacta ea fuerit, &
„contra inita cum incorporatis Provin-
„ciis in Comitiis publicis pacta, ne in-
„consultis ipsis electio aliqua fieret, Ca-
„tholicis Protestantes importune ur-
„gentibus, votis quoque etiam suis su-
„perantibus, & minis gravissimis apud
„eos instantibus, facta.

„Hæc vero falsa omnia sunt, nul-
„lam enim vim, nullas comminationes
„adhibitas fuisse constat, nisi forte vim
„eam putent, quod aliquos ex aurea
„Caroli IV. bulla, itemque ex dispos-
„tione sive constitutione Regis Uladis-
„lai, anno post Christum natum mil-
„lesimo quingentesimo decimo Pragæ
„facta, ut ex Constitutionibus Regni
„sub titulo, *de Regis electione*, & *ex* Re-
„versalibus vel diplomate Ferdinandi
„primi anno post Christum natum mil-
„lesimo quingentesimo quadragesimo

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„quinto, informari neceſſe fuerit, libe-
„ram Regis electionem eo tantum caſu
„Ordinibus permiſſam eſſe, ſi hæres
„nullus amplius ex paterna vel mater-
„na Regis linea ſuperſit, cum Ludovico
„Uladislai filio ſine hæredibus defuncto,
„filia ejus Anna ad ſucceſſionem ex di-
„ſpoſitione Patris Uladislai admiſſa, &
„aſſumpta ab Ordinibus fuerit.

„Hæc & alia quæ de Succeſſione &
„electione Regia in Conſtitutionibus &
„privilegiis Regni continentur, revo-
„cata aliquibus in memoriam, nullis
„comminationibus, ſed ſumma huma-
„nitate adhibita fuere, vos etiam tam
„grata habuiſtis, ut inter primarios ali-
„qui, paternam Cæſaris erga Regnum
„iſtud affectionem agnoſcentes, bene
„admodum eum facere confeſſi ſint,
„quod non tantum de futuro Succeſ-
„ſore ſollicitus, malum omne a Regno
„avertere, & prohibere ſtudeat, ſed
„denominationem etiam ejusmodi fa-
„ciat, quæ privilegiis Regni conve-
„niens, non modo non oppugnari, ſed
„cum gratiarum actione agnoſci, & ac-
„ceptari ab omnibus debeat.

„In his fundamentis, privilegiis
„nempe Regni, & aurea Caroli IV.
„bulla, fundatam Mathiæ Cæſaris pro-
„poſitionem fuiſſe patet, qua ſignifica-
„vit Ordinibus, qualiter habita ratione
„æta-

„ætatis, & conditionis ſuæ, quod hæ- Sæc. XVII.
„redibus propriis careret, Maximilia- A. C. 1619.
„nus vero, & Albertus fratres juri ſuo
„jam renuntiaſſent, pro avertendis om-
„nibus a regno incommodis, Præde-
„ceſſorum ſuorum, maxime vero Fer-
„dinandi I. exemplo, proximiorem ſuum
„cognatum Archiducem Ferdinandum
„Succeſſorem ſibi elegerit, eumque tan-
„quam in linea deſcendente ex regia
„familia prognatum, Ferdinandi nem-
„pe primi, & Annæ Reginæ nepotem,
„prognatum, in Regem eligi, aſſumi,
„& coronari petiiſſet. Ad hoc Cæſaris
„poſtulatum Ordines unanimi conſenſu
„me elegerunt, in actu coronationis,
„ad interrogationem ſupremi Burggra-
„vii, an me pro Rege ſuo agnoſcere
„vellent, affirmando omnes reſponde-
„runt, & juramentum fidelitatis, at-
„tacta duobus digitis corona regia, ipſi
„præſtitere. Quod de factis cum in-
„corporatis provinciis, Sileſiis nempe,
„pactis affertis, nihil huc facit; tametſi
„enim in controverſia illa, qua præ-
„tenderunt Sileſii, votum aliquod in e-
„lectione novi Regis ſeſe habere, con-
„cluſum fuerit, debere Sileſios jus ſuum
„coram certis, & deputatis aliquot
„perſonis probare, non ignoratis ta-
„men, non ad liberam electionem (quæ
„fieri ex diſpoſitione Bullæ aureæ non-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„dum potuit) sed assumptionem tantum „& proclamationem mei a Cæsare pro„positam ipsis fuisse. Cumque ad Si„lesios maxime hoc pertineat, ex re„scripto, ipsorum satis constat, eos non „habito ad Bohemos respectu, sed sua „sponte, & proprio ductu me in Regem „Bohemiæ, & supremum Silesiæ Du„cem assumpsisse, & proclamasse. Quod „de majoribus Catholicorum votis af„ferunt, frivolum similiter est, cum „vota sua cum Catholicorum votis ipsi „conjunxerint, & dissensio in votis nulla „fuerit. Pro conclusione hujus argu„menti, de abolitione liberæ electionis, „querelas afferunt, nempe quod uni„versum istud assumptionis, & Corona„tionis regiæ negotium a perversis Con„siliariis ad abolitionem liberæ electio„nis, & abrogationem omnium privi„legiorum, imo in totius Electoralis „collegii summum præjudicium dire„ctum fuerit, initis nempe ejusmodi „cum Hispaniæ Rege pactis, quibus in „feudum Hispaniæ regnum istud reda„ctum sit, quemadmodum etiam pro „hæreditario isto jure confirmando ego „in filium a Mathia Cæsare adoptatus „fuerim. At vero, quando & quo casu „libera Ordinum electio locum in re„gno habeat, supra jam ex aureæ Bul„læ constitutione demonstratum est, „in-

„indeque apparet, maxime ex Consti- Sæc. XVII.
„tutionis istius & privilegiorum regni A. C. 1619.
„præscripto, assumptionem mei tan-
„quam Regis nepotis, non vero pro abo-
„lendis regni privilegiis factam esse.
„Pacta si quæ cum Hispaniæ Rege facta
„sint, liberæ electionis, & privilegio-
„rum abolitionem nequaquam spectant,
„& propterea huc etiam nihil faciunt.
„Rationem, quam pro excludendo Rege
„afferunt, altera ea est, quod contra
„factum in Comitiis anno millesimo
„quingentesimo decimo septimo Decre-
„tum, & Reversales suas literas, vi-
„vente adhuc Mathia Cæsare, regi-
„men, & administrationem Bohemiæ
„usurparim. In eo vero injuriam mihi
„maximam faciunt. Omnibus enim
„constat, Mathiam Cæsarem ad obitum
„usque suum Regem Bohemiæ constan-
„ter mansisse, & regimine solum usum
„fuisse. Nihil etiam ego, cujus non
„mandatum scriptis verbisve a Cæsare
„acceperim, feci, nec vel justitiæ, vel
„aliis regni negotiis me admiscui. Quod
„autem pro confirmatione dicunt, quod
„Cardinalem Cleselium ex aula remo-
„vissem, ineptum prorsus est; Cardi-
„nalem enim istum nec natione, nec
„cooptatione Bohemum fuisse, admi-
„nistrandis etiam regni rebus nequa-
„quam præfuisse patet, ut taceam, quod

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„ipsimet vos liberari ab eo non semel „etiam exoptastis. Quod consiliis sem„per adfuerim, eaque dirigere, & mo„derari solitus fuerim, nonnisi jussus a „Cæsare feci. Quod responsa Cæsaris „pro libitu me correxisse dicunt, falsum „prorsus est; tantæ enim auctoritatis „apud me Cæsar fuit, ut a mandatis „ejus recedere, & contra aliquid ten„tare nefas omnino putarim. Quod de „exercitus in Bohemiam introductione, „& Comitiorum Moraviæ directione di„cunt, eodem cum superioribus mo„do comparatum, & non sine expresso „Cæsaris mandato factum est. Quod „per Secretarium Michnam instructio„nem Pilsnensibus miserim, fundamen„to omni caret. Quod de Cæsarea con„firmatione, nullius eam momenti fuis„se, nec niti ea aliquem potuisse di„cunt, exin quanto in honore Caput „Christiani Imperii summum habuerint, „eo ipso satis declarant. Quod de re„ligione afferunt, prætextus merus est; „religionis enim negotium hic non agi„tur, quæ ipsorum adversus religionem „attentata sunt, notum omnibus est, „contra religionem a milite Cæsareo, „ne in iis quidem locis, quæ vi occu„pari necesse fuerat, quicquam tenta„tum esse. Quæ in Bohemia, & Mo„ravia contra religionem Catholicam a „vobis

„vobis Ecclesiasticorum quorumdam „profligatione, & bonorum spiritualium „invasione facta fuere, Austriæ etiam „inferioris Ordines, qui plerique inducti „ab Augustanæ Confessionis Sociis ad „ineundam Unionem fuerant, eo in„duxere, ut legatos suos ad faciendam „confœderationem missos, honeste re„vocarint. Quod ad continuationem „veterum Vicariorum attinet, non igno„ratis, eam provisorio tantum modo „usque ad ulteriorem dispositionem, „primo post mortem Cæsaris tempore „factam esse, & causam inde exaspe„randorum motuum habere nullam po„tuisse. Quod porro ad invidiam mihi „conciliandam de crudelibus militum „in Bohemia factis asseritis, fidem non „meretur, cum ejusmodi multa antea „quoque a vobis prolata, & typis etiam „promulgata, sparsaque in publicum „fuerint, quæ vera non fuisse, expe„rientia postmodo docuit. Non dubi„tamus quidem, mala multis maxima „ab utriusque partis exercitu quotidie „inferri, dolorem etiam inde non nul„lum percipimus. Causam eam fuisse „novimus, quod ipso statim regiminis „mei initio, omnia ad pacem compa„rata media adhibuerim, inducias, & „armorum cessationem utrique parti im„perarim, literas ad Ordines benevo„len-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„lentia & favore regio plenas miserim, „& personas ad colloquium habendum „a vobis requisierim & benevolum meum „erga vos affectum argumentis satis mul„tis probarim. Cum vero spretis, & „neglectis illis omnibus, expeditiones „bellicas vi summa promoveri, irruptio„nes in Moraviam, & Austriam fieri, „literas meas non acceptari, novas & „præjudicio non carentes confœdera„tiones fieri, invidiam & odium mihi „apud exteros etiam Principes creari, „& alia id genus attentata patrari a vo„bis constet, animadvertere equidem „omnes possunt, non me sed vos ma„lorum istorum omnium causam veris„simam esse, cum rapinis etiam & in„cendiis, ni causam pars altera dederit, „modum etiam finemque imperassem.„

Consulto hanc Ferdinandi Cæsaris responsionem adduximus integram, ut omnibus notum fieret, quam frivolis obtentibus rebelles Bohemi, eorumque fautores ad tegendam seditionem in legitimum suum Cæsarem ac Regem usi fuerint: succinctius idem Ferdinandus jam anno priori hæc Bohemorum commenta refellebat, edito Viennæ scripto in hæc pene verba: „Quamvis jus „meum hæreditarium anceps foret, & „Bohemi hactenus habuissent aliquod „jus liberæ electionis, nunc tamen post-

„quam

„quam Regnum universum armis mihi „cessit, meque tanquam legitimum hæ- „redem ex debito, non ex arbitrio su- „scepit, frustra disputatio de jure ele- „ctivo instauratur, cum ipsum Regnum „mei juris factum jam jus hæreditarium „Domus Austriacæ agnoverit.„

Sæc. XVII. A. C. 1619.

In eodem consessu idem Cæsaris Legatus Norimbergensi Senatui exposuit, quod Cæsar pacem & concordiam tueri quidem paratus sit, novum quid tamen, aut Imperii Constitutionibus adversum concedere haud possit, ac propterea Senatum, civesque hortetur, ne Protestantibus Episcopatus aut monasteria adjudicarent, nec sese Bohemicis tumultibus immiscerent: Præterea eis insinuabat, quod Francofordia Norimbergam absdubio venisset, nisi nuntiatum fuisset, quod ad se intercipiendum hostiles copiæ quædam ibidem delitescerent. His expositis Legatus, cum ex Protestantium responso eos Palatino & Bohemis penitus addictos intelligeret, eosque ad saniora aut neutralitatem reduci posse desperaret, Viennam reversus est.

Bellus l. c. pag. 294.

Demum Protestantes Principes de suscipiendo Bohemorum patrocinio deliberare cæperunt. Graves tum inter eos movebantur quæstiones, cum Palatinus, aliique impensius eidem addicti

Struvius Period. 10. sect. 9. ex Carafa.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

dicti postularent, ut Palatini seu Bohemorum caussa a Protestantium querela circa eorum gravamina non esset separanda, sed unico velut conatu Bohemiæ & Imperii libertas assereretur: quod Protestantes absdubio futurum sperabant, atque ideo Batavorum, Anglorum, Danorum, totiusque Saxoniæ inferioris Principum, Civitatum, aliorumque Austriacæ Domus hostium patrocinium adversus Cæsarem, eique adhærentes Catholicos postulabant, ac præcoci nimis voto nunc Passavium, nunc Ratisbonam aliasque suo proposito accommodas urbes occupari desiderabant. Cum autem Correspondentes, nec omnes æqua conferre subsidia, nec cunctos expeditioni Bohemicæ affectos, Batavos etiam novum genus fœderis postulare observarent, hinc solum Palatinum, ejusque caussam protegendam susceperunt, eoquod Bohemica caussa parum aut nihil aliis præter Palatinum Principibus profutura esset.

§. XVIII.

Horum Principum legatio ad Cæsarem & Bavariæ Ducem.

Merc. Gallob. t. 12. l. 1. Carafa l. c.

Ut ergo hi Protestantes potentius Friderici caussam tueri viderentur, Norim-

Norimberga literas & Legatos ad Cæsarem, Ducemque Bavarum decernebant, ac præprimis nonnisi minis & querelis, quibus Palatini caussam se suscipere simulabant, liberius effusis, a Bavariæ Duce exigebant, ut hic a Cæsaris auxilio desisteret, a Cæsare vero postulabant, ut Palatini regimen in Bohemia non turbaret, sed sua contentus Austria viveret, & Imperii gravamina quantocius tolleret, ni faceret, ferrum, vastationes, incendia & sanguinem expectaret. Unitorum autem Principum Protestantium literæ, quas Fridericus Comes Solmensis, ejusque socii ad Maximilianum Bavariæ Ducem detulerant, in hanc conceptæ erant sententiam. „Cum jam eo perventum sit, ut „non scriptis solum aliqui profiteantur, „sine cæde, & sanguine gravamina ista „abrogari non posse, sed initium etiam „ejus rei jam factum, & ingens exer„citus a Catholicis quibusdam compa„ratus sit, cum tamen causa ipsis non „modo nulla data, sed moniti etiam „sæpe fuerint, ut a conatu isto absti„nerent, & ad communem defensionem „operam suam (quod in Bavariæ ter„ritorio factum) conferant, æstiman„dum tibi relinquimus, justumne sit, „& an excusari coram Deo, & futura „posteritate possemus, si in quiete nos „con-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Londorp. cap. 167. Bellus l. 3. Adlzreiter annal. Boic. part. 3. l. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„contineremus, & licitam permissam-
„que omni jure Libertatis, & religio-
„nis nostræ, pro qua vitam cum bonis
„omnibus profundere parati semper su-
„mus, defensionem nullam, maxime
„cum Hispani, & peregrini milites alii
„magno numero in Imperium introdu-
„cantur, pararemus. Remedium ma-
„lorum omnium, in sola gravaminum
„abrogatione, & æqualitatis inter Sta-
„tus & Ordines conservatione positum
„est, & sine ea salus aliqua sperari nul-
„lo modo potest: operæ pretium igitur
„facies, si consideratis probe, quæ Im-
„perio imminent, periculis, cum ca-
„tholicis Statibus, qui arma priores ar-
„ripuerunt, de illis iterum deponendis,
„& milite exauctorando egeris, grava-
„minumque ad justitiæ & æqualitatis
„in Imperio conformationem pertinen-
„tium abrogationem modis omnibus
„promoveris. Ea autem in constituen-
„do æquali personarum utriusque reli-
„gionis in consilio aulico, & ipsa Ca-
„mera Imperiali numero: Judice, præ-
„side, adsessoribus, & universa Can-
„cellaria reformandis; Visitatoribus &
„inspectoribus sine ullo religionis respe-
„ctu designandis; Superiorum Capitu-
„lorum possessoribus, non habita ratio-
„ne religionis ad ordinarias visitatio-
„nes admittendis; & *Protestantibus in*
„pos-

„*possessione Capitulorum, Templorum, & Mo-*
„*nasteriorum non turbandis*, & cautione
„Protestantibus sufficienti super his om-
„nibus præstanda, & de tempore loco-
„que, ubi conventus aliquis institui,
„& de reliquis gravaminibus abrogan-
„dis tractatio suscipi possit, nominan-
„dis, & omnibus in actum producen-
„dis, consistit; quemadmodum Cæsari
„etiam per Comitem Hohenzollerensem
„responderi, deque gravaminibus istis
„abrogandis supplicari apud eum non
„ita pridem curavimus, benevolum ab
„eo responsum expectantes. Cum ve-
„ro verbis tantum levationem, & ab-
„rogationem gravaminum promittere
„satis non sit, certum ab ipso Catholi-
„corum omnium, apud quos auctori-
„tate tua illud obtinere facile potes,
„responsum intra duos menses expe-
„ctare volumus, ut quid faciendum
„nobis sit, si illud vel dilatorium vel
„negatorium fuerit, deliberare porro
„etiam possimus. Nos quidem moti-
„bus, & turbis in Imperio excitandis
„neque studemus, neque ullis alicujus
„incommodis delectamur, speramus vero
„etiam vitio nobis vertere neminem
„posse, si omnibus gravati intolerabili-
„bus, & bellicis adversæ partis expedi-
„tionibus, atque ardente jam in vicinis
„regionibus incendio excitati, defen-
„sio-

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„sionem nobis legitimam paraverimus, „inque ea (posthabitis etiam omnibus „comitiis) constanter perseverantes, „id summo studio & Christiano pietatis „zelo agamus, ut libertatem & religio„nem nostram ab interitu, & externæ „dominationis jugo vindicemus, atque „tueamur. Malorum, si quæ inde exo„ritura sunt, rationem Deo aliquando „reddendam iis relinquimus, qui cau„sam iis verissimam dederunt, & ad „media ista adhibenda auctores Prote„stantibus fuerunt. Quod si igitur ope„ram tuam eo conferre volueris, ut ad „finem istum pervenire, & molestiis „gravaminibusque istis liberari Prote„stantes possint, de promptissimo nostro „ad pacem & quietem amplectendam „atque colendam animo dubitare mi„nime debes. Causas equidem expe„ditiones bellicas promovendi, nec tu „nec ceteri Status Catholici habebunt, „quod si vero continuare eas pergant, „transitus non modo nullos ipsis per„mittemus, sed & media ad defensio„nem necessaria adhibebimus. Peti„mus igitur, ut negotium istud omne „commendatum tibi habeas, comme„moratis supra gravaminibus (in qui„bus tractatio nulla locum habet) ab„rogandis quamprimum studeas, & „tempus locumque, quibus de reliquis „iti-

„itidem tollendis deliberatio ab Electo- „ribus, Principibus, & Statibus utrius- „que religionis aliis suscipiatur, nomi- „nes. Hoc ipso rem Deo gratam, tibi „honorificam, & toti Imperio saluta- „rem præstabis.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Ad petitionem istam a Friderico Comite Solmensi, Volrado a Plessem, Joanne Christophoro Olhasio & Andrea Hofio, Regis, Electorum, Principum, & Statuum unitorum Legatis propositam, responsum hanc in sententiam a Maximiliano Bavariæ Duce fuit: „Gra- „tum mihi est, quod non modo pacis „amantem animum meum, notum uni- „tis Statibus esse, sciam, sed quod con- „silia etiam, & actiones meas eo dire- „ctas esse, ut pax & concordia in Im- „perio conserventur, agnoscatis. Quem- „admodum igitur ex parte mea veris- „sime hæc ita sese habent, ita certi e- „tiam esse debetis, quod animum meum „nequaquam mutaturus, sed constan- „tissime in sententia mea permansu- „rus sim.„

§. XIX.

Bavariæ Ducis responsum ad Unitorum Protestantium postulata.

Præterea ad ceteras Protestantium petitiones, & querelas Maximilianus Bava-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Bavariæ Dux fusius hæc reposuit: „Non „dubito, quin si consilia mea adhibita „in principio fuissent, malis omnibus „remedium adhiberi, & ne ad extre„ma ista perveniretur, caveri facile po„tuisset. Quod autem, neglectis, & „posthabitis salutaribus consiliis, mo„nitisque meis, ad extrema jam per„ventum, resque eo perducta sit, ut vel „certissima patriæ totiusque Imperii rui„na præ foribus esse videatur, quod„que summa ista dignitas, libertas, & „harmonia Imperii Romani, quæ ad „posteritatem propagari merito debe„bat, corruere jam & exteris nationi„bus populisque præda fieri debeat, ad„modum doleo, & Deo, cui rationes „aliquando reddituri sunt, qui malis „istis causam dederunt, vindicandum „relinquo. Bellicæ meæ reliquorum„que Electorum, Principum, & Sta„tuum Catholicorum expeditiones ad „licitam, & permissam omni jure eo„rum defensionem, non vero ad turbas „in Imperio excitandas, aut aliquem „ex Protestantibus, & Augustanam Con„fessionem profitentibus Electoribus, „Principibus, Statibusque, dummodo „causa ab ipsis nulla detur, lædendum, „& offendendum directæ sunt. Cum „vero in principio de animo meo pacis „amantissimo tam prolixe testati estis, „vi-

„videre non possum, cur in progressu „ad extrema tandem procedentes, ni „postulatis vestris definito tempore satis„fiat, majores vos præparationes fa„cturos, & libertatem religionemque „vestram cum vitæ fortunarumque om„nium discrimine propugnaturos, gra„vaminum, quæ tractationem nullam „admittant, abrogationem quam ce„lerrime promoturos asseratis. Hoc e„nim facto, quin Catholici nil nisi pa„cem conservare cupientes oppugnen„tur, fieri non poterit. Sed spero a„liam vobis, quam verba sonant, men„tem esse, idque eo magis, quod Ca„tholici Status æque atque vos ad con„stitutionem corporis Imperii pertineant, „& armis eos, contra factam ab ipsis „pacis oblationem, ni omnia, quæ ex„petuntur, statim faciant, opprimi, & „oppugnari iniquissimum futurum sit. „Vos quidem in rebus vestris vim & „coactionem nullam admittitis, quam „grave igitur Catholicis accidet, ubi „ad tot postulata, quæ sub tractatio„nem venire non vultis, nisi statim „consentiant, oppugnatum iri sese in„telligant. Audivi non semel, Catho„licos statim sub initium factæ religio„nis pacis, gravari sese & multis ma„ximisque molestiis a Protestantibus af„fici, conquestos fuisse. Audivi etiam,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„gravamina ejusmodi, quæ tractatio-
„nem nullam admittant, non inter Pro-
„testantes, sed Catholicos maxime re-
„periri, & expetitam istam æquilibrii
„rationem, non modo non profuturam,
„sed plures etiam in Imperio confusio-
„nes parituram esse. Sed in particula-
„ribus Unitorum gravaminibus non par-
„ticipo cum Catholicis aliis, nec patro-
„cinium eorum, nisi in casu facti in eos
„impetus, suscipere volo. Quod ad
„Donawerdam attinet, cujus in respon-
„sionibus ad propositiones Cæsareas,
„mentionem subinde etiam fecistis, non
„semel audistis, me præter sumptuum
„in executione factorum refusionem,
„nihil in eam prætendere, ea enim
„facta, in integrnm urbem quamprimum
„restituturus sum. Liberationem igi-
„tur ejus civitates Imperiales aliæ, si
„tantum pecuniæ conferant, & pro ea
„exponant, quantum sumptibus persol-
„vendis sufficiat, promovere quam opti-
„me poterunt. Abrogationem grava-
„minum quid impediat, ignoro, in
„omnibus tamen Comitiis expetiisse,
„eam Catholicos sedulo, non semel au-
„divi. Promissionem aliquam instituen-
„dæ compositionis a Cæsare factam igno-
„ro. Ipsos tamen, ne confusionum in
„Imperio existentium causa sibi impu-
„taretur, sponte sua ad compositionem
„ali-

„aliquam sese obtulisse novi, ita tamen, „si ad capita quædam, sine quibus „compositio ista fieri non posset, Pro„testantes prius responderent, quod „nondum a vobis factum, ut ita, cur „conventus iste nondum institutus fue„rit, causa penes Catholicos esse non „possit. Quod interea gravati Status „Catholici de gravaminibus loco debito „querelas deposuerint, eaque abrogari „petierint, cur id facere non debue„rint, minime video, cum invalescen„tibus magis, magisque gravaminibus „jure suo privari tandem per silentium „suum potuissent. Si modum tamen „aliqui excesserint, eos non excuso, sed „rationem ejus reddendam ipsis relin„quo. De gravaminibus aliis, peri„culosis consiliis, sparsisque in publi„cum criminationibus, & quod sine „cæde, & sanguine componi non pos„sint, vocibus, nihil mihi constat. Non „existimo etiam futurum, ut plus at„tendant Protestantes ad privati alicu„jus scriptoris dictum scriptumve ali„quod, quam ad publicas Electorum, „Principum, Statuumque, quos nego„tium ipsum concernit, asseverationes „& promissa. Catholicis equidem, si „ad privata ejusmodi scripta attenden„dum foret, multo plus quam Prote„stantibus immineret periculi, cum

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„ſcripta reperiantur, in quibus bona „Catholicorum jam diſtributa, vires „Proteſtantium deſcriptæ, vexilla cum „Symbolis ſuis depicta, & ſua militi„bus ſtipendia ex bonis Catholicorum „aſſignata ſunt, & Catholici omnes, „utpote qui veluti ſaxea corda flecti „non poſſint, & propterea opprimendi „ſint, cum Spirituali Capite ſuo, pla„ne exterminandi dicantur. Optan„dum quidem eſſet, ut ſecundum con„ſtitutiones Imperii ab ejusmodi com„minationibus abſtineretur; cum enim „indicia iſta opprimendorum ex loco „non obſcuro proveniant, periculum eſt, „ne quis inde colligat, conſtitutum ita „apud Proteſtantes eſſe, quod ſine cæ„de, & ſanguine gravaminum iſta ab„rogatio fieri non poſſit. Ego tamen „de vobis melius ſpero, & a Catholi„cis etiam, quorum cauſſam ipſe ago, „ad ejusmodi cædis & ſanguinis extre„ma ventum nondum eſt. Initium e„nim bellicarum expeditionum ipſi mi„nime fecerunt, nec militem conſcripſe„runt, donec excitato in Bohemia in„cendio, milites per ipſorum territoria, „non ſine ſummo ſuorum incommodo, „ducerentur. Tum enim pro cavendo „periculo, ne ſcilicet omnium direptio„ni bona ſua expoſita relinquerentur, „militem ab ipſis pro ſua ſuorumque „defen-

„defensione, qua quidem molestia su- Sæc. XVII.
„persedere alioqui maluissent, conscri- A. C. 1619.
„ptum fuisse constat. Herbipolensem
„Episcopum aliquanto citius reliquis
„præparationes istas militares, longe
„tamen post excitatas istas in Bohemia
„turbas, cum frequentiores jam mili-
„tum per ditionem suam transitiones
„fierent, facere cæpisse, sed causam,
„præter jam dictam hanc quoque ha-
„buisse novimus, quod litis sub judice
„adhuc pendentis cognitionem atque
„executionem arripere aliqui conati,
„contributionem suis subditis impera-
„rint, ingentesque præparationes in vi-
„cinia fieri Episcopus animadverterit,
„nec quid damni paulo ante, cum de-
„fensione adhuc destitueretur, accepe-
„rit, nescius plane fuerit. Coactus
„igitur fuit de paranda defensione tem-
„pestive cogitare, & ut suos tueretur,
„non vero ut alios læderet, militem
„aliquem conscribere, quemadmodum
„facti istius sui rationem loco conve-
„nienti reddere paratus est. Porro Ca-
„tholici Ecclesiastici, atque Seculares
„provincias, & regiones possident, feu-
„dum a supremo Imperii capite obti-
„nent, & onera sua vel majora etiam
„respective, quam seculares sustinent,
„iniquissimum igitur foret, si omnium
„direptionibus, & libidinibus patere

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„ipsorum territoria deberent, nec per-
„missum ipsis esset defensionem in casu
„necessitatis legitimam parare, cum
„tamen jura ipsorum ab aliis in tem-
„poralibus nihil differant, & ipsorum
„etiam aliqui patrum nostrorum me-
„moria cum Cæsare adversus juratum
„Christiani nominis, aliosque hostes
„non sine laude & gloria coram depu-
„gnasse legantur: Compertum est, ipsos
„ita affectos esse, ut ni sumptus fa-
„cere in expeditionibus bellicis cogan-
„tur, labore isto supersedere quam opti-
„me possint, nec dubium est, si quiete
„sua frui possent, & mali nihil metue-
„re cogerentur, a præparationibus &
„expeditionibus istis, quamprimum eos
„cessaturos. De peregrinis præfectis,
„quos Catholici habent, & aliis etiam
„in casu necessitatis permittere possunt,
„cognitum nihil habeo, nec credere e-
„tiam possum, quod tales aliqui apud
„eos reperiantur. Præparationes ipso-
„rum tantas non esse scio, ut cum Pro-
„testantium præparationibus comparari
„ullo modo possint, expeditiones autem
„pro defensione sua, Constitutionibus
„Imperii non contrarias facere, prohi-
„bitum ipsis, haud qnaquam est, ma-
„xime cum transitus per aliorum terri-
„toria non faciant, sed in suis terminis
„se contineant, damnum aliis non in-
„ferant,

„ferant, sed suis sumptibus militem „omnem sustentent. Quid autem ex „parte Protestantium factum, quantum„que damni Catholicis ab expeditio„nibus ipsorum illatum sit, notum ma„gis est, quam ut multis demonstretur. „Cæsari hac in re modum ponere, Prin„cipes non decet. Quos per Bavariam „præfecti ejus duxerunt milites, libere „per aliorum, etiam Protestantium, „& correspondentium territoria com„mearunt. Solus, quem ab aliis ob„tinuerant transitus, & commeatus, „ipsis denegari non debuisset, cum „præsertim, denegatus is ab aliis non „sit, & Ductores etiam de damno non „inferendo satis superque caverint. Re„latum ad me est, tam in Cæsareis, „quam in Unitorum Principum expedi„tionibus, variarum nationum, utpote „Germanos, Westphalos, Batavos, & „fortasse Italorum loco Anglos etiam „& Scotos visos fuisse. Quod ad Ba„varicas expeditiones attinet, intelli„gere facile omnes possent, propter vi„cinum, quod ex Bohemia & Austria „mihi imminet periculum, itemque pro„pter supremum, quo in territorio isto „fungor, præfecturæ officium, majori „eas numero, & priori etiam quam ab „aliis tempore fieri eas omnino opor„tuisse, nondum autem factas esse, pro-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„pter militum, qui ab aliis magno nu-
„mero conſcribuntur caritatem & rari-
„tatem, quemadmodum etiam ut ſu-
„ſpiciones omnes evitarem, aliquanto
„tardius ad conſcribendum militem ac-
„ceſſerim, quas tamen conſultas & ne-
„ceſſarias omnes hactenus deprehende-
„retis, & ipſum etiam Unitorum Sta-
„tuum caput, propter imminens regio-
„nibus iſtis a vicino milite periculum,
„reprehendere minime potueritis. Ad
„complendum autem, quem regioni-
„bus iſtis defendendis ſufficere poſſe
„putabam numerum, ex Weſtphalia,
„& locis aliis accreſcere, & magnis
„ſumptibus, quibus ſuperſedere multo
„libentius voluiſſem, adducere militem
„coactus fui. Cauſam expeditionibus
„iſtis etiam Bethlemi Tranſylvaniæ
„Principis inexpectata in Hungariam
„irruptio ipſiusque Viennenſis urbis
„coanguſtatio & crudelia, quorum ve-
„ſtigia, & monumenta plurima paſſim
„adhuc extant, attentata alia dede-
„runt, cum maxime Sermones etiam
„varii, de opprimenda ejus opera Ba-
„varia, ſparſi & diſcurſus de periculo
„quod a Bavariæ Principe metuendum
„eſſet, tollendo habiti fuerint. Iſtas
„enim comminationes non negligendas,
„& propterea defenſionem etiam majo-
„rem neceſſariam omnino fuiſſe apparet,

„nec

„nec tamen ſpero, remoram ipſis co- Sæc. XVII.
„piis per Proteſtantium territoria tran- A. C. 1619.
„ſituris objectum iri, maxime cum
„damnum nemini etiamnum dederint,
„idque præcavere modis omnibus, præ-
„fectos & Ductores meos juſſerim, nec
„tranſitus etiam quibuscunque militem
„ducere per Imperium volentibus, de-
„negatus hactenus fuerit. Quod ad
„petitionem attinet, ut de fonte diſſi-
„diorum omnium obſtruendo, & gra-
„vaminibus abrogandis, cum Catholi-
„cis Statibus aliis agam, utque hi de-
„poſitis armis in gravaminum quorum-
„dam, tractationem nullam admitten-
„tium, abrogationem conſentiant, cau-
„tionemque de illis omnibus intra duos
„menſes in actum producendis præſtent,
„efficiam, paratus quidem ſum in om-
„nibus, quoad fieri poterit, vobis gra-
„tificari, non ſpero autem tale quid,
„quod in poteſtate mea poſitum non eſt,
„vos expetituros eſſe. Univerſale hoc
„negotium eſt, non Catholicos ſolum,
„ſed ipſum etiam Romanorum Impera-
„torem, ipſum Imperium, & omnia
„ejus membra concernens, quod mul-
„to majoris deliberationis eſt, cum Ca-
„tholici æque atque Proteſtantes de
„gravaminibus ſuis conqueſti fuerint,
„& abrogationem eorum a multis jam
„annis expetierint, libertatis etiam &

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„religionis suæ jacturam facere æque „atque vos recusant. Cum igitur Catholicos omnes atque inter eos Electores etiam componere ad nutum meum „æque atque Protestantium aliquis Protestantes Status reliquos, non possim, „ita quidem statui, longe vos rectius „facturos fuisse, si legationem hoc nomine vel ad Status Carholicos omnes, „vel ad Electorem maxime Moguntinum, vel ad Catholicorum Statuum „Legatos Herbipoli, non opprimendorum Protestantium Statuum, sed pacis in Imperio conservandæ, & turbarum ab eo omnium prohibendarum, „& communis defensionis contra omnem vim injuriamque externam parandæ gratia, congregatos mitteretis. „Ibi enim de rebus ad salutem Imperii „pertinentibus, deque turbis Bohemicis (ex quibus omnia ista in Imperio „jam promanant mala) honeste componendis, deliberatio fieri poterit, „nam conventus agere, Catholicis æque atque Protestantibus instituere licet, ibidem, qui aliter rem in consessu Unitorum Statuum narrarunt, „quam novarum turbarum cupidi sint, „& quod comminationes, quas insuper „addunt, probare nulla ratione possint, „manifestum fieret. Cum enim de Catholicorum expeditionibus cautum vo-

„bis

„bis sit, ad solam eorum defensionem, „non vero ad alicujus Protestantium „Statuum (nisi causa ipsis detur) of„fensionem comparatas esse, cumque „idem etiam de suis expeditionibus Pro„testantes & correspondentes prædi„cent, causam certe pars nulla habe„ret, alteram vel impugnandi, vel mo„dum ei, secundum quem res suas in „territorio suo constituere debeat, dum„modo sine alterius damno id fiat, præ„scribendi. Non video igitur, quo „modo comminationes istæ cum facta „utrinque assecuratione consistere pos„sint. Catholici, incendio in Vicinia „magis magisque jam invalescente, non „tam facile ad depositionem armorum „adduci poterunt, postquam ne Bo„hemi quidem, ut una cum Cæsaria„nis arma deponerent (quo forsitan me„dio maximarum malorum futurus fi„nis fuisset) persuaderi a Saxoniæ E„lectore potuerunt. De postulatis istis „Unitorum Principum Statuumque du„bitare, etiam aliquis posset, an ea„dem etiam reliquorum Statuum, quos „Augustanam confessionem amplecten„tes vulgo Evangelicos nominant, mens „& voluntas sit, & an importunum „istum procedendi modum approbent, „vel an non statuant potius, cum Sta„tibus Catholicis, quibus leges ponere non

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619. „non possunt, longe aliter utpote cum „unius corporis membris procedendum „esse, cum præsertim mentem sibi non „esse, Statum aliquem Imperii offen„dendi, sed legitimam solum, & jure „omni permissam sui suorumque defen„sionem parandi, protestati non semel „fuerint. Responsum istud meum, in „communi, & non me solum, sed Ca„tholicos omnes, & ut mihi quidem „videtur, Augustanæ etiam Confessio„ni addictos Status alios concernente „causa, ad omnes, quorum interest, „remittere commode potuissem, cum „tamen sciam, unitos istos Principes „& Status, pacis per se amantes esse, „quibus dissensionum omnium sublatio, „externi alicujus, forsitan Turcici jugi „prohibitio, ruinæ, & interitus patriæ, „aversio pacis, & concordiæ constitu„tio, curæ cordique sunt, ac insuper „viderim, eximiam in meam personam „positam eos fiduciam habere, senten„tiam ipsis meam, sine omni aliorum „præjudicio (meliorem enim in hisce „extremitatibus animadvertere nondum „potui) sincere & fideliter aperire vo„lui. Rogo igitur & moneo, ut a re„solutionibus istis suis, si quæ, ut ver„ba quidem sonant, factæ sint, absti„neant, circumstantias omnes, & ma„la, quæ existere inde possunt, probe „con-

„considerent, & quam eventus belli, for- Sæc. XVII.
„tuna item & occasiones omnes dubiæ A. C. 1619.
„sint, diligenter secum cogitent, nec
„igne in vicinis regionibus satis jam
„ardente, incendium ipsi majus faciant,
„& universalem in Imperio commotio-
„nem ad suam æque atque Catholico-
„rum perniciem excitent, sed id po-
„tius agant, ut ignis in ipsis cineribus
„statim supprimatur, incendium extin-
„quatur, & Salus, dignitasque Imperii
„promoveatur. Cum enim pars altera
„alteri nihil concedat, & Catholici
„Turcicum vel aliquod aliud externum
„jugum æque atque Correspondentes
„aversentur, eoque animo sint, ut li-
„bertatem religionemque suam itidem
„cum vitæ & fortunarum omnium ja-
„ctura defendere cupiant, & eo casu
„expeditiones majores facere intermis-
„suri non sint, quid existere inde in
„Imperio possit, æstimare omnes nullo
„negotio poterunt.

§. XX.

Iterata Correspondentium responsio ad Bavariæ Ducis literas.

Acceptis Maximiliani Ducis literis Pro- *Merc. Gal-*
testantes Principes datis denuo li- *iob. t. 13. l. 1.*
teris eundem non obscure sugillabant,
quod inconsultis etiam aliis Statibus
Catho-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Catholicis ſtatim reſpondere voluerit, atque exiſtimarit, cauſſarum plus ſatis Catholicos ad faciendas expeditiones iſtas bellicas habuiſſe, eosque gravamina habere, quæ contra Proteſtantes prætendere poſſint, inſuper gravamina Proteſtantium pro certis & tractationem nullam admittentibus nequaquam haberi poſſe, ſed ad Cæſaris, totiusque Imperii cognitionem pertinere, aſſeruerit.

Dein pro more omnium, qui abjecto legitimi ſui Principis obſequio ſeditiones parant, ſe duntaxat pro conſervandis ſuis Imperii legibus, tollendisque, quæ nondum ſublatæ fuiſſent, oppreſſionibus arma ſumpſiſſe, proin damna, ſi quæ exin illata fuiſſent, illis qui *intempeſtivas expeditiones fecerunt, & Proteſtantes ad eas coegerunt*, imputanda eſſe reſcripſerunt. Aſt ad frivolas haſce excuſationes Maximilianus hæc repoſuit: „Si meas aliorumque quorumdam „expeditiones intelligatis, eas conſti„tutionibus Imperii contrarias eſſe, „haud video; nulli enim Statui eas, „urgente neceſſitate, facere prohibi„tum, ſed certo modo permiſſum eſt, „ab unitis etiam in aliquibus territo„riis non ſolum factæ, ſed & aliis per„miſſæ fuerunt, & damni ab expedi„tionibus iſtis nihil illatum eſt, unitis, „quod

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„quod ego quidem ſcio, quin imo de „non lædendo cautum ſemper, & ubi„que a præfectis meis fuit. Propoſitio „Legatorum, de armis quamprimum „deponendis, expeditionibus ulteriori„bus intermittendis, gravaminibus, in „quibus tractationem admittere Ordi„nes non poſſint, abrogandis, deque „iſtis omnibus cavendo, & cautione „non verbali, ſed reali præſtanda, de „reliquis tractatione componendis, re„ſponſo ſuper his omnibus a Catholicis „intra duos menſes comparando, cum „adjunctis, tum de contraria expedi„tione, & gravaminum, quæ tolerare „diutius non poſſint violenta excuſſio„ne, tum de culpæ totius in Catholi„cos rejectione, inſolita mihi, & præ„ter expectationem omnem accidit, „quod gravamina iſta, quæ tractatio„nem nullam admittere dictitant, ſta„tim abrogari, & cautionem, de ac„quirendo ſuper abrogatione iſta intra „duos menſes reſponſo, præſtari debe„re putarim, eo ipſo enim peteretur a „me, quod in mea poteſtate non eſt, „quodque ne facerem, utpote ſummo „conjunctum periculo viſum mihi eſt. „Cum vero jam ex Replica animadver„tam, mentem eam Legatorum non „eſſe, nulli item Statui modum legem„que ponere Legatos velle, ſed id tan„tum

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„tum agere, ut extrema vitentur, & „responsum a Catholicis intra duos „menses procuretur, facile ipsis jam „acquiesco. Reliquorum etiam Evan„gelicorum Statuum nullo alio, quam „præmemorato fine mentionem feci. „Quod particularia quædam alia adre„ferendum solummodo acceptare se „velle Legati dicant, ita accipio, ut „nonnisi ad pacem directuros relationem „suam sperem, quemadmodum ego „quoque turbatis hisce temporibus, quæ „ad salutem Imperii promovendam pa„cemque & concordiam undique con„servandam facere possint, pro virili „promoturus sum. Quod ad admoni„tiones reliquas attinet, ego quidem „nihil unquam aliud, quam pacem spe„ctavi, & ipso statim turbarum Bohe„micarum initio, auctor pacis, & „compositionis, monstrata simul, qua „fieri ea posset ratione, fui, existimo „etiam, quod si admissa consilia mea „fuissent, extrema ista evitari quam „optime potuissent. Cum vero spretis „consiliis meis processus adhibitus alius „fuerit, de aliis forsitan quorundam „intentionibus suspicari quamprimum „tum cæpi. Quæ autem illæ fuerint, „& unde extiterint, ignoro, nec cui„quam in specie imputo, ejusmodi ali„quid posse, aut velle. Compositio„nem

„nem turbarum istarum factam in tem- Sæc. XVII.
„pore exoptabam, promovere autem Sæc. 1619.
„non potui. De peregrinorum Princi-
„pum admiscere sese turbis istis volen-
„tium conatibus, cognitum nihil ha-
„beo, nisi forte præstitum Cæsari ab
„Hispaniæ Rege, tanquam agnato ejus
„proximo auxilium intelligant; spero
„autem, qui rem sincere judicant in
„malam partem id non accepturos, cum
„contra Bethlemus etiam Transylvaniæ
„Princeps accepta a porta Turcica, a
„qua totus dependet, licentia, crude-
„dissimum in Hungariam & loca porro
„alia, cum magno non Catholicorum
„tantum sed aliorum etiam Augustanæ
„Confessionis addictorum Electorum,
„Principum, & Statuum luctu & mœ-
„rore impetum fecerit, Triumphum ea
„de re canentibus aliis, & peculiari
„libello, cui titulus est: *Regni Hunga-*
„*riæ occupatio*, quotidianos ejus pro-
„gressus, cum tripudio & plausu maxi-
„mo describentibus, quod obiter hic
„non alio fine, quam ut remedium ma-
„lo huic adhibendum aliquod moneam,
„commemoratum velim. De dissolu-
„tione harmoniæ Imperialis, & con-
„stitutionum cujusque territorii labe-
„factatione, quomodo ea per majorum
„collectionem facta sit, nescio, ita ta-
„men cum aliis statuo, quod si harmo-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„nia Imperii, qualis olim fuit, adhuc „esset, tunc etiam vos eadem, quam „Majores vestri habuerunt, pace frui „possetis. Novum quidem non est, „quod etiam in negotio religionis respe„ctus *ad Majora* suffragia factus sit, re„pugnantibus exclusis, sed id hujus „loci non est. Quæ de assecuratione „sententia mea sit, alio loco demon„straturus sum. Quod de remediis ad „gravaminum abrogationem magna „celeritate adhibendis dictum, eodem „sensu quo antea accepi: Cum vero „ea mens vestra non sit, litem vobis „movere amplius nolo. Quod de mo„lestiis aliis querelas afferatis, aliter „quidem edoctus nunquam fui, quam „quod processus, qui jam in usu est, „a multis sæculis in aula Cæsarea, & „in Camera Imperiali a prima ejus fun„datione servatus fuerit, scire autem „libenter vellem, quodnam æquilibrium, „& qualis justitia futura sit, si æqualis „in judiciis religionis utriusque perso„narum numerus constituatur, & inter „eos consensus circa controversiam re„ligionis fieri non possit. Nisi enim „impedimenta alia in judiciis tollantur, „nil nisi justitiæ subversionem, & pau„peris oppressionem, existente nimirum „a multitudine ista personarum ingenti „confusione, sequi & expectari posse, „com-

„compertum eſt. Prætenſa igitur gra- „vamina iſta probe conſideranda, & „expendenda ſunt. De bonis appre- „henſis ab Auguſtanæ Confeſſionis Sta- „tibus in pace Religionis jam dudum „Transactio facta eſt, nec litem de il- „lis moveri amplius poſſe exiſtimo, „dummodo ea ad præſcriptum ibi mo- „dum collocentur, nec vel ad propha- „nos uſus transferantur, vel prorſus „alienentur & vendantur. De illis quæ „in Catholicorum poteſtate remanſe- „runt menſæ nempe Domini applicatis, „& ſpiritualibus uſibus deſtinatis bonis, „notum eſt, quod ad ſeculares uſus non „transferantur. An vero ab illis ad „reliqua illa argumentari liceat, quæ- „ſtio eſt. Quod ad Donawerdam atti- „net, priorem meam reſponſionem re- „peto, de contributionibus civitatum „Imperialium non diſputo, hoc tantum „ſignificare vellem, quod ſi cum cau- „ſam civitatis iſtius ſuſcipere velitis, „remedium ipſi, dummodo ſumptuum „refuſionem faciatis, afferre quam opti- „me poſſetis. De Suſcepta compoſitio- „ne, quinam ex Catholicis, & qua ra- „tione in eam conſenſerint, mentem „tamen poſtea mutarint, cognitum ni- „hil habeo: Quod ad ſcripta commi- „natoria eorumque auctores attinet, ad „ea, quæ in priori reſponſione, & ſu-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„pra etiam de Bethlemica Hungariæ „occupatione dicta sunt, me refero. „De comminationibus, quæ in proto„collis Imperialibus reperiuntur, de„que classico, & illud secutis conatibus „nihil scio: Catholicos vero a primo „factæ pacis religionis tempore, de e„dictis ejusmodi scriptis comminato„riis, ut & de votis cruenta capita con„cernentibus anno millesimo sexcente„simo septimo in Consilio Principum, „comitiis publice factis, conquestos non „semel fuisse probe cognitum habeo. „De facta Ecclesiarum, earumque bo„norum distributione, quod vos cogni„tum nihil habeatis, gratum habeo, & „melius etiam de vobis speraveram, „tametsi non ab infimæ sortis personis „hæc distributio facta fuerit. Ecclesiæ „Herbipolensi compensationem quidem „aliquam factam audio, sed periculum „tamen esse, ne simile quid porro e„tiam aliis accidat. Responsio ista ad „illata Catholicis expeditionum varia„rum occasione damna, quod nimirum „a ditionibus Unitorum itidem milites „non abstinuerint, sufficiens non est, „neque enim illis, ad quos expeditio„nes istæ nihil attinent, satisfieri hac „ratione potest, cum transitus isti tam „internorum quam externorum militum „ex Constitutionibus Imperii, sine ali„cujus

„cujus læsione & damno fieri debere, „certum sit, & Catholici quidem præ- „senti pecunia omnia redemerunt, & „damno nemini fuere. Constanter au- „tem affirmant, quod causas ad paran- „dam defensionem gravissimas habue- „rint, inviti eam susceperint, & ab ea „liberari quam primum cupiant. De „Hispanorum numero disputare non „volo. Illud certum esse scio, militum „a parte Bohemorum numerum majo- „rem semper fuisse, ut expeditiones „majores factas & damni etiam inde „plus datum fuisse, dubitari non possit. „Anglos & Scotos transitus peculiares „fecisse, mihi non constat, permistos „autem aliis fuisse, certum est, nescio „tamen, an proprio motu, an vero alio- „rum jussu id bellum secuti fuerint, „nec legem etiam unitis, quomodo „contra excursiones, seditiones, dire- „ptiones, & impetus militum alios „tueri se, suosque debeant, præscri- „bere, multo minus etiam quomodo „facta ista a Bethlemo hostilis irruptio „excusari debeat, monstrare rationem „volo. Factam autem initio promis- „sionem meam repeto, & ad omnia „humanitatis officia Superioribus præ- „standa paratum me futurum semper „polliceor.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. XXI.

Herbipolensis Conventus a fœderatis Principibus Catholicis celebratus.

Merc. Galtob. t. 13. l. 1. Barre l. c. Carafa Comm. de Germ. rest. Bellus l. 3. pag. 296.

Cum meridiana luce clarius appareret, quod omnia Protestantium consilia & conventus præcipue Norimbergensis eo unice eo colliment, ut sectæ libertatem, quam metu extorserunt, Catholicorum sanguine firmarent, Ecclesiasticosque, prout ipsis decretum erat, occupatis eorum bonis, unacum suo Capite e medio tollerent, ac demum Austriacam Domum everterent, hinc Catholici quoque Principes Norimbergensi Conventui mox alium Herbipoli opponere decreverunt, ut de sua quoque Religione sarta tecta tuenda agerent, malisque imminentibus obicem ponerent. Intererant huic conventui Cæsaris, Moguntini, Trevirensis, & Coloniensis Electorum, & Bavariæ, Lotharingiæ & Neoburgi Ducum Legati, necnon Archiepiscoporum, Præsulum, Abbatum, & Catholicarum urbium Imperialium Deputati. Ab his anno sequenti prævie consultatum est de opportunis pacem in Germania restituendi mediis, necnon de Romano-Catholica religione

ne ab interitu, quem ei Proteſtantes undique minitabantur, præſervanda, & denique de reparando Cæſareæ Majeſtatis honore, juribus & auctoritate ab Acatholicis tantopere læſa; Proteſtantes enim tam Bohemi, quam Auſtriaci eo ipſo tempore, quo, veluti reddendæ pacis medium, exercitus Cæſarei dimiſſionem ab Imperatore poſtulabant, ipſi armorum ſuppetiis undique corraſis non modo Viennam aliunde fame preſſam cinxerunt, ſed etiam Cremam urbem, incaſſum licet, occupare tentarunt, ac inſuper ſuper-Anaſſini Auſtriaci, qui obſtinatione vix ullis rebellium per id tempus inferiores erant, ſub falſo ſeſe adverſus Gaborem defendendi obtentu exercitum contraxerunt, & Cæſarea telonia deprædati ſunt, pluribusque oppidis vi aut deditione captis & Pilſeca urbe a Mansfeldio recuperata munitum etiam Melicienſe Monaſterium arcta obſidione preſſerunt: Eapropter perpenſis hiſce Proteſtantium hoſtilitatibus Catholici Principes in Herbipolenſi Conventu congregati valida militum, & pecuniarum ſubſidia ſuppeditare decreverunt, ac præprimis Maximilianus Bavariæ Dux præter copias in ſua ditione conſcriptas inſuper per Comitem de Lippa in Colonienſi & Moguntino Electoratu numeroſum mi-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

litem colligi jussit, Ducemque Lotharingiæ in fœdus Catholicum adscripsit, quo auctore pro tuenda fide Catholica, & Cæsaris auctoritate Lotharingiæ Nobiles ductore Croio aliquot equitum, peditumque millia contraxere. Insuper Philippus III. Hispaniarum Rex ter centies mille auri nummos Genuæ, Antdorffii, & Norimbergæ numerandos assignabat. Denique Græciensis tria peditum & duo equitum millia præter ducenties mille florenos pollicebantur. Decernebantur quoque Romam Trautmansdorffius Comes, armorum subsidia petiturus. Haud cunctanter Pontifex non modo bis centies mille florenos Fœderatis Principibus submiserat, sed insuper ceteros Italiæ Principes ad militum suppetias Cæsari ferendas animabat. Minus prospere Comes Fürstenbergius in Galliis sua fungebatur legatione; quamvis enim Religionis orthodoxæ subversionem, Imperatoris dignitatem post hac in hæreticum Principem devolvendam, & rebellionis invalescentis damna, necnon monarchici Regiminis in Democraticum convertendi periculum gravi sermone exposuisset, Bullionius tamen Dux, secta Calvinianus ac Palatino cognatus scriptis ad Ludovicum XIII. Regem literis eundem dehortari nitebatur,

Ferreras contin. t. 11. cap. 2. §. 145. Gramond, hist. Franc. l. 4.

batur, hæc exponens: „vanum eſt, quod „ducitur a religione argumentum in „facto, quod mere politicum eſt: Pala„tinus Comes quanquam doctrinam „ſequatur reformatam, libertatem ta„men conſcientiæ tota Bohemia nedum „fruitur, conniventibus oculis, ſed & „eam approbat eorum Rex, neque ea „parte quid mutatum eſt a veteri mo„re: in Bohemia arbitrium religionis „valet, quale ab antiquo fuit; nec ideo „in Gallia periclitatur fides Catholico „Romana, quia Calvinianæ exercitium „permiſſum eſt. Communis Principi„bus tunc cauſſa eſt, cum Princeps le„gitimus, qualis Fridericus, in uſur„patorem armatur. Non hic autem de „perduellibus agitur, unum id in quæ„ſtione verſatur, utrum Bohemico re„gno adipiſcendo prævaleat ſucceſſioni „electio: lite pendente jure ſuo utitur „uterque, pro poſſeſſore legitimo ha„bendus, donec fortuna deciderit: in„terea jus in armis eſt; vota indige„narum pro Palatino ſunt. His ad„denda ſunt inveterata gentis Auſtria„cæ in Gallos odia, libido Europææ „dominationis, ſucceſſio imperii cen„tum abhinc annis, quaſi per jus ſui„tatis uni & eidem genti continuata, „velut ex debito. Cauſſa Regum, & „Principum agitur tunc, caſu ſe gens

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„Auſtriaca in prima rerum Europæa„rum faſtigia extollit.„

Nihil tamen proficiebant invidioſa hæc Bullionii dicteria pertulantius in Domum Auſtriacam effuſa; Rex enim Fürſtenbergio poſt confecta Bruxellis negotia Pariſios reverſo coram ſignificabat, quod publicam Germaniæ pacem per Legatos ſuos ad priſtinum Statum revocare vellet, ea tamen lege, nequis, ſe inſcio aut invito, miles e Galliis foras extraheretur: percepta hac Regis intentione Luynæus, qui eidem in paucis charus erat, eidem Author exſtitit, ut per Legatos ſuos procurandæ paci Germanicæ, præcipue invaleſcente Calviniſtarum in Galliis audacia, invigilaret: Igitur ſollicitante etiam Regina, cum Regum Prædeceſſorum, qui hoſtibus Auſtriacæ Domus ſemper patrocinabantur, veſtigiis tum inſiſtere abhorrenti, Dux Engoliſmenſis, Bohemius & Albaſpinæus die decima ſexta Martii ablegantur, qui anno ſequenti Menſe Aprili jam adulto Viennam delati, diſſidia componere ſatagebant. Præter hoſce Reges, Sigismundus quoque Poloniæ Rex & Saxoniæ Elector Cæſari opem pollicebantur, ringentibus Bohemis, novoque eorum Rege. Daniæ autem Rex & Brunsvicenſis Dux neutri parti adhærebant.

Barre hiſt. d'Allemagn. t. 9. p. 486.

Cete-

Ceterum Maximilianus Bavariæ Dux querelas & postulata, quæ Protestantes Norimbergæ congregati eidem proposuerant, ad eundem Conventum Herbipolensem rejecit, pollicitus, intra bimestre responsum eis esse reddendum.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XXII.

Sacræ Imagines Pragæ ex arcis Templo a Bohemis Protestantibus ejectæ.

Postquam Fridericus Palatini Comes ex Norimbergensibus comitiis die decima sexta Decembris Pragam advenerat, ut Calvinianæ sectæ fervorem luculento testaretur specimine, magisque sibi rebellium Bohemorum affectum conciliaret, a potestatis humanæ sublimioris contemptu, ad impium Superorum despectum die vigesima prima ejusdem Mensis transitum facere constituit, promulgato edicto, vi cujus in Rathschini seu arcis Regiæ Templo D. Vito & Wenceslao Martyribus sacro omnes ad unam Cælitum Imagines, sculptæ, fusæ, vel in tabulis depictæ unacum Altaribus everti jubebantur. Mox igitur Christi Salvatoris nostri in Crucem acti, suæque Sanctissimæ Matris simulacra a Calvinianis Iconoclastis e pavimento revulsa frustratim discer-

Bellus l. 3. Merc. Gallob. t. 13. l. 1. Arnold. Hist. Hæres. part. 2. l. 16. cap. 1. §. 9. pag. 891.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ſcerpuntur, ſacræ reliquiæ contaminatis pedibus & ocreis proculcantur, everſisque Altaribus Sanctorum Statuæ & Imagines impiorum Nebulonum ludibrio & furori exponuntur. Spargitur paulopoſt per urbem rumor, Friderici juſſu etiam Crucem in ponte Moldavico antiquitus erectam pari rabie eſſe evertendam; cum autem Cives Catholici pro tam vetere pietatis monumento defendendo arma pararent, Senatus, & præcipue Comes Schlickius Fridericum convenerant, ſupplices, ut ſuum revocaret imperium. Eo autem id ſibi in mentem nunquam veniſſe reponente, tumultus conquievit, ſacrilegi autem ſectatores ſuis in intemperiis perſiſtentes auguſtiſſimum antea Templum prope propius in Augiæ ſtabulum verterunt, ſe Deo obſequium præſtaſſe arbitrati, quod ex Chriſtianorum cordibus Paſſionis Dominicæ, ac virtutum, quibus Sancti inclaruerunt, memoriam extirpare conati ſint: Impii etiam hujus facinoris Encomiaſtes erat Abrahamus Scultetus Calvinianus Aulæ Præco, qui Palatino jubente ac præſente, in die Chriſto nato ſacra concionem habuit, cauſſamque hujus profanationis inter alias hanc quoque injurius protulit, quod *perpetratam non ſemel coram Statuis etiam in conſpectu ſuo idololatriam*

ferre

ferre per conſcientiam ſuam Rex diutius non poſſet. In quo ſane miſellus hic Declamator, ac præcipuus ejus iconomachiæ incentor ſuam ignorantiam circa Catholicum S. Imaginum cultum nimis aperte prodidit, ac paulopoſt ſacrilegi ſui conatus pœnas dedit, cum ejus domus unacum omni ſua ſuppellectili, *profanisque* picturis ab ultrice flamma correpta conflagrarit, ejusque uxor mente mox capta circa Calendas Januarias ſuis in furiis extincta fuerit. Die autem vigeſima ſeptima Decembris noctu Eliſabetha Palatini uxor filium peperit, inde vero bacchantibus Bohemis novum lætandi argumentum, eo quod hæreditariam rebellionis infamiam in novum hunc Regni hæredem translatum iri ſperaſſent: Trigeſima prima demum hujus Menſis die Bohemi fœdus cum Gabriele Bethlemio firmabant, miſſis ad eundem centies mille florenis: Fœderati quoque Ordines, cum Europæ Respublicas multiplicare, & Monarchica Imperia ſenſim evertere, unice intenti eſſent, non modo Bohemis omne pollicebantur auxilium, ſed etiam varias incitabant viciniores Provincias, & Principes, ut horum motuum opportunitate uſi, ſeſe cum Belgis unirent, & mutua ope ſibi communem libertatem procurare, Principum-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Neuvill. Hiſt. d' Holland. cap. 3. pag. 197. l. 4.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

cipumque suorum, licet legitimorum jugum excutere molirentur. Mauritius vero Nassovius clam Fridericum Electorem instigabat, ut Bohemiæ diadema immote possideret: insuper etiam milites conscribebat, ut eundem contra suos hostes in Palatinatu tuerentur, eique obtentam dignitatem sartam servarent.

§. XXIII.

Continuati tumultus in Rhætia.

Lundorp. l. 19. c. 1. Ferrer. contin. tom. 11. Bucelin. Rhæt. sacra.

Tumultuantibus interim Bohemis turbæ in Rhætia recrudescere cæperant, ac præprimis Engadina, (quod Caput Oeni vocatur) validis factionibus jactabatur. Habebantur Mense Januario Curiæ Comitia, in quibus ratio Administrationis a Vallis Telinæ Ministris exacta, simulque subditorum querelæ auditæ fuerunt. Attamen quanto major diffidia componendi sollicitudo adhiberi videbatur, tanto majores excitati sunt tumultus, Plantana & Salisina factionibus invicem sese insano furore infectantibus: nihil quoque prætermittebant Hispani, Galli, Venetique, ut suam quisque factionem sibi propitiam potenter adjuvare possent. Incusabat Franciæ Legatus Venetum Oratorem, quod inito cum Rhætiis

tiis fœdere totius mali culpa exſtiterit: Veneti quoque Rhætios tanquam inquietos homines habebant, atque ab eorum ſocietate ſe receſſuros minitabantur. Confluxerant potiſſimum ex plebe Calviniana non pauci, qui conflata nova factione partes aut componere, aut Catholicos penitus eliminare moliebantur: aſt viribus & auctoritate deſtitutos Hiſpaniæ & Franciæ Oratores inſectabantur, eorum æmulis perſuadentes, ut reſciſſis illorum ſtatutis Curienſem Epiſcopum unacum Catholicis nuper proſcriptis revocarent. Hi ergo Vallem Telinam ex integro aſſerere intenti, ad arma conclamant, prælioque ſat cruento prope Curiam commiſſo, Proteſtantes profligant, captis eorum ſeptuaginta. Parta hac victoria, erectoque, ut vocant, cenſorio judicio, proſcriptos revocant, & adverſæ partis ſtatuta irrita declarant: paulopoſt Proteſtantes reſumptis viribus Catholicos aggrediuntur, in fugam agunt, captos liberant, inſtitutoque novo Tribunali nuper promulgata reſcindunt decreta, ceterasque factiones eo adigunt, ut pollicerentur, ſe nunquam exteris Principibus hæſuras, nec eorum Legatos admiſſuras. Inde vero tanta exorta eſt confuſio, ut Magiſtratus æque ac ſubditi, noxii ſimul cum innoxiis periclitaren-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tarentur, cunctis libertatis studium præferentibus, & sub hoc obtentu sese mutuo opprimere, suaque ad vota cogere adlaborantibus: Durior ceteris erat conditio Catholicorum, qui numero pauciores, & Episcopo atque Ecclesiis suis spoliati, obtrusis Prædicantibus, eadem cum Calvinistis Ecclesia uti atque animis non minus quam Religione diversi convivere cogebantur.

§. XXIV.

Equestris Ordo de Sancta militia Viennæ erectus.

Merc. Gallob. t. 12. l. 3. Bellus l. 3. pag. 75. Brietius ad hunc ann. Bald. chronic. Moral.

Hoc anno Viennæ in Austria novus Ordo Equitum *de sacra militia Christiana*, demum Cæsareo consensu firmatus est. Jam anno priori quidam Principes, Comites, Proceresque Catholici, præcipue Carolus Gonzaga Nivernensis Dux, Adolphus Altheimius, Ratzivilius Princeps, Saxoniæ Lauenburgensis Dux, Bucheimius & Comes de Arco, aliique hunc Ordinem sub patrocinio B. Virginis, SS. Michaelis & Francisci instituebant, præcipua instituti lege sancita, ut maritimas Turcarum excursiones compescerent, omnesque Christianos sub Ottomanicæ servitutis jugo gementes pro viribus liberare satagerent, necnon Catholicam Reli-

Religionem ſtrenue tuerentur, pacemque inter Principes Catholicos procurarent. Hi ergo die octava Martii in Cathedrali Eccleſia congregati, peracto ſacro jusjurandum exſolverunt, poſtea ſub aperto cælo aerem evaginatis gladiis divaricatim percutientes, inſignia Ordinis, crucem nempe, quæ Beatæ Mariæ Virginis effigiem acu pictam exhibebat, palliis affigendam ſolemni ritu acceperunt. *Magnum*, ſi Brietio Jeſuitæ credere fas foret, erat *hoc in ſpecie opus, & majori inchoatum pompa, quam prudentia propagatum, quod tandem etiam cum Chriſtianorum riſu & cum Mahumetanorum contemptu evanuit: quia aliud, quam Dei gloriam, & fidei præſidium, præclari illi, ſi Deo placet, Ordinum conditores ſpectaſſe videbantur.* Ceterum Gramondus hujus Ordinis excidium redituum tenuitati, & immenſæ expenſarum moli adſcribit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XXV.

Quædam Facultatis Theologicæ Pariſienſis decreta.

Die prima Februarii Iſambertus Facultatis Theologicæ Syndicus offerebat indulgentias a S. D. N. Papa Paulo V. in favorem tam Doctorum, quam Baccalaureorum Facultatis alia-

Argentre collect. judic. t. 2. p. 114.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

rumque personarum illius seu illorum servitio deputatorum concessas, modo devote precibus, quæ post sacrum solemne de Spiritu Sancto, tam pro sua Sanctitate, qnam pro Regis Christianissimi incolumitate, & salute fundi solent, intersint . . . . Dein eadem Facultas conveniendum censuit Illustrissimum Dominum Cardinalem de Rets Episcopum Parisiensem, aut illius Vicarium pro confirmatione harum indulgentiarum.

Cum autem Antonius Fusius ad S. Bartholomæum Parisiis Parochus, qui per plurimos annos Jesuitarum institutum professus, hæreticos duos libros quorum primus *de Historia Concilii Tridentini*, alter *de libero Sagittario* (*) inscribebatur, evulgasset, Facultas habito die quinta Novembris conventu quinque nominabat Doctores, qui hos libros examini subjicerent, ad quorum relationem eadem Facultas hunc Authorem ex gremio Doctorum Sorbonicorum omnino expungendum, ejusque hæreticos libros damnandos esse censuit. Hic idem, postquam Societatem reliquerat, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo secundo die secunda Martii (ut fertur) in Facultate Lovaniensi primam

(*) *Le Franc Archer.*

primam Doctoratus Lauream suscepe- Sæc. XVII.
rat, inde Parisios delatus ad Sanctum A. C. 1619.
Bartholomæum Parochus renuntiabatur, postquam autem librum, cui titulus: *Mastigofora*, impium & abominabilem in lucem edidisse convictus fuerat, in carcerem detrusus est, dein die vigesima prima Julii anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo duodecimo Parisiensis Senatus Officiali Curiæ Episcopalis injunxit, ut ob præfatum libellum sententiam in Fusium pronuntiaret. Discussa igitur caussa Parisiensis Officialis biennio post declarabat, quod Fusius Sacerdotali honore privatus, capite nudus ac genuflexus coram præfato Officiali, rationum Magistro, & sex suis affinibus profiteretur, quod temere, & malitiose librum suum injuriis, verbisque impiis ac detestandis refertum elucubrarit, ac propterea petita venia polliceretur, quod verba in præfato libro contenta tueri nolit; ejus vero liber laceraretur, & ipse reus in suo carcere per semestre singulis hebdomadibus feria secunda, tertia, & quarta in pane & aqua jejunaret, nec ultra in diæcesi moraretur. Præterea confiteri jubebatur, quod librum Baptismalem in quinque articulis malitiose depravarit. Confirmabatur hæc sententia a Senonensi & Lug-

Sæc. XVII. A. C. 1619

dunensi Officialibus. Attamen Fusius in deteriora prolapsus, postquam suæ satisfecerat pœnitentiæ, Genevam fecessit, desertaque fide Catholica duas simul uxores duxit, pauperem tamen & ignobilem vitam ducere coactus: propterea Facultas Theologica hunc nefarium Apostatam e Parisiensium Theologorum albo omnino expunxit, promnlgato sequenti decreto: *Horrendum dictu! quam incomprehensibilia judicia Dei! Antonius Fusi Lotharingus in Galliam infelix advena, quondam, & per diu Jesuita, in Academia Lovaniensi (ut ipse falso imponebat) Licentiatus, inter Parisienses Theologos malo omine, Doctor est annumeratus; verum cœlo terraque mox in tam nefarium caput sævientibus, ecce horrenda protinus crimina deteguntur. Infinitorum scelerum reus, homo faver ingenio, ganeo moribus, colloquiis scurra, religione dubius, sub ovina pelle Lupus rapax, & vita omnimode perditus, in vincula & compedes conjicitur. Ad triplex Tribunal Ecclesiasticum flagitiosissimus sistitur: undique Sacrilegus, ubique impius proclamatur. Tandem magna hominum indulgentia, gravioribus, tremendo Dei judicio, suppliciis reservatus, ad perpetuam beneficiorum, officiorum & Ecclesiasticarum dignitatum privationem, sacris in æternum interdictus, æquissime damnatur. Quo facto*

qui

qui in cinere & cilicio pœnitere, & animum mutare debuerat, nequior & insolentior evasit. Et quod miserabilius est, violato cum fidei tum religionis Christianæ Sacramento, eo desperationis furorisque est adductus, ut ad hæreticos & inimicos Crucis Christi, profanus homo transmigrarit. Sic eradicata ficus inutilis, quæ in agro Domini terram occupabat, sic infatuatum sal, nihil valens ultra, nisi ut pedibus conculcetur. Sic excisa maledicta illa arbor fructus non ferens bonos, in ignes æternos, nisi resipiscat, tandem immittenda. Quocirca alma Theologiæ Facultas, ad inurendam Transfugæ sacrilego perpetuæ infamiæ notam, eum tanquam Ecclesiæ Christi hostem, hæreticum, & impium damnandum, & e Sacro Parisiensium Doctorum ordine, velut Judam proditorem, penitus expungendum, damnatis perniciosissimis ejus scriptis, merito & gravissime judicavit.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Eadem Facultas die tertia Aprilis ex Patris Milhardi Benedictini libro, cui titulus (*): *Eximius Doctor Parochorum, Vicariorum, & Confessariorum,* plurimas propositiones censura dignas extrahi, Authoremque de suis erroribus die prima Julii admoneri jusserat,

(*) *La grande Guide des Curez, Vicaires & Confesseurs.*

Sæc. XVII. A. C. 1619.

cum autem nullatenus resipisceret, in iisdem comitiis quinta Novembris die habitis Facultas ejus librum hac perstrinxit censura: „Cum a multis jam „annis editus fuerit in lucem liber, cui „titulus est: *Eximius Ductor Parocho-„rum &c. compositus a F. Petro Milhardo „Priore sanctæ Dodæ diœcesis Augustæ Au-„schorum, ac Lugduni per Arnulphum an-„no* 1617. *impressus*, in quo permulta „falsa, erronea, scandalosa, piarum „aurium offensiva, & in fide periculosa, „continentur. Hac re ad Facultatem „Theologicam delata, dictique Libri „præhabita matura discussione, eadem „Facultas Theologica Parisiensis pro „Christiana sollicitudine, & vigilantia, „qua semper emicuit, in fidei periculis „annotandis, & erroribus quibuscun-„que in perniciem animarum vergenti-„bus profligandis, ægre ferens ejus-„modi libros, ex quibus non levia scan-„dala oriri possunt, a viris etiam Ca-„tholicis & Religiosis in lucem emitti, „præfatum librum tanquam scandalo-„sum, castarum aurium offensivum, „erroneum, & in rebus fidei periculo-„sum, censura notandum, & populo „Christiano omnino prohibendum, do-„nec emendetur, merito & æquissime „judicavit.„

§. XXVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. XXVI.

Propositiones ex Milhardi libro decerptæ, censurisque perstrictæ.

Propositiones autem, quæ ex præfato Milhardi libro extractæ ac proscriptæ fuerant, erant sequentes. I. Qui certis diebus festis aut Dominicis sacram Synaxin sumere solitus est, ne fructu atque utilitate ex cælesti hoc cibo semper haurienda privetur, sacrum hoc opus continuare potest absque confessione, si approbati Confessarii copia desit, præcipue tempore Paschali, etsi alii Sacerdotes non approbati adessent. *Censura:* Hæc propositio est falsa, periculosa, & erronea, si loquatur de peccatis mortalibus. II. Opinio est apud probatissimos Authores recepta, quod matrimonium contrahi possit inter duos, qui se impotentes esse sciunt. *Censura:* Hæc assertio falsa, temeraria & erronea est, necnon contra finem Matrimonii, & contraria summorum Pontificum decretis. III. Confessarius non violat sigillum, si urgente necessitate asserit, quod certum peccatum in confessione audierit, si ille vel illi, quibuscum loquitur, illud æque sciant ac ipse, etsi esset alius Sacerdos, qui idem peccatum in confes-

Argentre l. c.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

ſione audivit, quia cum id ſciam alios ſcire, eo ipſo, ſcio alia via, ob quam poſſum revelare. *Cenſura:* Eſt ſcandaloſa & periculoſa propoſitio. IV. Si lex Eccleſiaſtica aut profana quamdam actionem ſub pœna hac vel illa ſacra vel civili prohibet, non obligat ſub peccato, etſi adjecta eſſet excommunicatio latæ ſententiæ; non enim pro unico actu licet judicari, & puniri bis in idipſum. *Cenſura:* Eſt falſa & periculoſa. V. Peccata venialia aut ex toto aut ex parte remittuntur in purgatorio, ubi plene remittuntur etſi moriens voluntatem ſuam in illa propenſam habuerit, quinimo etiam in inferno juxta quosdam Scriptores, eoquod eorum pœna temporalis finietur. *Cenſura:* Quantum ad infernum eſt falſa & erronea propoſitio. VI. Poteſt uxor prævenire maritum ad eam trucidandam determinatum, ſi propterea cultrum vel pugionem in ejus lecto abſcondit, vel cubilis januam clavibus clauſit. Item, falſus teſtis trucidari poteſt, ſi contra Petri vitam, honorem, & magni momenti bona teſtimonium ferre paratus eſt, & Petro integrum non ſit, hæc mala evitare, niſi teſtem vel per ſe vel per alium occidat. *Cenſura:* Hæc propoſitio eſt periculoſa, viamque aperit ad multas crudelitates, qua vero parte agit

agit de fama, & bonis, falſa eſt pugnans contra præceptum: *non occides.* VII. Poteſt quis ſua peccata Confeſſario, ſcripto, vel verbotenus per fidum quemdam transmittere pro obtinenda abſolutione Sacramentali. *Cenſura:* Eſt falſa, & periculoſa propoſitio. VIII. Id, quod ſperatur ex mutuatarii gratitudine, poteſt in pactum deduci. *Cenſura:* Eſt aſſertio falſa, & uſuram ſtabiliens propoſitio. IX. Nunquam Simonia committitur, niſi quis intendat emere rem ſacram, ſeu dare pecunias tanquam juſtum rei ſacræ pretium, ſi autem crederet rem ſacram nec vendi nec emi poſſe, proin nec pretium dare intendat, talis nec læthaliter nec venialiter peccaret: licet ergo temporale offerre tanquam cauſſam motivam & medium ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum. Item: Absque Simonia aut peccato poteſt temporale pro Sacro dari ex gratitudine pro beneficio Eccleſiaſtico, quod quis ab aliquo obtenturus eſt, aut ſe recepturum ſperat; poteſt etiam quis circa gratuitum hoc donum paciſci, priusquam Beneficium aſſequatur. *Cenſura:* Ambæ hæ propoſitiones ſunt falſæ & ſimoniacæ.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. XXVII.

Beatificatio Thomæ a Villanova, & Francisci Xaverii.

Hoc item anno Paulus V. summus Pontifex orbem Christianum tumultibus, ac dissidiis undique jactatum festiva lætitia solabatur, dum Thomam a Villanova, necnon Franciscum Xaverium in Beatorum Catalogum solemni ritu retulit. Horum prior Ordinem Eremitarum Sancti Augustini Compluti profitebatur, unde P. Hazart Jesuita enormiter hallucinatur, dum illum Dominicanis accensens, de Paulo V. Papa scribit, quod beatificaverit Beltrandum Dominicanum, & Thomam de Villanova *ex eodem Ordine*, & Episcopum Valentinum. Erat hic idem Thomas multis eximiisque virtutum, gratiarum, & miraculorum donis a Deo illustratus, ac propterea non modo universus Ordo prædictus, sed etiam Philippus III. Hispaniarum Rex, pluresque alii Præsules impense Papam rogabant, quatenus probe discussis probatisque hujus Viri meritis eum Beatorum albo insereret. Horum igitur precibus inclinatus Pontifex re mature examinata die vigesima quarta Septembris eundem ab universa Ecclesia Beatum nuncupari, &

Triumph. Pontif. in Paul. V. pag. 285.

& die decima octava ejusdem Mensis OfficiumSacrumque ab omnibus utriusque sexus Clericis in Regnis Castellæ, Aragoniæ & Cataloniæ commorantibus recitari indulsit. Sequentis autem Mensis die vigesima quinta idem summus Pontifex pares honores Francisco Xaverio decreverat; hic enim cum S. Ignatio, qui pro Ethnicorum conversione cum quibusdam Presbyteris remotissimas terras peragrare constituerat, Parisiis eodem contubernio usus erat, cumque fidem Catholicam Indiis & Japoniæ inferre decrevisset, die decima quinta Martii anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quadragesimo, ætatis suæ trigesimo quarto, Roma cum Petro Mascaregna Lusitani Regis Oratore discessit, tandemque promontorium Comorinum attigit, ubi quædam regna & Principes a fide vera alienissimos Christo lucrifecit, necnon miracula, magnam partem, in luce & oculis civitatum, totisque vulgata Regnis, & integris testata populis, iisque plerumque idololatris aut Mahometanis patrabat, miraque facilitate linquam Malabaricam expedite loquebatur: incertum, *seu suo id consecutus sit labore, seu Deus, per prodigium, ejus illi idiomatis species impresserit*, ut observat P. Bouhours Jesuita, qui etiam hæc addit: certe

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Vita S. Franc. Xav. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

certe quidem *vero simile* est, quod in Indiis, Xaverius alicui linquæ condiscendæ operam navans divinissimi Spiritus Magisterio usus sit: Refertur quoque, quod eum quandoque unico idiomate ad diversas gentes concionantem, unaquæque sua linqua loquentem audiverit: quo tamen dono in Japonia Xaverium nonnisi postremis suæ peregrinationis annis auctum fuisse, necesse est, cum ipsemet lib. 3. epistola quinta hæc rescripserit: *Si nos linquam CALLEREMUS Japonicam, non dubito, quin plurimi fierent Christiani; Faxit Deus, ut brevi eam ADDISCAMUS, . . . repuerascimus, & tota nostra occupatio est linquæ Japonicæ elementa complecti* (*). Præterea Xaverius fideliter itineris sui rationem Divo Ignatio reddebat, semperque ad ipsius præcepta, vitam suam dirigebat; cum enim *ante confirmatam Societatem* in Indias navigaturus Roma discesserit, nec *unquam scriptas a D. Ignatio constitutiones viderit*, eæque *primum a mor-*

Imago primi sæcul. l. 1. cap. 7.

(*) Addit P. Bouhours l. c. non est mirum, hominem, cui Deus sæpius linquarum donum contulerat, nescivisse Japonicam, fluxæ erant illæ gratiæ, nec iis Xaverius nitebatur: discenti tamen Deus singulariter aderat, ut & facilitas, qua tot linquas arripiebat, *stabile linquarum donum pene æquasse videatur.*

a morte Xaverii in Europa fuerint promulgatæ, oportuit, ut Societatis ſpiritum non ex Conſtitutionibus Ignatianis ſed nonniſi traditionis ope tam plene hauſerit, ut nihil agere Xaverius in India niſi ductu Ignatii, aut nihil facere Ignatius in Europa, niſi ex ſenſu Xaverii videretur. Ut ut autem ſit, id tamen extra omne dubium poſitum eſt, quod Xaverius ob excellentia merita a Paulo V. Beatorum faſtis fuerit adſcriptus, conceſſa etiam facultate recitandi officium, Miſſamque de eo celebrandi.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XXVIII.

Maria Medicea Vidua Franciæ Regina e Bleſenſi cuſtodia Engolismam profuga.

Fluxerant hujus anni auſpicia in Galliis oppido jucunda ob ſolemnia nuptiarum, quas Victor Amadæus Pedemontanus Princeps Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis Filius natu major cum Chriſtina Regis Galli Sorore Pariſiis die decima Februarii contraxerat; eodemque tempore Henrica Borbonia ejusdem Regis Soror, notha tamen, Carolo Ellebovio Lotharingiæ Principi nupſerat: paucis vero poſt diebus conceptam inde lætitiam ſubita Mariæ Mediceæ

Gramond. Hiſt. Gall. lib. 3. Merc. Gallob. t. 12. l. 4. Daniel hiſt. de France tom. 10. Serres Franc. Hiſt. pag. 942.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

diceæ Reginæ Matris fuga interturbabat. Hæc Luynæi Regii clientis artibus & odio, ut ipſe Regi ac Regno liberius dominaretur, Bleſas in cuſtodiam abducebatur: Erat ipſa jam biennio ibidem detenta, ac niſi Filii ſui Regis aſſenſu, nunquam ſe Bleſis exceſſuram pollicebatur, tandem vero ſolitudinis pertæſa libertatem pretio nullo penſandam recuperare ſatagebat, ſæpius palam declarans, quod ſuos liberos rurſus videndi facultas eidem denegari haud poſſet; ne vero ejus conſilia everterentur, id quod anxie peroptabat, caute diſſimulandum cenſuit, ac Luynæo jurato ejus hoſti ſæpe literas benevolentia plenas transmiſit; quo dictante Rex quoque datis ad Matrem ſuam literis ſpondebat, quod eam brevi viſum ire vellet, interim vero ei integrum eſſet, quocunque demum luberet deambulare, aut proficiſci. Hæc ipſa Regis ſponſio Luynæo liberandæ Reginæ formidinem, ſuſpicionemque ingeſſerat, cumque alienæ dominationis impatiens, ſuæ vero admodum tenax eſſet, Reginæ animum, ejusque conſilia, ſi quæ pro ejus libertate cuderentur, expiſcari, ſumme intentus erat: opportune etiam Bornonvillæi cuſtodiæ Præfecti proditione in Luynæi manus Barbini literæ inciderant, ex qui-

quibus Reginam nil avidius præter libertatem desiderare agnoscebat: non multo post Luynæus, ut fors arcaniora detegeret consilia, Patrem Joannem Arnulphum Jesuitam, qui Regi a concionibus erat, ad Reginam ablegabat, ut eidem spem libertatis faceret, dummodo Luynæi ope & patrocinio uti vellet; hanc in rem igitur Jesuita Luynæum coram Regina commendabat, exponens, quod huic Viro optima esset indoles, ipseque arcte Regi ejus Filio devinctus, satque potens foret, ut Regem, qui aliunde Matris suæ desiderio arderet, ad ejus liberationem, quamprimum occasio daretur, inclinare valeret. Stomachabatur equidem Regina tam abjectam, suaque Majestate tantopere indignam hujus Jesuitæ declarationem, caute tamen iram dissimulare, altaque velut oblivione injuriam premens, Blesas gratam sibi mansionem fore respondit, qua arte Patri Arnulpho & Modenæo Luynæi amicis, quos sæpius ad se exploratum missos noverat, egregie illusit: Interim vero spem suam in Espernonii Ducis, qui Luynæi ambitionem sibi exosam habebat, fidelitate reponens, eundem clam per literas sollicitavit, ut afflictam juvare, atque Engolismam abducere haud moraretur: Hic ne videretur

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

retur ultro se obtulisse, principio cunctabundus hæsit; tandem vero omnibus ad fugam instructis Ludovicum Valetam filium suum Tolosatem tunc Archiepiscopum in ulteriore Ligeris ripa cum curru subsistere jubet, ipse vero Metis, ubi tum agebat, invito licet Rege clanculum, raptimque digreditur, Celticamque Campaniam prætervolitans, centum illic cataphractos assumit, quibuscum Engolismam, inde vero noctu ad Blesarum arcem, a castri custodibus minime observatus die decima Februarii advenit: mox adventus sui signum Reginæ haud incognitum datur, hæc ergo unacum Bremoso Comite stabuli Regii Præfecto, & duabus honorariis Virginibus Italis, quarum uni Salvagiæ nomen, alteri Catharinæ erat, per arctum ostiolum summo noctis ac suo silentio in hortum proximumque ambulacrum fossam versus penetrat, prospero adhucdum audacis conatus successu; superandus tamen erat murus cubitis decem altus, quo tamen haud absterrita Regina lineo panno prælongo ad fenestræ columnam stricte religato velut fune lente in ambulacri fundum delabitur: ceteri vero per scalas funibus contextas pariter descendunt: restabat tamen adhuc præalta petricosi soli declivitas, ad

fossam

fossam arci subjectam pertingens; hanc quoque Regina saltu prorsus animoso superat, illicque a quodam ad hoc jam instructo incolumis quidem, lacerata tamen veste ac pelle excipitur, moxque ab accurrentibus decem equitibus Espernonianis in equum levata, Ligerim trajicit, ubi a Valeta Archiepiscopo apparatu, quo decuit, excepta Engolismam contendit. Ubi vero Locias venerat, ad Regem Filium suum has dedit literas, quibus fugæ suæ caussas exposuit: „Satis diu, inquiebat „ipsa, dignitate & libertate mea pri„vata, omnibusque vitæ periculis ex„posita præsentia filii mei carui, „omnia tamen, quæ sub ejus nomine „facta fuerant hactenus, tolerare pa„tienter, & connivere ad ea potuissem, „dummodo consilio aliquo sive bono si„ve malo juvari ipsum scivissem. Jam „vero non sine dolore cognovi, res e„jus in summo, ni remedium ipsis ma„ture adhibeam, versari periculo. E„quidem decreveram in tutum aliquem „concedere locum, eo fine, ut quod „facere propter præsentiam potentio„rum, qui studiose te omnia celant, „non licet, de omnibus te erudire „commodius possim. Id autem facere „constitui præcipuorum Regni consilia„riorum, & externorum etiam hortatu,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„qui maximo conatu & vel millies pro„testando id expetierunt hactenus. Pe„riculum quidem maximum extimui, „& propterea cum cognato meo Esper„nonio egi, ut Engolismam subire, & „rerum omnium eventum, quin & fidem „ejus defuncto quondam Regi non se„mel declaratam experiri mihi liceret; „talem enim experta hactenus fui, ut „fidei, prudentiæ, experientiæque e„jus me meaque & Regis filii mei (si „quidem ab eo separata esse cogar) om„nia permittere merito debeam & pos„sim. Moneo itaque te, ut pro peri„culo omni cavendo diligentem mei ra„tionem habeas, nec dubito, quin pro„positum istud meum gratum habitu„rus sit, & ita accepturus, ut cogites „ex pio, & materno affectu omnia ad „promovendam salutem tuam me fa„cere; prompta enim parataque sum, „(quod sine invidia, & arrogantia di„ctum velim) ad quamcunque requi„sitionem tibi præsentem me sistere, ut „& Regnum florere videam, & pro ea „habear, cui nihil in votis unquam „magis fuerit, quam omnia Filio meo „Regi benevolentiæ officia præstare. „Vitæ equidem meæ & immunitatis ju„risque omnis, quo fruor, jacturam fa„cere mallem, quam permittere, ut „nullum Filio meo Regi, quo maxime „id

„id necessarium ipsi sit tempore, con- Sæc. XVII.
„silium afferatur. Properandum est uti- A. C. 1619.
„que, & nihil procrastinandum, adsunt
„enim adhuc salutis media, quæ aperire
„tibi quamprimum cupio, hac addita
„protestatione, nihil tibi ad negotia
„quævis expedienda magis necessarium
„fore. Nam ut semper antehac feci,
„sic posthac etiam perpetuo, laboris &
„periculi nihil subterfugere volo, dum-
„modo Majestatem & gloriam Regis fi-
„lii mei promotam modis omnibus vi-
„deam, & voluptatem lætitiamque per-
„cipere inde possim maximam, si gra-
„tia valere apud omnes Regem Filium
„meum in eo maxime loco videam, ubi
„vitam meam finiam; id modis omni-
„bus exopto.„

§. XXIX.

Ludovici Regis responsum ad Matris suæ literas.

Inopina hujus fugæ fama Regem Lu- *Gramond l. c. Lundorp. c. 5.*
dovicum turbabat, nec animi con-
ceptum inde morsum satis mitigarat nu-
pera Matris ad se data epistola, quam-
vis Rex Espernonio Duci, quem præ-
cipuum hujus facti auctorem reputabat,
gravius irasceretur, nec ejus literas
purgandi sui caussa ad Regem datas
responso dignaretur, hoc contemptu

Sæc. XVII. A.C. 1619. demonstrans, Regem etiam Regiorum Principum Principem esse: ad Matrem vero suam die duodecima Martii in hunc ferme modum rescripsit: „Blesas iter „parabam, renovandis obsequiis, quæ „tibi debeo Matri optimæ, cum alla„tum, te dolo Espernonii persuasam „pessime, sub obtentu oppressæ liberta„tis loco auffugisse: famæ vix habita „fides, quanquam erat constans, adeo „parum credibile ausum privata aucto„ritate subditum, Regis sui matrem „traducere, traductam in servitute de„tinere. Dabit mihi vitam in ultionem, „qui dedit imperii jus, Deus: ibo in „perduellem, tyrannidemque, per quam „animo tuo grassatur, ulciscar. Re„voca quæso in memoriam exactos an„nos, & memento, exhibitum tibi a me „sæpe Espernonium, ut Henrico Patri „infidum, ut feroci contumacia super„bum, quorum si canitur in præsens „palinodia, vis est major. Pro libidi„ne tyranni dictantis scripsit ad me, „agnosco manum: Ego plane Rex sum, „neque in reipublicæ administratione „autorem ludo. Ex quo Ancræus ex„cessit, gessi ego me pro Rege, qualis „eram. Male quereris oppressam te, „quæ mihi ipsa testis es, quanta vene„ratione coluerim in hanc diem quod„cunque tuum est. Et quanquam per „Re-

„Regiam dignitatem eximar a matris „obsequio, quod natura jubet, lubens „renuntio, si quod mihi ea parte pri„vilegium est, quamque depulit im„perii majestas, naturæ legem vindi„co. Ast meminisse debuisti, qui filius, „eundem esse Regem: indolui afflictæ, „dum aula mea abstitisti, id filius: tuli „ut absisteres pro republica, id Rex „feci. Ita post suppuratum abscessum „manum vulneri infert æger, & premit, „autor ipse doloris, quem patitur. Re„ges dum sæpe pro necessitate tempo„rum Reipublicæ membra secant quan„doque carissima sibi, afflicto condo„lent corpori, ferroque indignantur, ut „sævit, gratulantur ut sanat. Absit „verbo invidia, sejunxi te in tempus, „non penitus separavi: remisi tantisper „autoritatem tuam, quo precariam „esse agnosceres. Si tædio loci Blesis „abstitisti: per me licet, quocunque „volueris ito: ipsa Lutetia tua est, si „volueris huc me conferam, tumque „quid si habes, quod de regni admi„nistratione queraris, te consultrice „prospiciam. Parce, si hoc dixerim, „suspectus est Zelus, quo ex improviso „ferveſcis; reticenda vulgas, taces vul„ganda. Hic finem ponam, non ante „tamen, quam Deum Optimum Maxi„mum supplex oravero, ut salvam

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

„esse velit regno Reginam, filio ma„trem Optimam, cui sum ex cordis „intimo.„

Humilis & obsequens Filius,
LUDOVICUS.

§. XXX.

Graves tumultus in Gallia ob Reginæ fugam exorti.

Jæger. hist. Eccl. l. 9. c. 6. Daniel hist. de Franc. t. 10. p. 11. Serres hist. Franc.

Interim Regis indignationem haud parum acuebat Luynæus, ab Espernonio & Regina, quos sibi iratos noverat, rebus suis male metuens; nec ei suam vindictam exerrendi occasio deerat; quippe eodem tempore nuntiatum, quod Espernonius Metis, cujus civitatis æque ac Engolismensis administrationem sibi demandatam habebat, cives alioquin Regi fidos armata vi in suas partes traxisset, necnon armis simul & pecuniis aliisque rebus pretiosis spoliasset: unde Regi metus ex proxima seditione, & quidem eo major, quo frequentius ad Espernonii castra Aquitani Nobiles, ad novas res suopte ingenio prompti, accurrerent, atque Espernonius, quasi Reginæ Matris caussam contra Parisinam tyrannidem defensurus, validum exercitum contraxisset: Eapropter Luynæus Regem urgebat, ut pro opprimendo Espernonio quan-

quantocius copias conſcriberet. Sup- Sæc. XVII.
pletur igitur novo delectu miles, pars A. C. 1619.
exercitus Nivernio Duci in Metenſes & Campanos, pars Guiſio in Aurelios, & Mayenio in Aquitanos, in Lemovices vero Schombergio Comiti, ac denique Rupifucaldio in Pictones committitur. Omnes hi regias partes adverſus Eſpernonium tutari jubebantur: ipſe autem Rex cum numeroſo milite, quo rerum inſtans neceſſitas vocaret, inſequebatur. Præprimis Schombergius Uſerciam arcem, cui Brullius cum levi præſidio præerat, irruptione tentata ad deditionem cogit, quo comperto Lemovicenſes, abdicato Eſpernonio, ad Regis obſequium redeunt, non ſine maximo Eſpernonii dolore, qui tamen nondum inter adverſa animum deſpondens, maxima celeritate Engolismam accurrit, quam tamen ſtationem Regina poſt captam Uſerciam, Regisque copias jamjam impendentes haud ultra ſibi fidam rebatur: unde maturandæ reconciliationis conſilia agitare cæperat, id impenſius urgente Joanne Armando Richelio Lucionenſi Epiſcopo, qui ad Procerum quorumdam preces ab Avenionenſi ſuo exilio voluntate Regis evocatus, Reginam Matrem, apud quam gratia plurimum valebat, ad pacem inflectere jubebatur. Præterea ipſemet

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Rex, qui dum se Regem esse meminerat, Filium tamen se esse haud obliviscebatur, Rupifucaldium Cardinalem & Bethunium Engolismam ablegabat, ut Matrem suam ex manibus Espernonii eriperent, eamque sibi reconciliarent; cum autem Russelayus Abbas natione Italus, qui Reginæ tum maxime fidus, ejusdem fugam nuper promoverat, pacis consilio plurimum obstare crederetur, hinc eo abire jusso totum negotium Richelio commissum est.

§. XXXI.

Regina Mater Regi Filio suo plene reconciliata.

Gramond. hist. Gall. l. 3. Merc. Gallob. t. 12. l. 4.

Rebus ita instructis Richelius Avenione Lugdunum contendit, quem tamen Alincurtius arcani nescius in custodiam egit, mox tamen Regis jussu eum dimittere coactus: quamprimum vero Richelius continuato itinere Engolismam pervenerat, Regina Viri aspectu læta totam se eidem commisit, ac primo statim colloquio (facillima enim est litium inter filium & Matrem compositio) in hæc concordiæ capita consensit. I. Regina Mater aulam suam pro libitu institueret, & ad placitum suum confirmaret, ministris, & officiariis, qui ipsi videantur idonei, quibus-

quibuscunque adhibitis. II. Libere in regno versaretur. III. Aulam suam ubicunque vellet, constitueret, & cum Rege etiam ipso conversaretur. IV. Bonis & reditibus ipsi a defuncto Rege assignatis plenarie per omnem vitam suam frueretur. V. Officia ipsi per donationem propter nuptias olim assignata, quibus voluerit personis attribueret, & pro suo jure libere administraret. VI. Rex illis, quorum opera locum mutarat, & Blæsis egressa fuerat, nihil imputaret, omnia ipsis, præsertim vero & Espernonio ejusque liberis condonaret, de dignitatibus ipsorum nihil detraheret, omnibus civitatibus, pagis, arcibus, ex quibus per metum egressi forte fuerint, eos restitueret, & reditibus bonisque suis, ut ante frui faceret. VII. Omnes, qui per latam in judicio sententiam, vel alias ob causas regno excesserunt, revocarentur, qui vero captivi sunt, in libertatem pristinam restituerentur. VIII. Qui egressam Blæsis Reginam secuti sint, immunitatem omnes haberent, & nihil ipsis imposterum hoc nomine imputaretur. IX, Debita a Regina matre per discessum istum necessario contracta, intra menses duos proximos exsolverentur. X. Omnia denique a Rege ipsi promis-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ſa beneficia, intra ſex ſeptimanas a Parlamento confirmarentur.

His pactis ſubſcripſere pro Rege Cardinalis Rupifocaldius, & Bethunius, pro Regina Richelius. Habitus erat inter ſecretos, articulus, quo Regina Normaniæ Præfecturam abdicare jubebatur, ad quod tamen impelli haud poterat, niſi ea lege, ut Normaniæ loco, Andium Præfecturam unacum arcibus Andegavenſi, Poncæſariana & Chinonia obtineret. His igitur conditionibus Filiæ Mater, & Regi Ludovico Eſpernonius Dux conciliati ſunt, & periculoſo bello finis impoſitus ſimulque & pax patriæ reddita eſt. Haud multo poſt Rex Maroſſanum Nobilem ad Reginam Matrem unacum literis decernebat, quibus ſuam de reconciliatione facta lætitiam teſtatus, nondum plene ſuo deſiderio ſatisfactum declarabat, niſi Matrem ſuam filiali affectu amplecti eidem liceret: dein Maroſſanus Luynæum, cujus mancipium erat, deprædicans, ejus nomine Reginæ ſignificabat, quod ipſe eo fine procuraſſet pacem, ut gratiam, qua apud Filium valet, Matris præſentia & conſenſu integram reddere poſſet, hancque ob cauſſam totus in eo eſſet, ut Matrem inter & Filium concordia perennis foret. Verum Regina iracundiam

diam probe dissimulans reposuit, „nihil „mihi ea parte est, quod querar, Luy- „næum novi non rixarum, non prodi- „tionis capacem, fruatur Regis gratia „per me licet, meæ partes sunt amare „& colere impensius, quoscunque ama- „verit Rex.„ Ita illusum Marossano. Post- ea Regina Filio Regi, quem ad se pro- perare perceperat, in occursum prope- rabat, comitante eam Espernonio, cui Regina Engolismam redeunti detractum de digitis annulum, velut æternum collati beneficii monimentum donabat, dein Cosieras iter suum prosecuta est, quo se Regis prænuntius Luynæus cum pluribus aliis Proceribus conferens ad Reginæ pedes venerabundus procidit, quem tamen ipsa elevans de sua Re- gisque gratia certiorem reddidit: simu- labant ambo hilaritatem, illa cogita- bat præterita, hic futura pertimesce- bat, veritus, ne Matre in aulam ad Fi- lium reversa, illa vindictam exequere- tur, ipse vero sua concideret auctori- tate. Inter hæc supervenerat Ludovi- cus Rex, quem ejus Mater inter lacri- mas expansis ulnis excepit, ubi longa inter silentia, mutuaque oscula amor vicissim stupere, & linqua nec loqui nec silere capax hærere videbatur: tandem vero ambo in conclave concedentes, amore & ira alternas vices subeunti- bus,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619

bus, nunc in mutuas objurgationes, mox in reciproci affectus conteſtationes erumpebant. Poſtridie autem Mater cum Filio habito colloquio Turones una contendit, tandem vero autumno jamjam adulto Rex Ambaſiam, Mater vero Andegavum divertit. Hæc ipſa Materni, filialisque amoris teſtificatio ſummopere anxium reddebat Luynæum, qui Reginam in regiminis ſociam admitti veritus, Regi ab offenſa Matre periculum, necnon timendam Regiæ ſuæ authoritatis imminutionem ob oculos poſuit, eidemque author exſtitit, ut nunquam illam ad Aulam reciperet, nec cum ea Imperii arcana communicaret: Præterea Luynæus cum Reginæ benevolentiam ſibi ab eadem exhibitam jure ſuſpectam haberet, de potenti fautore ſibi proſpiciendum exiſtimabat, quocirca Condæi, quem Reginæ iratum noverat, libertatem apud Regem ſollicitare ſtuduit, qua impetrata ipſus, Principem, ut hoc liberationis beneficio ſibi devinctum redderet, Vicennis Chanyllium ex carcere ad Regem conduxit, qui illum oſculo exceptum, priſtinæ dignitati, ſuisque bonis edito diplomate reſtituit: unde inter Principem & Luynæum arctæ amicitiæ vinculum firmabatur.

§. XXXII.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. XXXII.

Lucilius Vaninus tanquam Atheus flammis traditus.

Sub idem ferme tempus Tolosani Senatus placito, damnatus est Lucilius Vaninus natione Italus, qui se etiam jam Pompeium, nunc Julium Cæsarem fastuose nominabat, ac propterea *Cæsar Atheistarum* per ludibrium dictus. Hic ab humanioribus literis, quibus operam Romæ dederat, ad Philosophicas & Theologicas transibat, ac Bartholomæi Argotti & Joannis Baconii Carmelitarum Magisterio usus, haud mediocriter ad nominis sui celebritatem inclarescebat, insuper ejuratis civilibus impedimentis, ut soli Deo vacaret, sacræ militiæ nomen dabat: sed dum artem medicam professus, abdita naturæ curiosius rimatur, necnon Paracelsi, Cardani & Pomponacii libros incautius pervolvit, primo quidem in sceleſtam vivendi licentiam, indeque festino gradu in rerum divinarum contemptum, tamque profundam impietatem prosiliit, ut Paulo V. scribere non dubitaret, se intra trimestre, ni pinguius obtineret beneficium, Christianam Religionem eversurum. Perverso autem huic proposito jamjam initium fece-

Arnold Kezer Hist. part. 2. l. 17. c. 16. n. 8. Niceron mem. des hom. illust. tom. 26. Gramond. l. c. Jæger. Hist. Eccl. l. 7. c. 7. Schram. de vita & script. Vanini.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

fecerat, edito libro, quem *arcanorum Naturæ* titulo donatum, omni in verum Deum contumelia referſit; tradebat enim, non Deum, ſed Phyſin, ſeu Naturam, rerum omnium veriſſimam & unicam eſſe Deum, hancque cauſſam univerſorum principem, cunctaque non Dei providentia, ſed caſu aut fato fieri: cito tamen tam impii dogmatis auctor manifeſtatus, absdubio debitas dediſſet pænas, niſi celeri fuga ſolum omne vertiſſet Italicum, inde vero in Bohemiam, Hollandiam, Bruxellas, & Genevam profectus, ibidem denuo auffugere coactus eſt, eoquod Genevenſium leges tam profanas quam Eccleſiaſticas vel hypocriſis, vel vanæ oſtentationis inſimulaſſet. Nec magis ſecuritati ſuæ conſuluit, ſuſcepto Lugdunum verſus itinere, quocirca in Angliam ſecedere ſtatuit, aſt Londinum delatus, ibidem anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo quarto ob perverſam doctrinam ſuam carceri mancipatur, nonniſi poſt ſeveram caſtigationem libertati redditus. Tandem vero Franciam tutum ſibi fore aſylum ratus, Lugdunum reverſus eſt, ubi non jam Theologum, ſed Medicum præſeferebat, ut hujus artis obtentu paſſim domos obire, ac inconſultorum Juvenum animis venenum ſuum eo opportunius inſtillare vale-

valeret. Ut autem Atheismi suspicionem a se amoliretur, Cardanum, ceterosque Atheos se insectaturum simulabat, eoque ex fine librum evulgabat, cui titulus: *Amphitheatrum æternæ Providentiæ Divino - Magicum, Christiano-Physicum* &c. quinimo Parisiis contracta amicitia cum Pontificio Oratore Roberto Ubaldino Concilii Tridentini apologiam conscribere aggrediebatur, eodem tamen halitu, quo se Catholicum jactitabat, Catholicæ fidei mysteria primo in problema, dein in derisum vulgaverat. Non potuit tamen adeo aperta docendi rabies diu Lugdunensium Quæsitorum latere solertiam, quocirca corruptæ juventutis postulatus, urbe excedere jubetur, Tolosam profugus, ubi aliquandiu delitescens, nova docendi libidine incitatus, ac paulopost aliunde flagitiorum fama manifestatus, in carcerem conjicitur, criminum, quorum insimulatus erat, acri quæstione mox habita: objicitur eidem nuper vulgatum in Galliis ejus Amphitheatrum, necnon ipsius *Dialogi de natura*, hoc autem accusationis caput facili negotio eludebat Vaninus, eoquod suos libros subdole Sedis Apostolicæ judicio subjecisset, & ipsius Amphitheatrum Regis Privilegio & Jacobi Daveyni Procuratoris Regii & Sevæ Lugdu-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Argentre coll. jud. t. 2. p. 99.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Lugdunensis urbis Locumtenentis subscriptione munitum fuisset, necnon illud Claudius de Villa Doctor ac Librorum Censor nomine Archiepiscopi approbasset, & Franciscus Soleilus Vicarius Generalis, typi facultatem concessisset, ubi tamen observandum, quod Vaninus Corradino & Petito Sorbonæ Doctoribus suos Dialogos, omissis tamen fidei erroribus tradiderit, ac proinde horum Theologorum approbationem extorserit, postquam vero hi hunc librum superadditis erroribus scatentem se insciis a quodam typographo minus Catholico excusum resciverant, die prima Octobris anno Christi millesimo quingentesimo decimo quinto graviter questi hos errores coram Facultate damnarunt. Nihilominus hujus approbationis auctoritati confisus Lucillius cetera, quæ a Quæsitoribus proferebantur, indicia, & argumenta, communi rumore multitudinisque sensu etiam comprobata audacter pernegare, alia pleraque fingere, jurare, dejerare cæperat, imo Catholicum se per omnia, Romanæque Ecclesiæ filium tam dextere, constanterque mentiebatur, ut nutante caussa, dimittendus videretur. Jamjam abire parabat captivus, cum Franconus Vir Nobilis coram ipso Lucilio testaretur, quod hunc reum cre-

creberrime audivisset, cum & Deum esse negaret, & Christianæ Religionis mysteria scurilem in modum proponeret. Nihilominus cuncta pernegabat Vaninus, quinimo contraria potius tam in verbis quam scriptis repertum iri affirmabat, moxque palea, quam fortuito viderat, humo levata ad Judices dicebat, *hæc ipsa jubet, ut credam Deum esse;* jactum enim in terram „semen, postquam elanguit, ex putre„facto albescit, viret, nascitur, sensim „crescit, adolescit rore matutino, luxu„riatur pluviis, in aristas armatur prohi„bendis aviculis, in stipulam erigitur & „frondescit, provectius flavescit, tan„dem inclinatum moritur, trituratur, „separatoque grano homines, & paleis „animantes vivunt: est ergo Deus na„turæ Author; primum enim semen cum „non sit, a quo produceretur, creatum „fuisse a Deo, necesse est.„ Hæc quidem Vaninus ex ostentatione doctrinæ, metuque magis, quam ex animi sententia dixit, quocirca tam actoris, quam testium fide, validisque probationibus de Atheismi & impietatis scelere convictum, ac insuper demonomagiæ suspicione haud plene purgatum Curia suprema Tolosana, Regis etiam placito, condemnavit, flammisque vivum addixit. Indicto igitur hoc supplicio

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619. Vaninus Catholicum, quem antea mentiebatur, exuens, se *Philosophice* moriturum affirmabat, cumque per urbem plaustro traduceretur, Franciscano Christi effigiem exhibenti, blasphema respondit: *quid tu me solari tentas Christo tuo, qui præ timore imbecillis sudavit, & ante mortis ingressum tristis erat usque ad mortem? ego formidinis vacuus moriar.* Verum se minime Stoicum esse prodiderat, postquam ad patibulum, cui subjecta pyræ strues erat, blasphemam linquam faucibus expromere jussus clamorem & ejulatum inconditum edidit, tantaque violentia restitit, ut carnifex linquam forcipe per vim intrusa extrahere cogeretur, qui eam cultro abscissam in rogum, qui subditis mox flammis ardere cæperat, unacum Lucilii corpore injecit, cineribus in aera sparsis. Ceterum infelix hic Atheus scelera sua haud expiasse videtur, qualis vixerat, talis mortuus, quinimo a Deo, Rege & justitiæ Administris veniam petere jussus hæc respondisse fertur: *an Deus existat incertum est, de cetero Regem non offendi, justitiam vero diabolus, si quam habet, in Ministros exerceat.* Ad tantam nempe impietatem prolabuntur illi, qui a recta fidei semita devii, primo sectariis adhærent, postea Religionum indifferentiam

rentiam adoptant, ac paulopoſt rejectis omnibus veritatibus revelatis ea, quæ credenda ſunt, ſolius Philoſophantis ingenii judicio decernunt, ac poſtremo ipſum Deum abnegant: ad quam abyſum recto tramite inducit Religionum indifferentia, quam jam olim D. Auguſtinus epiſt. 48. ad Vincentium Donatiſtis exprobabat, dicens, quod *eorum aliqui nihil intereſſe crediderint, qua quisque parte Chriſtianus eſſet*, noviſſime etiam Antonius de Dominis, quamprimum a fide Catholica defecerat, ad hanc indifferentiam lib. 7. cap. 10. §. 240. & cap. 11. §. 1. fundamenta jecit, eam quoque inter Proteſtantes non pauci in Chriſtiana Religione deprædicant; eo collimat Sturmii liber, cui titulus: *media via:* hanc quoque ſententiam amplectebantur apud Germanos Bramhallius, apud Anglos Stellinſetſius, apud Batavos Hobbeſius & Epiſcopius, ac denique alibi ex Proteſtantibus quamplurimi.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Ceterum Vaninus præter libros jam ſupra memoratos ſcripſit Dialogos ipſo ſuo Amphitheatro magis impios, ac denuo Sorbonæ examini & cenſuræ ſubjectos, damnatosque. Edidit quoque opuſculum *de vera ſapientia, de contemnenda gloria*, necnon apologiam *pro Moſaica & Chriſtiana lege*, præter quos-

Sæc. XVII. A.C. 1619.

dam Philosophicos tractatus. Scripsit Vaninus in suis Dialogis, se Argentorati librum *de Astronomia* edidisse, verum præter ejus commentarios in astronomicum libellum Medicum nulla de hoc libro exstat notitia.

§. XXXIII.

Metelli Bichii Cardinalis extrema.

Ciacon. in vita Pauli V. Ughel. Ital. sacra.

Hunc annum vitæ suæ extremum habuit Metellus Bichius patria Senensis, vir apprime doctus, & Ecclesiasticus oppido probus, moribusque adeo suavis & integer, ut omnium in se affectum raperet. Eminuit præ ceteris jurisprudentiæ studio, diuque non sine maximo Auditorum applausu hanc disciplinam publice professus est: integro etiam decennio Suanensem Ecclesiam, cui Episcopus præerat, summo animarum fructu regebat, postea vero Romam evocatus, ac pluribus Ecclesiæ officiis præfectus, Episcopatu suo sponte dimisso, demum a Paulo V. Presbyter Cardinalis titulo Sancti Alexii ac paulopost Archiepiscopus Senensis renuntiabatur, qua dignitate auctus unice suam in expediendis gravioribus Ecclesiæ negotiis indefessam sollicitudinem augere intentus erat, nemini unquam injurius, in omnes autem officiosus:

ciosus: Præter has animi dotes insuper singulari naturæ munificentia eximiam corporis speciem præseferebat, aspectu venerandus, & statura ad Majestatem composita insignis, adeo, ut nemo non eum Pontificia thiara dignum diceret: Obiit tandem Romæ anno ætatis suæ septuagesimo octavo die prima Julii sepultus in Ecclesia sui tituli.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XXXIV.

Ferdinandus Taberna Cardinalis mortuus.

Eodem fato vivis ereptus est Ferdinandus Taberna patria Mediolanensis, qui confecto studiorum curriculo Romam a Laudensi Episcopo Patruo suo evocatus, utriusque, ut vocant, *signaturæ Referendarius*, urbisque Romanæ Præfectus, ac demum Cardinalis a Clemente VIII. nominabatur, invitus licet; quippe ad hujus dignitatis nuntium, deliquium passus est, ac parieti innixus vix eo substitit fulcro: Erat in urbis Regimine, necnon in Agri Piceni administratione oppido severus, Romanisque præprimis ob Onuphrii Santacrucii Patritii Romani mortem invisus: postea autem obtenta Purpura ingenio mitis, & erga omnes gratissimus exstitit: Præfuit Episcopus Novariensi

Ciacon. in vita Clem. VIII. Giuss. in vit. S. Carol. Borr. Bentivol. in mem. hist.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

rienſi Eccleſiæ, quam ſumma diligentiæ, & prudentiæ fama adminiſtrabat usque ad poſtremum vitæ ſuæ diem, qui erat vigeſimus nonus Menſis Auguſti.

§. XXXV.

Franciſci Vendramini Cardinalis fatum.

Ughel. Ital. Sacr. Marrac. in Purp.

Poſtremus inter Purpuratos, qui hoc anno vivere deſiere, erat Franciſcus Vendraminus Venetus, qui ad Sabaudiæ Ducem, Hiſpaniæ & Franciæ Reges, necnon ad Cæſarem, & denique ad Paulum V. Reipublicæ Orator decretus, præclara patriæ ſuæ obſequia præſtitit, Vir pietate, prudentia morumque integritate inſignis, a faſtu alienus, in pauperes liberalis, & Religionis ſtudio flagrans. Hic relicto ſæculi faſtu Clericali militiæ adſcribebatur, Eccleſiaſticis dignitatibus, quo ſtudioſius eas fugiebat, eo copioſius illum inſequentibus; quippe abſens Venetiarum Patriarcha, & Cardinalis Presbyter renuntiabatur, ferme omnes dignitatum gradus pro Eccleſiæ ac Reipublicæ utilitate emenſus. Tandem vero gloria, meritisque plenior, quam ætate, Venetiis die quinta Octobris deceſſit, in Patriarchali Templo tumulatus.

§. XXXVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

§. XXXVI.

Ferdinandus Austriæ Archidux a Paulo V. Cardinalium Collegio adscriptus.

Horum Cardinalium jacturam eodem hoc anno Paulus V. Pontifex quadantenus compensabat nova Ferdinandi Austriaci inauguratione. Hic enim die vigesima nona Julii anno ætatis suæ decimo Diaconns Cardinalis renuntiatus, Diaconiam Sanctæ Mariæ in Porticu adeptus est, cui etiam absenti Pontifex annulum, & pileum rubrum, Cardinalitiæ dignitatis insignia, statim transmisit, quod cum a Pontificibus Romanis vix unquam factum sit, ipsius Ferdinandi modestiæ ac candori, necnon familiæ suæ claritudini, ac Regiæ Majestati attribuendum est: Ceterum peculiarem hanc prærogativam Ferdinandus propriis postea obsequiis, virtutibusque demeruisse videtur.

Ciacon. in vita Pauli V. pag. 449.

§. XXXVII.

Principum ac illustrium Personarum obitus.

Hoc item anno æternitatis viam die nona Octobris Marcus Sitticus ex Comitibus ab Hohems Archiepiscopus

Bellus l. 3. pag. 273.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

& Princeps Salisburgensis ingressus est, qui quamvis nonnisi septem annis huic Ecclesiæ præfuisset, angusta tamen Pontificatus sui tempora ad memoriam nominis sui non intermorituram ampliavit, rebusque multis præclare gestis, præcipue Cathedralem suam Basilicam a fundamentis prope condidit, pluresque alias Ecclesias magnis expensis restauravit, pauperum Pater, Literatorum Patronus & Mæcenas, necnon hæreticorum terror, quos ex universa Provincia Salisburgensi profligabat, unde eidem Lodronus Comes ejusdem Successor perhonorificum juxta ac magnificum monumentum in Cathedrali Ecclesia poni curavit. Hunc eodem naturæ fato Mense Decembri sequebatur Joannes Sigismundus Brandeburgicus Elector, cui Georgius Guilielmus ejus Filius natu maximus in Electorali dignitate successerat. Pariter paulo ante Mathiæ Cæsaris obitum die prima Mensis Martii (*) Anna Jacobi I. Angliæ Regis uxor ac Friderici II. Daniæ Regis Filia Otelandiæ anno ætatis suæ quadragesimo sexto supremum vitæ suæ diem clauserat, cui die deci-

Rapin Thoiras hist. d'Angl. Merc. Gallob. t. 12. l. 4. Jæger. hist. Eccl. l. 8. c. 7. Larrey hist. d'Angl. tom. 1.

(*) Rushworthus mortis diem assignat hujus anni decimam septimam Novembris, Cambdenus vero primam Martii.

decima tertia Maij funebri pompa parentatum, corpusque ad ædem Westmonasterienſem delatum eſt. Porro hæc Regina tantam in Catholicos propenſionem præſeferebat, quo major a Lutherani Principis Filia, & Calviniani Mariti Conjuge haud ſperari potuiſſet. Hoc Religionis ſtudio incitata totis viribus impedire nitebatur, ne Eliſabetha ejus filia Friderico V. Palatino ſecta Calviniano nuberet. Eodem quoque anno mortalitatem exuit Franciſcus II. Saxo - Lavenburgicus Princeps, qui in expeditione bellica contra Turcas præclara fortitudinis ſuæ ſpecimina edidit, cetera Lutheranorum ſectæ addictiſſimus.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XXXVIII.

Decreta Viſitationis Apoſtolicæ pro Diœceſi Fuldenſi.

Jam anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo ſeptimo Joannes Fridericus a Swalbach optimus ac Religioſiſſimus Eccleſiæ Fuldenſis Præſul & Abbas totius Cleri ſui ampliſſimam coegerat Synodum, cum autem exinde ob præcedentium temporum calamitates optatum non reportaſſet fructum, hinc in immoto pravos mores eradicandi ſtudio perſiſtens, Paulum V. Pontificem

Schanat Hiſt. Fuld. part. 3. pag. 278. Concil. Germ. t. 4. p. 304.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tificem Maximum ſupplex adiit, ut per Apoſtolici Viſitatoris auctoritatem efficacius malis remedium opponere dignaretur: Hoc igitur munus Pontifex Antonio Albergato, ſuo per inferiorem Germaniam a Latere Nuntio demandabat, qui perluſtrata Diæceſi multa quidem jamjam reſtaurata atque emendata repererat; cum autem adhuc quædam, quæ emendatione indigerent, annotaſſet, hinc nonnulla decreta ex Colonienſi urbe ad Abbatem, quem *Reverendiſſimam Celſitudinem ſuam* appellitabat, die vigeſima quinta pro Clero & populo transmiſit, pollicitus, ſe pro Religioſis paulatim alia ſtatuta miſſurum. Ex his vero decretis nonniſi præcipua delibabimus: Præcepit igitur I. Ut mortuo Parocho competitorum concurſus, & examen fieret, ex illis autem, ſi unus doctrina, alter moribus præſtet, huic Parochia conferatur. II. Electus Parochus omnia anteactæ vitæ peccata Sacerdoti deponat & per decem dies rerum divinarum meditationibus vacet. III. Moneat ſuos fideles, ut de hæreſi ſuſpectos denuntient, ipſe autem inveſtiget, an aliqui libros prohibitos retineant. IV. Singulis Dominicis & feſtis diebus concionem & Catecheſin habeat. V. Abſtineat a curioſis & difficilioribus quæſtionibus, & pro-

proponendis hæreticorum opinionibus apud imperitum vulgus, atque in reprehendendis vitiis non hominum, sed peccatorum odium præseferat. VI. Mandatur Mercatoribus, ne merces suas diebus Dominicis ante fores, vel in fenestris suarum domorum vel alibi venales exponant, nec Oenopolæ tempore Missæ & Concionis tabernas aperiant. VII. Præcipitur per totam quadragesimam abstinentia a carnibus & *ovis*. VIII, Nunquam SS. Sacramentum populo exponatur, nisi accensis ad minus sex candellis; cum multo melius sit, ut non ita frequenter, & tunc jam debita reverentia, quam ut frequentius sine illa exponatur. IX. Populum monere jubetur Parochus, ut ad supplicationes conveniat, & comitetur Eucharistiæ Sacramentum, quod prima Dominica cujuslibet mensis per Parochiam in supplicatione deferatur, non autem ad infirmos deferatur, nisi comitantibus saltem sex Viris. X. Laudabilem & antiquissimam consuetudinem introducere curet Parochus, ut universus populus canat Litanias, incipientibus pueris. X. Caveat, ne anniversaria mortuorum suadeat, aut avaritiæ notam incurrat. XI. Tertio quovis Mense omnes Parochi conveniant, & discussis prius conscientiæ casi-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A.C. 1619.

casibus de suarum Ecclesiarum regimine & difficultatibus emergentibus conferant. Præterea sub Pauli V. Pontificatu Synodum quoque suam celebrarunt Rutheni ritus Græci, Præside Hipatio Pocieo Metropolita Kiovienſi, qui a Schismate ad Ecclesiæ Catholicæ sinum reversus est.

§. XXXIX.

Variæ S. Congregationum decisiones.

Constit. & decis. S. Congreg. Rit. & Episc. &c.

Propositis quandoque dubiis, aut variis abusibus subinde irrepentibus summi Pontificis mandato Sacræ Congregationes varias promulgarunt Constitutiones & decreta, & quidem die vigesima quinta Januarii sacra Rituum Congregatio decidit, quod Canonici, qui ab Episcopo ad audiendas confessiones in Ecclesia Collegiata non curata Deputati fuerint, si ea de caussa absint a Choro non lucrentur distributiones, insuper die duodecima Martii Sacra Episcoporum & Regularium Congregatio declaravit, quod facultas excipiendarum Confessionum Regularibus ad beneplacitum per Ordinarios concessa, quandocunque possit revocari, excommunicatus autem, etsi offensæ parti prius satisfacere nequeat, nec

pax

pax reddita, resque in integrum restituta, si tamen satisfacere paratus est, vultque præstare cautionem idoneam per pignora vel fidei jussores vel saltem per juramentum, absolvendus sit, licet pars offensa nolit acceptare satisfactionem. Exortis etiam controversiis circa præcedendi jus Sacra Rituum Congregatio die vigesima tertia Maij statuit, quod Regulares ceteri, qui sub propria Cruce & in proprio loco incedebant, priusquam Capuccinis propriam Crucem deferre datum fuerit, hos præcedant, sic & Collegiata Parochialem, quæ si forte Matricem præcedat, non tamen ea prius campanas in Sabbato Sancto pulset. Decisum quoque die secunda Maij, quod dedicatio Ecclesiæ Cathedralis in Civitate cum octava, in Diæcesi vero sine ea celebranda sit. Censuit quoque eadem Congregatio, quod Vicarius Generalis absente Episcopo habeat primum locum super omnes dignitates, & Canonicos, non obstante consuetudine: Canonici vero Cathedrales præcedant Canonicos Collegiatæ in propria etiam eorum Ecclesia: Prior tamen Collegiatæ, si interfit in Cathedrali, thurificandus sit duplici ductu, sicut dignitates, & Canonici, quos tamen non præcedit: absente autem Episcopo, spectet ad Vicarium

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

carium Generalem edicere, & dirigere ſupplicationes cum conſilio Capituli, non obſtante, quod Capitulum, vel alii ſint quaſi in poſſeſſione per longum tempus, vel immemorabilem conſuetudinem. Pariter die decima quarta Junii declaratum, quod incertorum reſtitutio non debeat eſſe caſus reſervatus, ſique adeſſet ſtatutum decernens, quod non ſolventes Decimas, excommunicati ſint, non ligaret, niſi ſolvere valentes, & ſi excommunicatus appellet, Metropolita appellationem non debeat admittere *in ſuſpenſivo*, quia Excommunicatio hominis trahit ſecum executionem. Die autem vigeſima Julii Sacra Congregatio Concilii &c. decidit, quod confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire non poſſint Jeſuitæ, niſi ab Epiſcopo per examen, ſi ibi videbitur neceſſarium, approbationem obtinueriut: Præterea Paulus V. Pontifex die octava Septembris in Superiores Paulanos excommunicationis pœnam comminatus eſt, ſi ſuis ſubditis dignitates ad preces aliorum extra Ordinem exiſtentium conferant, aut ipſimet ſubditi his mediis ſibi favores procurent. Denique die vigeſima tertia Novembris a Sacra Concilii Congregatione declaratum, quod Regulares in Sab-

Sabbato Sancto Laicorum Domos benedicere non valeant. Sæc XVII. A. C. 1619.

§. XL.

Weigelii, Jacobi Böhmii & Cotteri deliria.

Cum interea summus Pontifex ceterique Præsules Ecclesiam ab omni corruptela purgare, ac disciplinam salutaribus decrètis restaurare intenti essent, Protestantes Ministelli econtra Ecclesiam suam novis sectis & erroribus deturpabant, ac fideles variis, impiisque deliriis decipiebant: Hos inter fanaticos facile principem locum sibi vendicabant præter plures alios Böhmius, Stifelius, Methius, Nagelius, Cunradus, Felgenhauerus, Giffitheilus, Sperberus, Valentinus Weigelius, & Christophorus Cotterus: ex his vero tres fanatismo celebriores impræsentiarum adducemus, & primo quidem Weigelius Zschopæ in Misnia Lutherani Verbi Minister, homo mediocriter literis tinctus, stolidus tamen, & audax hoc tempore somnia sua orbi obtrusit, sacrisque studiis & philosophiæ gustu immaturo abusus, fanatica & putida impotentis cerebri somnia divulgavit; id tamen summopere mirum, quod Lutherani tam impium ac delirum hæreticum a suo

Arnold. Hist. Hæret. part. 1. l. 17. c. 17. Jæger Hist. Eccl. l. 2. c. 10. & l. 6. cap. 7. Hist. Eccl. Gothan. l. 2. c. 5. sect. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

a suo Ministerio (ut testatur Arnoldus) non amoverint, sed eundem inter suos Orthodoxos annumerarint, inque sua Ecclesia sepelierint, imo eorum non pauci fuerint reperti, qui hujus fanatici impietates commendarint, ac veluti doctrinam ex cælesti illustratione haustam deprædicarint. Inde vero comprobari videtur, horum Ecclesiam spurcam, impuram, maculisque horridam esse, quæ tanta monstra in suo sinu fovet, suisque Ministris talem accenset Virum, qui de sua Ecclesia hæc proferre non dubitabat: *Propono mihi Pontificios, Lutheranos, Calvinianos, quamque sectam seorsim, & confero characteres Anti-Christi, & facile cognosco, quantopere cum Pseudo-Prophetis conveniant, unde universus status Ecclesiasticus cum omnibus suis scholis est de maledicta arbore, in qua dehinc bonus fructus nec crescit, nec unquam crescere potest.* Mitto plura alia hujus Thrasonis deliria, quibus suam ambitionem, audaciam, novitatisque studium (triplicem nempe omnium hæresum caussam) luculenter prodiderat: Effutiit etiam horrenda de Deo & Christo, ejusque carne, quam cælitus descendisse, neque ex B. Virgine assumptam fuisse & Spiritum Sanctum a solo Patre processisse, antequam Christus nasceretur, asseruit, statuit-

Brev. & dilucida demonstratio.

ſtatuitque, non idem numero corpus reſurgere cum eo, quod corrumpitur. Hos ac ferme innumeros alios errores ſuis aſſeclis interminato etiam ſalutis æternæ diſpendio, *quaſi alter Papa*, inquit Jægerus, hic Impoſtor obtrudere non abhorruit, *hoc meum ſtudium*, inquiebat ipſe, *tenentur addiſcere, ſi modo æternum vivere ac ſalvari cupiant.* Nihilominus plures, præcipuos vero ſuæ impietatis ſectatores habuit Ezechielem Methium Langenſalzanum, & Iſaiam Stiſelium, quorum jam ſupra mentionem fecimus,

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Alter ejusdem furſuris fanaticus erat Jacobus Böhmius Sutor Görlicenſis Weigelio probe notus, atque ab eo magni habitus. Ea, quæ de hoc fanatismi monſtro referunt ipſius fautores, plane riſu digna ſunt, & primo quidem Franckenbergius in ejus vita recenſet, quod Böhmio puero, cum adhuc ſutoriæ arti operam daret, quidam homo calceos empturus apparuerit, eique hæc verba dixerit, *Jacobe! parvulus es, ſed eris valde magnus, tantusque Vir, ut totus mundus de te obſtupeſcet: lubenter ſacras ſcrutare literas: Deo acceptus es, & is erit tibi propitius: Poſtea de libidinoſa vita eorum, qui ſe Evangelicos nominant, ſcandalum paſſus, necnon diſſidia inter Lutheranos & Crypto-Cal-*

Vid. Supra Lib. CLXX. §. 140.

Sæc. XVII. A. C. 1619. *vinistas detestatus, Patrem æternum rogarit, ut ei Spiritum bonum de cælo daret, moxque per Patris ductum in Filio ad sanctum Sabbatum & requietionis diem anima ejus translata, ac cælesti lumine circumfusa per septem dies in altissima Divinarum rerum contemplatione persiterit:* Hæc & plura alia magis paradoxa de hoc Impostore somniabat Franckenbergius. Cum autem Böhmius jam tertio se a Deo illustratum mentiretur, ne arcana ipsi revelata perirent, ea primo in suo libro, cui titulus: *Aurora*, anno Christi millesimo sexcentesimo duodecimo manifestabat, hoc autem currente anno hic Sutor ultra crepidam sese elevans, abjecta subula rursus calamum arripuit, quem nec usque ad vitæ finem dimisit, tam portentosos errores parturiens, ut Hamburgense Ministerium omnibus Collegis suis, præter cetera anathemata, damnationem, & abjurationem Böhmii imponere cogeretur, quamvis inde haud levis inter Ministros contentio exorta fuisset.

Non minore delirandi licentia celebrem se hoc ævo reddidit Christophorus Cotterus opificio Alutarius, patria Silesio-Sprottaviensis, qui, licet omnino idiota, ac perexigue instructus, & scribendi arte rudis, necnon præter opificium suum omnium aliorum ignarus

rus esset, sese tamen a Deo ad Verbi sui Ministerium vocatum credebat: Ut autem commentitiæ suæ vocationi fides haberetur, se sæpius ab Angelis visitari, atque instrui mentiebatur, & quidem die undecima Junii anno Domini milesimo sexcentesimo decimo sexto sibi juvenem apparuisse fingebat, a quo se jussum dicebat, ut homines ob superbiam, impuritatem, Dei, Divinique Verbi contemptum, ni resipiscerent, brevi puniendos esse denuntiaret: cum autem Cotterus demandatam hanc comminationem exequi toto triennio tergiversatus esset, eundem Juvenem anno salutis nostræ millesimo sexcentesimo decimo nono ei rursus apparuisse, ac minacibus verbis ad exequenda mandata eum compulisse ajebat: unde Cotterus morem gerens Magistratui omnia narrabat, sed nil nisi ludibrium retulit: anno autem sequenti, cum sæpius ejusmodi visiones, & revelationes de Bohemico bello & Friderico Rege spargeret, a Mencelio Ministello desuper examinatus respondit, omnia per visionem sibi esse exhibita, se autem nescire, an spiritus ille bonus vel malus esset. Inde ergo Vratislaviam abductus, atque ad præfati Regis alloquium admissus, coram tribus Principibus cuncta sibi a suo Spiritu injuncta expo-

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

ſuit. Magis adhuc ridicula erat alia viſio, qua die nona Januarii anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo commentus erat, ſe vidiſſe Fridericum Bohemiæ Regem primo dormientem in terra proſtratum, 2. Surgentem triſti & mærente vultu. 3. Provolutum, orantemque manibus levatis. 4. Stantem ſub corona & habitu Regio maxima cum gloria. Luculentius adhuc patuit hujus Impoſtoris malitia, dum die vigeſima Martii eodem anno eundem Angelum denuo ſibi apparuiſſe, ac gladium, peſtem, & famem toti orbi intentaſſe mentiebatur, niſi Imperii Principes pœnitentiam agant, Evangelio credant, & Bohemum Regem Regali ſolio reſtituant, utpote a Deo ipſo electum, vocatum & coronatum; de eorum hoc Rege rurſus coronando, de Hiſpanorum clade, de urbe Romana, Cæſareæ Domus interitu, & de Budenſi urbe a Chriſtianis vindicanda non minus indigna, quam ridicula, & falſa ſomniabat, ac per aliquot annos ſuis illuſionibus, & mendaciis non ſine Dei contumelia quamplurimos dementabat, tandem vero die ſecunda Januarii anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo a Davide Wachsmano Cæſareo Sileſiæ Præfecto captus, &

& post aliquot menses ad fori cippum adstrictus, affixa ad collum scheda, cui inscriptum: *Hic est Pseudo-Propheta, ille, qui edixit, quæ non evenerant*, expositus est: dein a lictore urbe eductus, exire patria, nec in Cæsaris ditiones redire, sub capitis pœna jubebatur: Mencelius vero Pastor accersitus capitis postulatus est, eoquod mendacissimo suo calamo hominis fanatici simplicitate abusus, Cæsaream Majestatem atrocissime læsisset: Quoniam vero ex Protestantibus quamplurimi mendaces hosce hæresum & falsitatum fabricatores defendant, & deprædicent, necnon tanquam honorifica Ecclesiæ suæ membra venerentur, inde sat perspicue demonstrant, quam alieni sint a vera & pura Christi Ecclesia, quæ ejusmodi Novatores, si qui reperiantur, mox a Corpore suo resecat, declarans, quod tales quidem etiam nonnunquam *ex nobis prodierint, qui tamen non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint; quoniam non sunt omnes ex nobis*, ab Ecclesia palam ejecti sunt.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

§. XLI.

Franciscus Lucas Brugensis, & Philippus Moncæus mortui.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Miræus Script. Sæc. XVII.

Eodem hoc anno Franciſcus Lucas patria Brugenſis Lovanienſis Doctor ac poſtea Audomaropoli Decanus mortalitatem exuit. Hic nonniſi ad magna natus, ſingularis ingenii aciem primo in addiſcendis Græca, hebraica, Syriaca, & Chaldaica linquis intenderat, quarum ope ſibi ad abſtruſiora Theologiæ, ſacrarumque literarum arcana aditum pandebat, non ſine maximo Chriſtianæ Reipublicæ emolumento; quippe unacum Benedicto Aria Montano, aliisque *Regia Biblia* confecerat, notasque longe eruditiſſimas adjiciens, variantia diſcrepantibus exemplaribus loca ſummo ſtudio diſcuſſit, ac præter commentarios in quatuor Evangelia inſuper duos conſcripſit libros annotationum in varias lectiones in Evangeliis occurrentes. Extant quoque ipſius tractatus de Chadaica Sacræ Scripturæ Paraphraſi, necnon *Itinerarium Jeſu Chriſti ex quatuor Evangeliis*, præter plurimas ejus Conciones & orationes Funebres: Deceſſit die decima nona Februarii. Obiit etiam hoc anno Pariſiis, ubi natus erat, Philippus Moncæus S. Theologiæ Doctor, qui profunda ingenii vi, acrisque judicii vigore, & conſummata in rebus Theologicis peritia præditus univerſam Theologiam ſuis ſcriptis complecti moliebatur, morte autem

autem præventus nil nisi disputationes Theologicas in selectas D. Thomæ quæstiones posteris reliquit. Sæc. XVII. Sæc. 1619.

§. XLII.

Joachimi Backii, & Arnoldi ab Isca, atque Antonii Molinæ obitus.

Hunc pari fato sequebatur Jacobus Backius Ultrajectensis Sacerdos, qui eruditione ac prudentia clarus, dum recens nata Protestantium secta Belgium devastaverat, quamplurima, eaque doctissima opuscula contra hosce Novatores edidit, ex quibus præcipue celebrantur. I. *Scopa conscientiæ*, quem librum Gallico idiomate conscripsit. II. *Interpres, seu Advocatus omnium sincerorum Catholicorum.* III. *Bannum omnium hæreticorum.* IV. *Catholicorum pravorum* Τὸ *quare?* Decessit eruditus hic Author Ultrajecti anno ætatis suæ quinquagesimo septimo. Huic adjungimus Arnoldum ab Isca Ordinis FF. Minorum celeberrimum Concionatorem, qui Lovaniensis Conventus Superior quinque sermones elucubrabat *de arte salubriter in Christum credendi*, præter *Officium B. V.* obiit die decima quinta Martii. Mensis autem Septembris die vigesima prima decessit non sine magna Sanctitatis *Andr. Bibl. Belg. Miræus l. c.*

Sæc. XVII. A.C. 1619.

opinione Auguſtinus Molina patria Caſtellanus, qui Ordinem FF. Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſus Theologiam tradidit, poſtea ad Cartuſianos in Regiam domum *de Miraflores*, quæ prope Burgos in Regno Caſtellæ ſita eſt, ſeſe transtulit. Scripſit idiomate patrio librum plane aureum, jam trigeſimo prælo excuſum, cui titulus: *Inſtructio Sacerdotum ex Sanctis Patribus*: Edidit quoque *exercitia ſpiritualia pro Fratribus laicis*, item librum de meditatione & oratione præter tractatus de quatuor noviſſimis, & de rebus politicis: Præfata ejusdem Inſtructio propter ſui utilitatem in Gallicam ac Italicum idioma translata, atque anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto Antverpiæ apud Arceſſenium latinitate donata prodiit.

§. XLIII.

Quidam Scripiores e Societate mortui.

Alegamb, Bibl. Script. Soc.

Ad Scriptores Eccleſiaſticos, quibus hoc anno mors calamum excuſſit, referendi occurrunt ex Jeſuitis nonnulli, & primo quidem Franciſcus Coſterus patria Mechlinienſis, qui S. Ignatii, a quo Societati aggregatus fuerat, monita, ſcilicet, *animi demiſſionem, obedientiam, mentisque jugem lætitiam*, ſemper cordi

cordi habebat: Scripsit I. Enchiridion Controversiarum nostri temporis de Religione II. apologiam pro suo Enchiridio contra Gomarum Calvinistam III. librum de Ecclesia adversus eundem IV. declarationem fidei contra Hæreticos Hollandos. V. Responsionem ad Lucæ Osiandri refutationem VI. compendiosam veteris Orthodoxæ fidei demonstrationem. VII. apologias contra Greuinchovium, Pietersenum, Petrum Cockum, & Molanum præter plurima alia opuscula Polemica & Ascetica. Decessit Bruxellis die sexta Decembris anno ætatis suæ octogesimo octavo. Prius autem die decima quinta Junii Neapoli obiit Franciscus Albertinus, qui ex Principiis Philosophicis Theologica Corollaria deduxit, ediditque: Eodem hoc anno pariter mortui sunt Sebastianus Gonzalez, Boierus, Valzius & alii, quorum tamen opera recensere, vix operæ pretium est.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

Vid. Supra Lib. CXC. §. 3. p. 176.

§. XLIV.

Mathiæ Haffenrefferi, & Joannis Assumi obitus.

Ad hunc annum refertur obitus Mathiæ Haffenrefferi, qui ob morum comitatem, solidamque eruditionem apud Lutheranæ sectæ Theologos gratam

Fischlin. mem. Wirt. part. 2. p. 8. Frecher. in Theatr. Wite biogra.

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tam post se relinquebat memoriam. Erat Lorchæ in Wirtembergensi Ducatu natus, emensisque in Tubingensi Academia studiis Doctoratus Lauream, necnon Cancellarii dignitatem emeruit. Scripsit orationes in Nativitatem Christi, commentarios in Nahum & Habacuc præter locos Theologicos, aliaque plura opuscula. Huic accedit Joannes Assum, qui ejusdem cum Haffenreffero patriæ, sectæ, & dignitatum socius in exegeticis calamum suum exercuit, posterisque reliquit Dissertationem de Spiritu & litera, de Dei præsentia, necnon explanationem dogmatum a Concionatoribus utiliter proponendorum. Edidit quoque *Speculum cognitionis Divinæ & Christi*, præter *speculum hominis ante & post lapsum*. Obiit Weikershemii die decima quarta Augusti.

§. XLV.

Helvici Garthii, & Joannis Gordonii extrema.

Sub idem tempus vivis ereptus est Helvicus Garthius Freybergæ in Hassia natus, qui Tubingæ Doctorum honoribus auctus, Pragæ anno ætatis suæ quadragesimo decessit: posteris vero inter cetera ingenii sui monumenta reliquit, *præcipua Theologiæ Jesuiticæ capita,*

pita, tractatus de invocatione Sanctorum, de articulis controversis Lutheranos inter & Calvinistas, necnon librum de reformatione in Hassia, & de colloquio Pragensi. Edidit insuper tractatum de judice controversiarum præter commentarium in Habacuc: Alter erat Joannes Gordonius patria Scotus, qui a Jacobo I. in Angliam evocatus, Salisburiensis Decanus creabatur, ubi etiam mortalitatem exuit, postquam latino sermone suum *tortum retortum Juliano-Papismum*, necnon assertiones theologicas pro *vera veræ Ecclesiæ nota*, Anglice vero librum *de felicitate Angliæ sub Jacobo I.* & tractatum *de ceremoniis Ecclesiæ Anglicanæ* typis vulgaverat.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. XLVI.

Insequentium calamitatum origo.

Annus hic, istius sæculi vigesimus, motuum, malorumque multitudine, & calamitatum diversitate, si quis alius præcedentium, inauspicatus fluxerat: Flagrabat communis belli incendio universa Germania, impune grassabatur aliena usurpandi libido, Sacra profanis miscendi cupiditas, & promiscua adversus legitimos Principes rebellandi libertas: inter jura belli censebatur inhumana in innoxios crudelitas,

Sæc. XVII. A. C. 1620

tas, cædium, rapinarum & incendiorum opportunitas, necnon dolosa machinandi ac quævis nefanda perpetrandi licentia. Tot autem malorum originem, progressum & exitum ponderare rerum temporisque deposcit ordo. Quem vero latet, quod omnium turbarum caussa extiterit religionis dissensio, authores vero motuum fuerint sectarum fautores: nova enim, ac ideo falsa doctrina inimica est disciplinæ Evangelicæ: inde orta est animorum aversio, subditorum a Dominis, membrorum a suo Capite defectio, & denique Regum contemptus, ac regnorum eversio; non enim hæresis ullum Principem suo in solio securum relinquit, cumque Religio magnam Reipublicæ partem constituat, rebellis, turbulenta & sanguinaria hæreticorum indoles nunquam satiatur, nisi coronatos etiam vertices, si ejus progressibus sese opponunt, implacabili furore evertant, & Monarchicum Regimen in Democraticum commutent, prout demonstraverat Hermanus Chunradus (*). Hoc idem testantur præsenti ævo Imperium Germanicum, Bohemiæ & Hungariæ Regna, totque aliæ Provinciæ Ferdinando legitimo

(*) Ejus oratio paræenetica in progressu hujus libri legitur.

gitimo ſuo Principe ac Monarcha per hoſce Sectarios orbatæ. Præcinebat Lutherus, ſuis inculcans, Cæſari non eſſe obediendum, ſi hic Pontificis cauſſam tueri, novumque Evangelium debellare vellet (*). Ut autem tam Cæſar, quam alii Principes denegatæ obedientiæ injuriam ulciſcendo impotes fierent, in Novatorum ſchola tritum erat dogma: *Catholicis & præcipue Eccleſiaſticis opes, bona, ac ditiones eſſe dolis & armis eripiendas*, utque uſurpatis opibus cautum foret, ſimulque iniqui uſurpatores a lege repetundarum ſecuri eſſent, *Cæſarem, ceterosque Principes Catholicos de violata conſcientiæ libertate eſſe incuſandos, ac ſub hoc obtentu ſimul eo adigendos, ut initis eorum arbitratu pactis hæc bona uſurpatoribus cedant, vel ſi reclamare voluerint, tunc adhibita armorum vi metuque ad aſſenſum compellantur.* Hac ratione extortam fuiſſe pacem Paſſavienſem, aliaque ejusdem generis decreta, prioris & præſentis ſæculi loquuntur monumenta: Verum ſarta Cæſaris auctoritate nondum ſatis ſectæ ſuæ, opibusque ablatis cautum eſſe credidere, accidere igitur oportuit ſacratam quoque Cæſareæ Majeſtatis potentiam: Cæſar igitur urgendus

Sæc. XVII. A. C. 1619.

(*) Tom. V. Genenſ. Germ. p. 297.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

dus erat, ut jurisdictionem suam ad Sectarios etiam derivet, Aulicum suum Senatum reformet, aliamque judicii formam instituat, ni velit, armis debellandus, atque ad cuncta, quæ libuerint, concedenda vi compellendus, tandemque dominationis Majestatisque suæ virtus si frangi nequit, saltem infirmanda erit. Ex hoc torculari expressæ fuerunt a Bohemis Majestatis literæ, quarum favorem hi ultra sensus sui limites studiose ideo extenderunt, ut nacto quiritandi obtentu seditionem concitare, & in rebellionis societatem omnes ferme subditos congregare valerent: ex hisce fontibus scaturiebant bella civilia, arma Correspondentium, Bohemorum contumacia, Hungarorum motus, & Austriacorum rebellio, necnon Cæsareæ, Regiæque auctoritatis contemptus, ac denique abominanda Ferdinandi legitimi Regis exauctoratio, ad quam æque, atque ad funestum hoc bellum, ejusque pedissequas cædes, rapinas, vastationes, incendia, civiles discordias, atque inimicitias facem subdidere Sectariorum Ministelli præcipue Calvinistæ; hi enim molestissimi Susurrones bellique Buccinatores seditiosis suis consiliis & concionibus Principes suos ad arma, & populum ad seditionem contra Cæsarem, Regem, & Catholi-

tholicos & præsertim Ecclesiasticos sedulo concitabant, prout ipse Ferdinandus Cæsar sæpius conquestus est. Hi tam funesti belli promotores exstitere, hi Martis classicum cecinerunt; horum convitia aperuerunt injuriis despectam Cæsaris Majestatem, depresserunt Austriacæ dignitatis fastigium, quod eo magis declinare credebant, quo potentius, intruso Friderico, Regiam ac postea Imperatoriam Majestatem Ferdinando eripere niterentur. Huc collimabant Jenensium & Wirtembergensium Prædicantium judicia, quibus declararunt, nefas esse, ut Principes Protestantes in caussa Bohemica Cæsari opem ferant; huc spectabant itidem pessima Ludovici Camerarii consilia, quibus fortuna & genere ferocem juvenem Fridericum ad illicitam alieni Regis cupidinem illexit, & non minus Anhaltini Principis consilia calamo, astu, ope & opera adjuvit (*), ut luculenter Heidelbergensis & Anhaltinæ Cancellariæ monumenta testantur, quæ si quis mente a partium studio aliena pervolverit

Sæc. XVII. A. C. 1620.

(*) Vide ejusdem Camerarii epistolas necnon Fabii Hercynini Rhebarbarum ejusdemque Tubum Gallilæanum edit. ann. 1625. necnon Windeckii tractatum de Theologia Jureconsultorum Colon. edit.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

verit, talpa cæcior ſit, niſi hujus belli cauſſam a Calvinianæ & Lutheranæ ſectæ fautoribus inſano Religionis fanatismo, necnon implacabili in Catholicos Principes odio accenſis repetat. Faceſſat igitur, neſcio quis, inſulſus Author, qui anno Chriſti 1647. *Conſiderationem cauſſarum belli in Bohemia exorti* edidit, & Catholicorum Tyrannidem potiſſimum in cauſſa fuiſſe, oſtendere ſategit: cum tamen nullum omnino ex Bohemis ceterisque Proteſtantibus vel a Cæſare, Rege, Principe, aut Catholicis prius vexatum, quin antea ad hanc vexationem ſua petulantia, aut iniqua uſurpatione, poſtulatis, vel violentiis anſam dediſſent, oſtendere potuerit: certe nullus alio pacto Catholicos tanquam hujus belli auctores inſimulare valebit, niſi quia Calvini & Lutheri ſecta adhuc in cunis vagiente Catholici Principes erga hoſce Sectarios nimis indulgenter egerunt, eosque in ſuis Regnis tolerarunt. Queruntur equidem præcipue Calviniſtæ de turbato ſectæ ſuæ uſu, accumulant gravamina, armis vaſtatas deplorant Regiones; reticent tamen ipſi iniquas artes, quibus ſectam intruſerunt, qua violentia primi Catholicis bona eripuerunt, ſeditiones concitarunt, & innoxium ſanguinem ſæpe profuderunt: læſerunt hi

hi tamdiu Catholicorum patientiam, donec & illam in furorem convertere necesse fuerit: nec prius quievere, quam ex amicis sibi adversarios redderent, qui necessario defensionis jure ipsis vicem rependerent, & tum ipsis in more positum fuit, de injuriis sibi illatis conqueri, malorum caussam in eos, quos primo gravissime læserunt, conjicere, & integros querelarum libros in vulgus spargere, cauto tamen silentio contumelias, injurias, mala & violentias prætermittere, quas ipsi prius largissima mensura aliis intulerunt.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. XLVII.

Oratio de auctoritate Regum & Principum contra Protestantium molimina asserenda, & de caussis bellorum in Europa.

Jam ante decennium Hermanus Chunradus Baro Fridenburgensis, ac Eques auratus futuri hujus belli caussam ex immodico Protestantium Monarchias evertendi studio derivabat, oratione sat efficaci hanc in rem edita; illam ergo, ne Protestantes deinceps Catholicos bellici hujus incendii auctores calumniari audeant, huc referre, haud inutile erit; Illius autem tenor est sequens: „Principio quidem totam Euro-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„pam, Sæculo integro, partim bello „civili collidi, partim metu belli, ap„paratuque consumi dolemus. Nec „obscuræ bellorum sunt causæ, profun„da avaritia, dominandi libido, atrox „superstitionum immanitas. Quamquam „enim interdum pie, necessarioque ab „optimis Principibus bella indicta, su„sceptaque sint, raro tamen etiam a „justis Regum animis, opum potentiæ„que cupido excludi potest. Uti ignis „luculentissime fulgens, fumo tamen „laquearia inficit; ita quoque illæ pe„stes purissimis se mentibus insinuant, „atque optima instituta Comites male„suadæ depravant: quæ si in Regum, „Principumque judicio locum non ha„beant, nunquam tamen non Tribuno„rum, Centurionum, militum cupidi„tates inflammant. Hinc fieri vide„mus, ut bella, etiam juste pro bonis „contra injuriosos suscepta, creberri„mo sceleratissime gerantur, calami„tosissimeque finiantur. Rapiunt ita„que nunc, quemadmodum olim suæ „quemque propriæ in prælia causæ, a„liquando justæ, ac legitimæ, quan„doque impiæ, rarissime bonæ sine ad„missione malitiæ.

„At vero eædem illæ causæ nunc ex „alterius causæ conjunctione, auxilio„que, sunt, quam olim, multo valen„tio-

„tiores, minusque medicabiles. Quæ „autem illa est causa, vitiorum conci- „liatrix, per quam ceteræ pestes sunt „actuosæ magis, atque in ultimam us- „que perniciem efficaces? Dicam o Re- „ges, o Principes, quod nemo, nisi „moriturus diceret: Vestra est inscitia, „incogitantia, damnatusque in rebus, „unde regnorum cardo pendet, lanquor. „Ignoscite, monitorem auditis, non „adulatorem: Optimi consiliariorum „mortui sunt, aut morituri. Quæ est „igitur ignorantia Regum? bella ge- „runt, res repetere, injurias ultum „ire, defendere socios, tueri pietatem „sese arbitrantur.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Sed longe aliud propositum est il- „lis, a quibus in arma scelerata cogun- „tur, alius est effectus, exitusque bel- „lorum: nempe ut Regnis suis, Prin- „cipatibusque exuantur, forma Rei- „publicæ mutetur, ministri Regum Re- „gibus dominentur: ac tandem miser- „rima Laniena, infirmatis partibus, ju- „gum Ottomanicum suscipit Germania.

„Avorum memoria, cruenta bella „cum Rege Franciæ gessit Carolus, Bur- „gundiæ Dux, qui ex animositate di- „ctus est *Audax*. Variæ bellis præ- „textæ causæ, gloria, regni dilatatio, „injuriæ vindicta: at vero scribit Com- „minæus, qui intimis consiliis aderat,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„nec Regem, nec Carolum, veras scis„se causas, ob quas a suis consiliariis, „Ducibusque ad bella impellerentur. „Franci enim Regem ad pacem violan„dam urgebant, ut Carolus a poten„tiore in angustias redactus, cogeretur „per Principem aliquem Galliæ fœdus „impetrare, eique filiam hæredem e„locare. Hinc e Gallia e castris re„giis ipsis scribebatur: Veniret in Fran„ciam, non defore amicos. Pro suo„rum igitur cupiditatibus, in suam „perniciem Principes illi bella move„bant, multo sanguine, multis incen„diis, cladibusque, nulla causa, re„giones suas deformabant.

„Nunc etiam cæca arma paratis, „aut tenetis, o Reges, o Principes: il„la suadent aut vestri perfide, aut ex„teri dolose, utrique ad evertendam „Monarchiam, & Principatum vestrum, „perniciose. Omnium armorum finis „est, si faces, & buccinatores bello„rum spectemus, ut in Europa quam „potentissimæ reddantur Democratiæ, „& Aristocratiæ, Monarchiæ infirmen„tur. Huic proposito nunc Regum ar„ma, opesque plurimorum serviunt: „quod ex præteritorum, præsentium„que collatione potest penitus pervideri.

„Quemadmodum ætatis in homine „quidam est circuitus, & pro annis di„verli

„verſi affectus, ſtudiaque, & exercitia: „ita in magno mundi corpore, & So- „cietate hominum videmus diverſiſſi- „ma non modo utilia eſſe, ſed etiam „probari. Initio gentium civitates ſub „Regibus fuere: cumque eo ſe modo „feliciſſime, pacatiſſimeque ævum agi- „tare crederent, Regem omnes vole- „bant, creabant, propugnabant: Se- „cuta deinceps obloquia contra Reges, „atque invidia; nec deerant peccata „regnantium, quæ populorum indi- „gnationi materiam abunde ſuggere- „rent, cum indici tributa, exigi por- „toria, imperari operas præter modum, „omniaque illa detracta egentibus, in „luxum aulæ abſumi viderent. Mu- „tata deinde gubernationis forma, ut „pro Regibus ejectis, occiſisque, po- „pulus vel Optimates rerum potirentur.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Italia, cum Tarquinii Roma pel- „lerentur, paucos habuit Reges, liberi „fere populi fuerunt. Tatium Sabi- „num *priores Hiſtoriæ* memorant, Por- „ſennam *poſteriores*, qui Tarquinios re- „duceret, Rex Regem aggreſſus eſt. „Latini idem quoque conati ſunt, ut „populus, qui foris dominaretur, do- „mi ſerviret, aut ſane, ut conſtituto „Rege, qui latinis regnum deberet, „ſuas ipſi vires ſtabilirent. Quanto au- „tem in odio, ea tempeſtate fuerint,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„apud Italicos populos, Reges, Veio-„rum calamitas oſtendit, qui creato „ob imminens periculum Rege, vici-„nos abalienarunt.

„Creſcente deinde Romanorum po-„tentia, Regum pene notitia deſiit: „Italia, & Hiſpania, ſine Regibus e-„rant: Africa Numidas habebat, alios-„que paucos Reges; Carthaginenſium „potens erat, & in Reges quoque ma-„gnum imperium: Gallia & Germania „paucos Regulos habuit; Græcia libe-„ra erat; Jonia quoque & nobiliſſimæ „Aſiæ partes. Omnium enim animi „a regno alieni, in Democratiam pro-„penſi erant. Hinc Ptolomæi, Antio-„chi, Attalus Deiotarus, Nicomedes „Maſiniſſa, alii Romanorum mancipia „vixere, & precario regnavere, donec „vel ſponte, vel bello ſubverſi, provin-„ciæ, ſive acceſſio, potentiores fuere.

„Ea tempora, illi animi Regum „odio imbuti, nunc quoque in mun-„dum, certa quadam rerum conver-„ſione, redierunt, & Regum auxilio, „Reges tollere, Democratias formare „moliuntur: quibus ſi conatui par ſuc-„ceſſus detur, brevi ne nomen quidem „Regium in florentiſſimis regnis repe-„riri poterit. Omnibus enim cogita-„tionibus, viribusque eo tendunt, ut „alias Reipublicæ formas inſtituant,

„idque

„idque innata ingeniorum levitate, su- Sæc. XVII.
„perbiaque. Tum enim præclare secum A. C. 1620.
„agi putant, cum invicem imperare,
„& parere concessum est, quod in Re-
„gnis & Principatibus negatum esse
„sciunt. Spem vero eliminandorum
„ex Europa Regum, multis ex rebus
„magnam, & nisi caveant Reges, non
„vanam concipiunt. Sic enim secum
„politici, æqualitatis patroni, ratioci-
„nantur: in sinu Adriatico, nobiles Ve-
„netiæ longe lateque dominantur, o-
„pes libertatemque ruina vicinorum
„Principum firmarunt, olim sociæ Tur-
„carum, Italis timendæ, Constantino-
„politanorum Imperatorum contemptri-
„ces erectæ in eandem spem liberta-
„tis, ac potentiæ Venetiarum exem-
„plo, sunt Italiæ civitates, Genua, Pi-
„sa, Florentia, Luca: contra Reges,
„Principesque invictæ steterunt, donec
„se mutuis bellis attererent.

„Imperio etiam Principum suorum
„se Helvetii subtraxerunt, nec Dominis
„modo rebellarunt, sed nobilitatem e-
„tiam stirpitus exscindere conati sunt:
„& successit, quamvis multo sanguine
„parta libertas. Suis legibus Helvetii
„fœderatæque Inalpinæ gentes vivunt,
„Regibus terribiles, & cum Germani,
„Francique bella gerunt, rerum ar-
„bitri. Quantum vero valuerit exem-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„plum, ut neminem latet, ita pro rei „magnitudine & periculo nemo consi„derat. Helvetiis mox junguntur Gri„sones, alii Alpini: Geneva imperium „Principis sui detrectat, Basilea, Con„stantia, Argentoratum in fœdus ac„cipiuntur, Aliæ quoque civitates „contra Imperatorem, Principes suos, „& Senatum domesticum moventur. „Quæ enim Civitas ante annos centum „Senatum suum loco non movit, vel „occidit? Quæ tantorum malorum cau„sa? Libertas, supra modum & con„tra leges, per scelera cædesque quæ„sita. „

„Nec tutior Septentrio, Lubeca, „Hamburgum, Dantiscum, Rostochium, „Brema, aliæ urbes, quas Anseaticas „dicunt, invito Imperio, fœdera inie„runt, suosque Dominos, ac Principes, „per quos defensæ creverant, fiducia „opum & virium repudiarunt. Minus „tum ea res notata est, tum quia non „eodem tempore contigit illa defectio, „tum quia damnum non unius, sed „plurium, & quidem discordium fuit. „Imperator, Holsatus, Danus, Prute„nus, Saxo, multi Episcopi, Domi„nio exuti sunt. Factus est illa ratione „ad dejiciendos Principes gradus, sed „lentior progressus. Venetos jam im„belles, & avorum dissimiles, Turca „pre-

„premebat. Helvetii natura quieti, & „quod opibus, equitatuque non pol- „leant, ſua tueri, quam aliena acqui- „rere maluerunt. Anſeaticarum ur- „bium potentia cuilibet Imperio par e- „rit, ſed erant ipſæ inter ſe diſſitæ, & „ſingulis domi erat æmulus Princeps „quispiam aut Dynaſta. Itaque Impe- „peratores, Principesque dejicere non „quidem potuere, attractis tamen ad „ſe opibus debilitarunt. Adeoque ſine „his magnum eſt Imperium, ſed cor- „pus ſine nervis.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Conſtituta hunc in modum Repu- „blica, & animis inter regnum & po- „litiam alternantibus, dum Principes, „& nobiles convitio vocant Senatores „urbium, ruſticos, & illi, nobiles man- „cipia culinarum aulicarum; facta eſt „ſubito nova ad Democratiam conver- „ſio, cum Belgium infelix proſperitate „ſua, contra Dominum ſuum rebella- „vit. Omnium enim motuum cauſa „fuit, ut imperium Principis excute- „rent: Naſſovius quidem, aliique con- „jurati, ne Magiſtratum deponere, ge- „ſtorumque rationem reddere cogeren- „tur, urbium Senatores, ut negotio- „rum ipſi, cum impunitate peculiandi, „Domini agnoſcerentur; populus arte, „& vi perſuaſus conſenſit.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Hanc causam rebellionis fuisse, non „Religionem, quæ prætendebatur, ne„que exactiones tributarias, manifeste „ipsi docent. Nam de Religione Ca„tholica sibi ipsi caverunt status: de„inde Mathiam Austrium, adolescen„tem Catholicum advocarunt: tertio „Alenzonium, itidem Catholicæ reli„gionis assertorem, ducem inaugura„runt. At neque violentia tributorum „eo sunt redacti: nunc enim decuplo „plus fisco conferunt, quam tum exi„gebatur.

„Verum tabulas ipsas, & leges in„spiciamus, inveniemus profecto, eos „ad amussim Venetos imitari. Leges „sunt istæ datæ Mathiæ, Austriæ Ar„chiduci:

I. „Archidux regiones consilio sta„tus gubernabit: ipsi vero Consiliarii „designabuntur, eligenturque ab Ordi„nibus generalibus, indigenæ, huic mu„neri inprimis idonei.

II. „Omnia negotia decernentur „suffragiis, & vocibus Consiliariorum, „ita ut ipse Gubernator postmodum ni„hil amplius sit deliberaturus, aut mu„taturus.

III. „Si qui Consiliarii, aut circa „Palatina officia minus probe se gerant, „aut onere difficiliore graventur, Or„di-

„dinum generalium postulatione pro- Sæc. XVII.
„videbitur. A. C. 1620.

IV. „In negotiis arduis, atque ma-
„gni ponderis, ad omnes simul regio-
„nes spectantibus nihil sine Ordinum
„generalium consensu aget Gubernator.

V. „In rebus arduis, ad generali-
„tatem attinentibus, utpote exactioni-
„bus, pecuniarum collectionibus, pa-
„cis bellive conditionibus cum extra-
„neis Principibus, aut populis, obli-
„gationibus, aliisque similibus, tene-
„buntur Ordines Generales, antequam
„certi aliquid constituat, rem totam
„proceribus, & communitati significa-
„re. Æquum enim est, ut, quod om-
„nium interest, ab omnibus quoque
„comprobetur, & condicatur, quod
„quidem patriæ privilegia, & consue-
„tudines inprimis postulant.

VI. „Ne Gubernator mandata, pla-
„cita, decreta magni momenti, novi-
„tates, resque insolitas introducentia,
„sine Ordinum generalium, ad id le-
„gitime convocatorum consilio, aut
„consensu, ullo modo statuat.

VII. „Breviter in omnibus iis ne-
„gotiis, quibus naturalis Princeps pa-
„triæ, tamquam Brabantiæ Dux, con-
„silium ex Ordinum Brabantiæ Sen-
„tentia capere tenetur; ipse quoque
„Gubernator Ordinum generalium con-
„silio

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„filio uti tenebitur: deputati autem „prius suis Superioribus, a quibus sunt „legati, rem omnem convenienter re„ferent.

VIII. „Omnes literas ad statum „Provinciæ aliquo modo spectantes, „quas accipiet, tenebitur consilio sta„tus offerre, ut de iis deliberetur, de„cernaturque.

IX. „In Consilio status, nulla ne„gotia gravia, difficiliaque, aut ad Or„dines spectantia tractabuntur, nisi „Consiliariorum maxima parte præ„sente.

X. „Ejusdem Consilii acta, decre„ta, factaque omnia annotabuntur, at„que subsignabuntur.

XI. „Ipse Gubernator omnes con„suetudines, & quæcunque privilegia, „institutaque vetera, infracta, impe„dita, aut ablata per vim, restituet, & „confirmabit.

XII. „Ordinum Generalium depu„tati simul permanebunt, quamdiu ad „negotiorum expeditionem, peractio„nemque, ipsis commodum videbitur: „Ordines quoque Generales conventum, „quandocunque volent, celebrare po„terunt.

XIII. „Si quod negotium maximi „momenti occurrerit, ob quod Comitia „haberi necesse sit una Provincia postu„lante,

„lante, reliquæ convenire debebunt, & „poterunt, neque mandata, imperium, „aut consensum Gubernatoris expectare „tenebuntur. Sæc. XVII. A. C. 1620.

XIV. „Ordinibus etiam particula„ribus uniuscujusque provinciæ con„ventum agere licebit pro arbitrio, „quocunque tempore.

XV. „Pacificatio Gandavensis ita „in omnibus suis articulis observabitur, „ut nullo modo, aut prætextu, aliquid „diminuatur, aut infringatur.

XVI. „Ne prædictæ pacificationis „interpretatio lites, aut difficultates „pariat, hujusmodi litigosorum arti„culorum interpretatio Ordinibus ge„neralibus legitime congregatis, com„mittetur.

XVII. „Gubernator alios stipatores, „aut Satellites, quam Ordines pro „temporis ratione necessarios reputa„bunt, nequaquam habebit, aut po„stulabit.

XVIII. „Gubernator, suumque Con„silium, ex Ordinum sententia, tam „terra, quam mari, constituent Archi„strategum, sive Imperatorem exerci„tus, Architalassum, Magistrum equi„tum, Tribunum militum, aliosque „Præfectos primarios belli.

XIX. „Neque pedites, neque equi„tes milites colliget, extraordinarie, „neque

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„neque prædia in urbibus collocabit „Gubernator, nisi scientibus, & con„scientibus Ordinibus, civiumque ea„rum civitatum Sententiis prius au„ditis.

XX. „Gubernatores provinciarum „nequaquam constituet, sine Ordinum „earundem provinciarum consilio, & „consensu: curabitque si fieri possit, ut „iidem sint ejusdem provinciæ, aut „regionis habitatores, atque in ipsis „possessiones, & reditus habeant: aut „saltem regionibus sint grati, atque „accepti.

XXI. „Tempore belli, gravissima „negotia administrabit, exequeturque „ad præscriptum consilii militaris, ab „Ordinibus designandi.

XXII. „Consilium etiam militare „nihil, quod Ordines spectabit, decer„net, aut statuet, nisi Ordines Gene„rales ante primoque omnium certio„res reddantur. Sequentibus deinde „cavetur, ut omnia observent, jurent„que, se ea facturos: articulo etiam „vigesimo sexto pecuniarum distribu„tionem, & ærarii dominium sibi at„tribuunt.

„Denique, si omnes illos, vel ali„quos articulos Gubernator violaverit, „justa in eum arma decernere se posse „declarant.

„Nec

„Nec Leiceſtrio data major poteſtas. „Ipſe anno milleſimo quingenteſimo „octogeſimo ſeptimo in Angliam redire „cogitat, ne perſonatum Principem a„gat: illi ſane fidenter reſpondent, ſuos „Principes, ſine Ordinum conſenſu, pa„rum aut nihil ferme potuiſſe: quod om„nibus aliis viribus, præterquam ve„ctigalium, & Canonum reditibus ad „Palatina officia, & aulicam familiam „ſuſtentandam, fuerint deſtituti. Ordi„num juris eſſe, Principem non tan„tum precibus, ſed & ipſo facto corri„gere, ejus conſiliarios punire. Quod „paulopoſt factum eſt, occiſis, Lugdu„ni Batavorum, Leiceſtrii amicis.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Quid hoc aliud eſt, quam ſpecio„ſo nomine Principis ſtatuam adornare, „vocare Principem, cui nullius rei a„gendæ ſit poteſtas? Venetorum Dux „in pompa eſt Princeps in Curia Sena„tor, in urbe captivus, extra urbem „reus: peregrinari enim ſine venia non „poteſt. Hic Princeps Belgarum ni„hilo plus habet in ceteris, in pompa „etiam minus.

„Hanc ob cauſam & fratris Auguſti „& Regis Catholici monitu, Mathias „adoleſcens cito ſe in libertatem vindi„cavit.

„Paulopoſt, anno ſcilicet milleſimo „quingenteſimo octogeſimo ſecundo, „alium

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„alium ſibi Principem perſonatum e „Gallia aſcivere, Regis fratrem, Alen„zonium, quem ingenti pompa e Gallia „adductum, Antwerpiam deduxerunt, „inaugurarunt: Sed cum ille ludibrio „offenſus, vere Princeps eſſe vellet, „cæſa nobilitate multisque militibus, „in Franciam ſuam abiit; cauſatus, „Belgas non Principem, ſed Principis „umbram, ac imaginem quærere. Nec „mirum: non enim ſubeſſe Gallo, quam „Hiſpano maluerunt, ſed affectus ſuos „Franco nomine tegere.

„Itaque omnia illa, quæ cum Gal„lo egere, ficta fuere: nec diu odium, „quo Gallos Belgæ proſequuntur, te„ctum fuit.

„Nondum finis ſimulandi: deſpecti, „vexatique, & pene proditi a Francis, „in Britaniam navigant, anno milleſi„mo quingenteſimo octogeſimo quarto „Gubernatorem Leiceſtrium eliciunt. „Sed ille vix imperare incæperat, cum „occiſis quibusdam ejus fautoribus, re„meare domum cogunt.

„Cum igitur nec Dominum ſuum „naturalem, nec Germanum nec Gal„lum, nec Anglum, ferre potuerint; „quis non videt, eos hoc egiſſe, ut a„liam Reipublicæ formam inducerent? „Ad hoc enim nobiliſſimos Principes „vocarunt, ut inania nomina illis tri„bue-

„buerent, ſolida rerum ſibi ipſis retine- Sæc. XVII.
„rent. Nec deinceps quidquam ege- A. C. 1620.
„runt aliud, quam ut turbas, ſeditio-
„nesque excitarent, aut adjuvarent.
„Quo enim tendebant illa, quæ in An-
„glia actitata ſunt de libertate? Quo
„item illa, quæ in Gallia cum Hugo-
„nottis? Nonne mutuas conſpirationes,
„clandeſtina colloquia, pecuniarum
„collectiones novimus? quorſum iſta?
„niſi ut regnum Galliæ concuterent, &
„imperia Regum evanida efficerent.
„Non ignoravit id Henricus IV. Gallia-
„rum Rex, cujus Legatus ſerio monuit
„collegas, cum nuper de induciis age-
„retur, nolle ſe Hollandos creſcere,
„ideo nec quod ſuo regno, nec vicinis
„id expediret. Idem tamen Henricus,
„qui eos opibus viribusque adjuvit, ho-
„minum ingratiſſimos expertus eſt:
„nam & cum Hugonottis clandeſtina
„conſilia habuerunt, & filium Henrici,
„Ludovicum, quantum in ipſis fuit,
„prodiderunt. Cum enim Ludovicus,
„Principum diſcordia agitatus, pater-
„norum beneficiorum fiducia, auxilia
„ab illis peteret, non modo nulla miſe-
„runt, ſed nec militem quidem Fran-
„cum regia ſtipendia merentem, ſola
„liberalitate datum, ad regem ſuum
„defendendum, abire ſiverunt, ſtipen-
„dia inſuper poſtularunt.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„De fœdere cum Turca, hæreditario Christiani nominis hoste, annis superioribos sancito; de Ennone, Comite Emdano per nefas pulso, Embdaque nullo jure occupata; de Westphaliæ Episcopatibus, tantum non devoratis, nihil est, quod addam.

„Hæc cum ita sint, nonne satis intelligit Rex Franciæ, & ex longiore usu, Rex magnæ Britanniæ, Hollandos, utpote Democratiæ studiosos, Regibus, quorum pecunia, ac milite defenduntur, exitiabiles esse?

„At eodem tempore per longos circuitus, & varia pericula, Venetis auxilia miserunt, contra Regem Ferdinandum, qui eos ne verbo quidem unquam offenderat. Cur o Batavi, Regem Galliæ, vicinum, patronum vestrum, defensorem libertatis vestræ, qui multos vobis auri milliones donavit, in periculo constitutum, destituistis? Cur legiones ipsius indigenti mittere noluistis? Cur Venetis tanto studio succurristis? Religionis causa non est acta, omnes Catholici sunt, nec meritorum habita est ratio, omnia vestra, etiam vitam ipsam, Franco debetis. Quid igitur causæ est? Odium regni, amor Aristocratiæ, & Democratiæ.

„Ger-

„Germaniam pari vecordia turba- „ſtis, cum Colonienſem Archiepiſco- „pum Imperio abducere, veſtris Stati- „bus ſubdere voluiſtis. Præſulem e- „nim in veſtra poteſtate, & Imperii „ſuffragium habere concupiſtis, ut jam „de Imperio Romano vos decernere „poſſetis.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Quid vero cauſæ dicere poteſtis, „cur Ducem Brunsvicenſem tam diro „agmine oppugnaveritis, urbem ad- „juveritis? At Dux cognatus eſt Dani „Regis, amici veſtri, affinis Brande- „burgici, fœderati veſtri. Non hic „Religio pro vobis facit: nusquam Cal- „vinismus infeſtius, iracundius, con- „ſtantius oppugnatus eſt, quam in urbe „Brunsvicenſi. Quid igitur adferre „poteſtis, præter odium ducalis Im- „perii, & amorem Democraticæ Poli- „tiæ? Adde Magdeburgum in fœdus „receptum: velimque ſcire, cur civi- „tas tam procul a vobis diſſita, veſtra „fœdera ambiat? contra quem ſubſi- „dia paret Belgica? An contra Bran- „deburgenſem Principem, ſuum Præ- „ſulem: an contra Saxonem, vicinum „potentem? An contra utrumque? Cur „vero contra domum Brandeburgicam, „quæ vobis fœderata, etiam & obno- „xia eſt? Scio, quid reſpondere de- „beatis: contra omnem Principem pro

Sæc. XVII. A. C. 1620

„omni civitate vos bellare, nec cau„ſas Dominorum, ſed genera ſpectare.

„In fœdus etiam Anſeaticæ civita„tes pertractæ ſunt, non alia ex cauſa, „quam ut Danus, Saxo, aliique vos „quoque timeant & urbes illæ attolle„re caput, Principesque vicinos pre„mere audeant. Antiqua iſta ſunt: „nunc Gallum odiſtis, & offendere „auſi eſtis: Britanno vos applicuiſtis: „quæ cauſa? Galliam difficultate con„cutere poteſtis. Angliæ regnum uno „hærede maſculo fulcitur: facile par„tem ad vos tranſituram ſperare licet. „Certe credere etiam Britanno deſiiſtis, „cum de Hiſpanico conjugio agi cæ„ptum eſt. Itaque ſtudioſius civitates „Anſeaticas, Venetosque colitis, & „Barneveltium, Galli amicum, in gra„tiam Britanni occidiſtis.

„Verum ſi nondum iſta ſatis cogni„ta ſunt, certe poſt Bohemiæ rebellio„nem dubitare nemo poteſt liberrime „eorum, qui ſub Rege vivunt, erant „Bohemi: inaudita cauſa, inuſitata „barbarie, Magiſtratus ſuos, viros no„bilitate, vitaque conſpicuos, e fene„ſtris præcipitarunt: mox adſunt Ba„tavorum legati, auxilia promittunt, „alios Principes concitant, & ut Rem„publicam faciant, directores conſti„tuunt & ſua authoritate principantur.

„Bohe-

„Bohemis favent & alii sed Principes „ætate, vel judicio infirmiores, quos „æstimare facilius est, quam nominare. „Verum illi secum perpendant. quæ for„ma futura sit suarum ditionum, si Bo„hemia, Silesia, Moravia, Austria, po„pulare regimen instituant, si Ulma, „Norimberga illis consœderentur: non„ne eandem libertatem Amberga, & „Palatinatus Superior amplectetur? „cingent directores illi etiam vicina, & „confisi potentia, adjunctis urbibus, in „Silvas, & ad Indos, suos Principes „abigent. Nunc si ex Ulmensi, & No„rimbergensi Senatu quæras, cur suo „periculo. tantum pecuniæ in perduel„les profundant, Cæsaremque impu„gnent, id sine dubio respondebunt, ut „Democraticæ & Aristocraticæ pote„states firmentur, Anspacensem & „Brandeburgicum, formidolosos esse „vicinos: Palatinum suspectum, sem„per inter Civitates & Principes esse „lites, æmulationes, crebro fuisse bel„lum. Regna urbibus liberis esse ini„mica. Nunc causas Bohemos præ„tendere, cur suo Regi non obtempe„rent, easdem vel speciosiores non de„esse Palatinis, ceterisque, si forte „dubitas, quare ex Norimbergensibus, „Spirensibus, Wormatiensibus velint, „jubeant, Palatinum Principem esse

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„potentiorem? Imo ſuam libertatem, „vicini Principis debilitate, ſe cupere „eſſe firmiorem, reſpondebunt. Hoc „etiam velle fœdus Hollandicum, Hel„veticum Batavicum, habere ſe mul„tas cum vicino lites, æquo jure cum „potentiore diſceptare non poſſe, nun„quam ex Senatoribus ſuis, Syndicis, „aliisque deeſſe, qui poſſeſſiones in Pa„latinatu habeant, qui præmium ab „eo Principe ſperent.

„Civitatum itaque liberarum, ſeu „populorum faciendam confæderatio„nem, id ante annos novendecim cæ„ptum eſſe bello ruſticorum, ſed in„conſulto impetu: nunc Reges Regi„bus, Principes Principibus commit„tendos: donec mutuis cladibus fracti, „continere imperio civitates nequeant.

„Hinc nihil funeſtius videri, quam „Hiſpani, & Franci inter ſe pacem: „hinc Hollandos merito vocare illorum „regnorum matrimonia deteſtabilia: „hinc omnia movere, ut Anglus pa„cem rumpat, matrimonio Hiſpanico „abſtineat. Ipſi Bohemi ne ſuis qui„dem auctoribus, & turbatoribus liber„tatem credunt: quamquam quæ eſt iſta „libertas, a triginta Directoribus Ty„rannis, tributis exhauriri, operibus „fatigari, militibus opprimi. Nec his „tamen, nec Ducibus credunt: nam „plu-

„plures quo imperio collocarunt, & rei „gerendæ ſummam ipſi retinuerunt, „rogatique armatis imperant. Alio„qui hoc norunt Bohemi, Imperato„rem exercitus ſui eum eſſe debere, cui „omnes fidant, qui eos ſub ictu habeat.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Eo vero miſeriarum devenerunt, „ut qui Sereniſſimis Principibus fidere „nolueruut, Spurio Mansfeldio ſubdere „colla ſint coacti, homini bis perfido, „fidei divinæ & humanæ Violatori, qui „ne ipſis quidem parcere in animum „induxit. Peregrinos itaque, & re„rum ſuarum deſperatione facinoroſos „quærunt, quibus in mentem venire „non poſſit, fore quandoque, ut in Bo„hemia regnent. Hoc a Batavis acce„perunt, qui Mauritium, nulla, niſi „quam ipſi dediſſent, potentia fultum „diu in honore habuerunt, ità tamen, „ut Barneveltium potentiorem illi ob„jicerent, tanquam Scipioni Fabium „& Hannoni Hannibalem: at nunc, „poſtquam auctum hæreditate fraterna „viderunt, odiſſe cæperant, atque „exemplo veterum, oſtracismo eje„ciſſent, niſi ille cautior facinus occu„paſſet, & occiſo Barneveltio Magi„ſtratibus ſuæ factionis urbes compe„ſcuiſſet. Nec tamen odia ceſſant, „timorque Servitutis Mauritianæ, & „Britannicæ, cunctos merito ſollicitos

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„habet. Hinc totam turbari Germa-
„niam exoptant.

„Confirmant illa, quæ dixi, & illi,
„per quos ajunt, Principes, & modus,
„quo Consiliarii utuntur. Qui enim
„res magnas in Concilio Principum in-
„timo tractare solent, Monarchiæ &
„Principatui adversi sunt, multorum
„regimen probant, & amant: sunt e-
„nim plerique ex Rebuspublicis oriun-
„di, & ad earum commodum consul-
„tationes instituunt. Quis ignorat va-
„ferrima consilia, cum ab anno nona-
„gesimo in aula Heidelbergica viderit
„Belgarum rebellium patronos Nobili-
„bus & Comitibus interdum anteponi?
„cum exteros meliore conditione apud
„juvenes Principes, quam civium fi-
„lios? Quis nescit, morem esse, ut Con-
„siliarios Principum qualiumcunque sibi
„obnoxios reddere conentur, ut vos
„ad sentiendum, quæ e re Belgarum
„sunt, disponant?

„Denique fere omnibus aulis adre-
„punt, genus hominum, callidum,
„& imperii impatiens, quos vocant Pu-
„ritanos: eos esse tales, Catholici, Lu-
„therani, Reformati, ipse Rex Britan-
„niæ testatur. Hi illi, quemadmo-
„dum Ecclesiasticam disciplinam dissol-
„vunt, ita Monarchiæ sunt inimici, &
„Democratiam inducere satagunt, ab
„illis

„illis itaque ſummum eſt Regibus pe- Sæc. XVII.
„riculum: illi importunitate ſua Hol- A. C 1620.
„landos adegerunt, ut Synodi decretis
„adverſa pars pelleretur.

„Denique, modus, & ratio agendi
„eſt, qua omnem quacunque firmitu-
„dine fundatam, Monarchiam poſſint
„evertere. Tria ſunt tormenta, & vel-
„ut arietes, quibus Monarchiæ funda-
„menta quatiunt: Calumniæ, quibus
„reddunt otioſos Monarchas: Seditio-
„nes, quibus domi eos agitant: bella
„finitimorum.

„Totum orbem calumniis, menda-
„ciloquiisque turbant, qui contra Re-
„ges agunt: Nihil enim magis calum-
„niis objectum eſt, quam facta regnan-
„tium, de quibus libentiſſime male lo-
„quuntur homines, Parentem, Re-
„gem, Prophetam Abſolon filius ca-
„lumniatur: videntur Sermones tui
„boni, ſed non eſt, qui eſt, qui judi-
„cet, conſtitutus a Rege. Id adeo in-
„natum eſt Democraticis, ut in Roma-
„na Republica ne unus quidem tribu-
„nus plebis fuerit, qui non conſules,
„& Senatum criminaretur.

„Materia ampla eſt in regno, quia
„cauſas rerum plerique neſciunt, ideo-
„que culpant tyrannidem Regum ex-
„actiones, portoria, omnia in majus
„extollunt, beneficia ipſa calumnian-

Sæc. XVII. A.C. 1620. „tur, bellum se jactant mendaciis a„lere posse.

„Calumniis addunt facta: quibus „sensim dissolvant potestates: primum „seminando inter subditos odia, suspi„ciones, dissensiones, easque omni o„pe alendo. Quam clarum id sit, o„stendo.

„Multæ in Gallia discordiæ sunt „ortæ, mox qui Regnum illud solvi cu„piunt, & pro uno rege plures regnare „duces, vim potestatis enervem esse „Principum factionem adjuvant, Hol„landi expresse militem suum Regi mit„tere abnuunt, Hassus, Palatinus, qui„bus cum corona, & regibus Franciæ „necessitas antiquitus est, auxilia con„tra Regem missa omnibus viribus ad„juvant, genti plus, quam Regi favent „non ipsi Principes, sed eorum Demo„cratici consultores, qui defendendum „magis Bullionium, quam Borbonium „clamant.

„Quis finis vero, cum Regem in „Ordinem redactum esse, Principes vin„cere peroptent, Consiliarii Principum „Germanorum, Hollandorum Clientes? „Hic unicus, ut dissoluta regia potestate, „Principes inter se collisi, civitatibus „dent occasionem libertatis, quam „nunc quædam in Francia usurpant, „omnes sperant. Quæ enim causa est,

„cur

„cur ſenex ab Batavia adoleſcenti Prin- Sæc. XVII.
„cipi ſuadeat, ut eis, qui regem ado- A. C. 1620.
„leſcentem oppugnant, ſe adjungat,
„niſi ut regem evertat, & Palatinis
„ſubditis oſtendat, quid contra eum
„agere aliquando poſſint?

„Demum nihil uſitatius, ſed nec
„perniciosius, quam Regibus vicinum
„hoſtem quærere, quo frangantur &
„opprimi poſſint. Sic quotidie oculis,
„auditque percipimus, Batavos toto
„orbe, per mare, per terras, ab ortu
„ſolis usque ad Heſperium currere, Regi
„Hiſpaniæ quærere hoſtem, nec illi
„modo, ſed regibus, illi quocunque
„modo cognatis, vel affinibus.

„Venetos contra Ferdinandum quan-
„to conatu adjuverunt, & nunc ma-
„gnis promiſſis animos Bohemorum in-
„flant, totamque Germaniam concu-
„tere moliuntur? certo enim perſuaſum
„habent, ſe, ſi Auſtriacæ domus re-
„gna & provincias in popularem Gu-
„bernationis formam diſſolverint, fœ-
„dusque fidum cum iisdem, Helvetiis,
„Venetis, urbibus Anſeaticis, Impe-
„rialibusque confirmarint, ceteros, tan-
„quam minutos regulos, facile in or-
„dinem redacturos, ditionesque in ſuam
„poteſtatem tracturos. Neque illis re-
„ligio curæ eſt, niſi quantum ad am-
„pliandum imperium utilis eſſe videtur.

„Non-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Nonne omnia acta hoc clamant? cum „Venetis Catholicis, cum Rege Christianissimo fœdera ineunt: Brunsvicensibus Lutheranis, Helvetiis Zwinglianis, Bohemis Hussitis, Picardis „Lutheranis, ex æquo adhærent: domi suos Arminianos, quamvis de ipsis „optime meritos exilio, confiscatione „bonorum, infamia, carcere mulctant. „Quid autem errorum in Arminianis „accusant, nonne eadem docent Lutherani, si quinque puncta controversa „spectes? Quomodo igitur Bohemorum „Silesiorum, Austriorum, aliorumque „fidei sunt patroni, & Evangelicos se „defendere jactitant, cum domi eos, „quos multo in paucioribus errare concedunt, tam inimice persequantur? „Omnia igitur eo referunt, ut Principes, & Reges in Ordinem redigant, „populus, lectique de extremis Subsellis imperent. Hoc ne Evangelici Principes subodorentur, verum periculis „suis securi indormiunt, varios prætextus fingunt, timorem Tyrannidis „Pontificiæ, & Hispanicæ, Religionis „libertatem, spem occupandorum Episcopatuum: ut cum Principes inter se „commiserint, fessis, sauciisque suas „leges, populumque Dominum imponant.„

„Quare

„Quare exurgite o Reges, o Prin- „cipes, jura vestra, Majestatemque de- „fendite, finitimos Reges, Principes- „que tuemini: quod ausi sunt Batavi, „audebunt & Angli: quod ausi Bohemi, „audebunt & Saxones: non deerit „occasio, nec auctor.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Qui rebelles defendit, suos etiam „subditos rebellare docet. Qui exte- „ris Magistratum suum calumniantibus „benignas aures præbet, seditionibus „domesticis januam aperit: si vos re- „belles adjuvando, Regem evertitis, „illi, cum vicerint, subditos vestros in „vos armabunt.

§. XLVIII.

Hungarorum rebellium responsio ad Cæsaris postulata.

Comitia a rebellibus Hungariæ Proceribus Posonii fuisse habita, jam anno superiore meminimus: hoc autem anno die secunda Januarii ad Legati Cæsarei, qui tum præsens Ferdinandi Regis caussam urgebat, propositiones, hæc in responsis dabant. „Cæsari temporibus Mathiæ Imperato- „ris regni Ungariæ onera, ac grava- „mina jam tum fuerunt cognitissima. „Ere igitur fuisset, si quamprimum ab „adita regnorum provinciarumque suc- „cessio-

Ortel. rediv. ad hunc ann. n. 70. Lotich. rer. Germ. l. 4. cap. 7. Londorp. acta publ. l. 4. c. 131.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„cessione, ac gubernatione istis idoneum foret quæsitum remedium. Deinde, tametsi Cæsar ratione condicti intra sex mensium spatium diætam Provincialem aperuisset, nihilominus oneribus, ac gravaminibus ideo medicina facta non fuit. Mandatum etiam Palatino Ungariæ indultum, certis limitibus fuit circumscriptum, ita ut is aliquid tum determinandi potestate, aut autoritate nulla fuerit instructus, ut magis per mandata contraria, civitates metalliferas, finesque regni concernentia his in actionibus sit impeditus. Porro siquidem tum Cæsar duodecim rationes sub fœderationibus pactas insuper habuit, immo vero contra solemnem ordinum protestationem precesque, ac contradictionem, copias partim e regni fortalitiis, in finibus positis, partim e ceteris locis adversus provincias confœderatas eduxit: imo exercitus, copiasque Ungaricas alienas in provincias eductas, non absque nationis illius insigni mœrore atque despectu, immissis propriis agminibus laniari, ac contrucidari passus est: literas insuper legatosque a consœderatis suis in Ungariam missos, directosque intercipi, opprimique ante curavit, necnon per Clericos in Superiori diæta provinciali

„arti-

„articulos propositos, non obstante Or- Sæc. XVII.
„dinum protestatione, ac reclamatione A. C. 1620.
„postposita publicatione solita, annihi-
„lari permisit: his aliisque de causis
„Ungari, rerum suarum satagentes,
„desperatis mediis, ac remediis mitio-
„ribus, Transylvaniæ Principem tan-
„quam Patronum, atque auxiliatorem
„implorarunt. Eodem tempore forta-
„litia regni in finibus posita a Cæsare
„defecerunt, Salariis, præmiisque pror-
„sus deficientibus, ac necessitate ulti-
„ma aliud exigente, (quæ pene, militi-
„bus præsidiariis alio eductis, desti-
„tuta, atque orbata esse contigerat.)
„Ut igitur pro hac Transylvaniæ Prin-
„cipis, ipsis declarata necessitatis tem-
„pore prompta voluntate gratum, me-
„moremque contestarentur animum,
„certas Principi jam tum obtulerant
„conditiones, a quibus recedere sibi
„non amplius foret integrum. Pari
„ratione, quam cum Bohemis paulo
„ante confœderationem iniissent, sar-
„tam tectamque sibi conservandam esse
„putant. His omnibus accedit, modo
„a Polonis irruentibus Ungariæ parti-
„bus non infimæ notæ damnum esse il-
„latum. Id quod nisi Cæsar gratum
„haberet, nunquam Poloni ausi fuissent.

„Viderent igitur, & cognoscerent
„legati Cæsarei, propositiones Cæsaris
„no-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„nomine modo factas, nimis sero, at„que ut dici amat, post principia inter„venisse. De cetero, si quid in man„datis habent, viamque monstrare „queunt, qua pax introduci, Christiani „vero Sanguinis profusio, ac laniena „prohiberi possit, utique vel hoc sine „mora in medium afferant.

Hac pari cum Bohemis audacia & temeritate Hungari Calvini secta imbuti ac de futura Christiani sanguinis profusione parum solliciti exemplum & ceterorum rebellium imitationem edita ut vocabant, Apologia suæ a Ferdinando Defectionis caussas attulerunt sequentes. I. Electio Ferdinandi Ar„chiducis in Regem Ungariæ multis „modis fuit suspecta, coactaque. II. Pari „atque inverso ordine, regni Guber„natio inita, susceptaque fuit. Deni„que adversus regni leges, pacta, ac „conventa, variis, ac multiplicibus „modis actiones institutæ, inprimis fi„des, rerum, ac contractuum omnium „vinculum, violata est.

§. XLIX.

Fœdus inter Hungaros & Bohemos, ceterasque rebelles Provincias.

Merc. Gallob. tom. 13. l. 1. & 2.

Quoniam vero occulatiores Hungari hosce perfidiæ suæ obtentus nimium infir-

infirmas esse cognoverant, hinc majorem eisdem auctoritatem inito cum ceteris rebellibus fœdere conciliare nitebantur: Ea ex caussa in iisdem comitiis cum Bohemiæ Oratoribus, aliisque unitarum Regionum legatis societatem, ut vocabant, *æternam* iniere, quamvis hæc *æternitas* vix ad unius anni terminum progressa fuisset. Novi autem hujus fœderis articuli erant sequentes. I. Fœderati piam vitam a„gerent, peccata & flagitia omnia pu„nirent, & justitiam omnibus absque „omni religionis respectu administra„rent. II. Fœderationem modis „omnibus extendere & amplificare ni„terentur. III. Defensionis negotium „universale, & perpetuum esset, ea„que necessitate postulante omnibus uti „liceret. IV. Defensio ista contra om„nes omnium fœderatorum hostes ad„hiberetur. V. Discedere a fœdera„tione ista volentem & Socios in peri„culo vel deserentem, vel oppugnan„tem vel quidcunque contra fœdus mo„lientem reliqui oppugnarent, in ordi„nem redigerent, & sumptuum refusio„nem ab ipso postmodum repeterent. „VI. Sine unanimi omnium fœderato„rum consensu bellum nemo inchoaret, „militem conscriberet, in regnum pro„vinciamque adduceret, transitum al-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Latich. l. c. Bellus laur. Austr. l. 3. pag. 319. & 320.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„teri permitteret, aut expeditionem „ullam faceret. VIII. Pax cum hoste, „nisi cum omnium consensu nulla tra„ctaretur, aut fieret. VIII. Qui fœ„derationem promovissent, & auxilium „fœderatis in necessitate aliqua præ„stitissent, eorum nomina tractationi „isti pro majori salutis, & bonorum „suorum assecuratione inserrerentur. „IX. Qui propter hoc fœdus vel exci„dium, vel infortunium aliquod passi „essent, illis satisfactio a regno vel „provincia communi tanta præstaretur, „ut se suosque pro dignitate, & con„ditione sua sustentare honeste possint. „X. Quod privilegiis, & juri uniuscu„jusque provinciæ contrarium a quo„cunque Magistratu imperatum decre„tumve esset, non acceptaretur, nec „ulla ei obedientia præstaretur. XI. „Litibus dirimendis, controversiis com„ponendis, & caussis fœderatorum di„judicandis, atque ad alios referendis, „certi quidam judices constituerentur. „XII. Ubi contigerit, ut fœderato„rum aliqui bello petantur, provincia „altera alteri subveniret, milite in tres, „pluresve partes distributo, & parte „aliqua pro sua defensione retenta. „XIII. Si plures fœderati bello simul „petantur, provincia quælibet ad fines „suos militem adduceret, & disponendi

„de

„de eo potestatem Generali præfecto „relinqueret. XIV. Fœderatio hæc „perpetua esset, & ad posteros trans„mitteretur, capitibus ejus ubique pro„mulgatis, & publice prælectis. XV. „Quinis semper annis certo loco & tem„pore conventus pro controversiis, & „gravaminibus fœderatorum compo„nendis, & abrogandis fœderisque hu„jus capitibus instaurandis instituere„tur. XVI. Fœderatio hæc nemini „præjudicio esset, nec quidquam alicu„jus privilegiis, juribus, & consuetu„dinibus derogaret, sed omnia omni„bus confirmaret, & conservaret.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Ad hanc armorum societatem Protestantes Hungari non modo ceteros omnes, qui in Austriacæ Domus ditionibus versabantur, Hæreticos alliciebant, sed etiam de opportunis Turcas sibi aggregandi mediis egerunt. Tandem vero hujus fœderis nuntio die nona Januarii Pragam delato Fridericus Palatinus lætitiam inde conceptam tormentis festive explosis prodebat: quo autem spectaret hæc armorum societas, Achatius de Dona in sua ad Anhaltinum epistola sat aperte declarabat, fassus, *Bethlenii & fœderatorum consilia ad extirpandum Papismum collimare, huicque eorum intentioni Sultetum quoque Aulicum Concionatorem suf-*

Mem. hist. de l'hist. d'Autrich. t. 2. p. 210.

Cancell. Anhalt 5. Nov.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

suffragari, cum Gaboris Zelum, dictumque fœdus immodice deprædicasset, atque exemplo Salomonis, & & Hyrami Regum confirmari non erubuisset: Ita nempe hi Nebulones Dei Verbo ad suas impietates abuti non reformidabant. Ceterum hæc pacta die vigesima quinta Aprilis Pragæ solemni juramento, seu potius perjurio firmata fuere.

§. L.

Cæsaris responsum ad falsas Hungarorum accusationes.

Bellus l. c.

Postquam vero Cæsaris Legati temerarias Hungarorum propositiones Viennæ exhibuerant, Ferdinandus paterna potius clementia, quam regia auctoritate hæc eisdem responderi jussit: „Miror vehementer, qua ratione „Hungarorum Procerum nonnulli sine „omni caussa odium in me conceperint, „cum tamen horum neminem offende„rim, nec illorum libertatem infringe„re, unquam intenderim, sed potius „mea gratia illis liberaliter sæpiusque „oblata, me quoque eorum gravamina „pro posse sublaturum, spoponderim, „nilque magis cordi habuerim, quam „Majorum more pacem & concordiam „in universo Regno propagare, illud„que

„que a jurato Christianæ Reipublicæ „hoste tueri: taceo cetera vobis præ- „stita beneficia, grato autem animo „recollite, quam paterna sollicitudine „Austriaca Domus, & præcipue Ca- „rolus V. & Ferdinandus I. Hungariæ „Regnum adversus Turcicos insultus, „non sine proprio ditionum, sanguinis, „honoris & bonorum dispendio defen- „derint, quorum exemplum omni data „occasione sequi, vosque usque ad po- „stremam sanguinis guttam tueri para- „tus sum: quocirca ut deinceps Chri- „stiani cruoris profusio, aliaque mala, „in quæ vos pacis osores inducere ten- „tant, præpediantur, ad pristinum ob- „sequium reverti festinate.„ Verum hæc Cæsaris monita nihil profecere apud Calvini affeclas, quos sua secta dominationis præsertim Austriacæ impatientes reddidit, & nescio, quam effrænem magis impietatem audaciamque sanguinariam suis cultoribus inspiravit.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LI.

Induciæ Cæsarem inter & Hungaros pactæ.

In iisdem Comitiis Gabriel Bethlenius sui nequaquam oblitus, apud Hungariæ Proceres tantum effecerat, ut inte-

Brachel. Hist. l. 1. Merc. Gallob. tom. 13. l. 1. q. 211.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Carafa com. de Germ. Lotich. l. c.

interim Hungariæ Princeps & Tetrarches ſalutaretur: cum vero aut Ragotiana ſuorum clade territus eſſet, aut inſita ſibi mentis inquietudine mox bella mox pacem exoptaret, per Forgatſchium aliosque ſuos Oratores Cæſarem Viennæ de concordia tandem ineunda die decima octava Januarii compellari juſſit. Erat eo tempore Cæſar hoſtibus undique cinctus, Auſtriacis ad Occidentem, Bohemis ad Orientem, Moravis & Hungaris ad Meridiem eum prementibus, ne ergo omnibus hoſtibus una reſiſtendo impar eſſet, pace aut ſaltem induciis agi conſenſit: Hanc in rem ex Hungaricis legatis Valentinus Lepeſius Coloccenſis Archiepiſcopus & Thomas Nadaſtius, ex Auſtriacis vero convenerant Leonardus Meggavii Comes & Seifridus Preiner. Horum conſiliis Bohemiæ Fœderatæ legati ac præcipue Turrianus Comes Senior vehementer obſtiterant, clam & palam ope ſumma contendentes, ne Cæſarem inter & Hungaros unquam pax fieret: nihilominus re maturius ponderata ambæ partes in has leges conſenſere. I. „Tam per Hungariam „quam per provincias finitimas, ipſum„que Poloniæ regnum, ceſſatio armo„rum indiceretur, induciis usque ad „ferias Divi Michaelis durantibus. II. „Stan-

„Stantibus induciis Status Ungarici re- Sæc. XVII.
„gni, prout nunc eſt, eodem tenore A. C. 1620.
„continuaretur, ita, ut quæ ſub Im-
„peratoris ſunt poteſtate, manerent
„ſub ea, quæ vero Bethlenus occupaſ-
„ſet, ſub ejusdem manu eſſent. III.
„Pariter Dynaſtiæ, arces, oppida, for-
„talitiaque a Bethleno intercepta in-
„terea ſub eodem eſſent. IV. Secun-
„dum hæc conventus per Ungariam
„apud Neoſoliam conſenſu Imperatoris
„proxime indiceretur. Ad quem tan-
„tum non Palatinus, ſed Ordines regni
„ceteri comparere obligarentur. V. In
„hoc autem conventu de diſſenſionibus,
„gravaminibusque mutuis e medio re-
„movendis inter Imperatorem Clericos-
„que ab una, atque inter Ordines regni
„ex altera parte hactenus intervenien-
„tibus ageretur. VI. Interim commer-
„cia per illud regnum, dictasque pro-
„vincias, libera forent. VII. Poloni-
„cæ vero turmæ atque excurſiones in
„regnum Ungariæ omnino cohiberen-
„tur. VIII. Hæcque ita pacta, atque
„transacta utrinque fide ſincera, opti-
„maque ſarta tecta præſtarentur.

Obſervandum venit, quod Scriptor Mercurii Gallo-Belgici hiſce articulis *Bohemiam* quoque, necnon *Religionis & conſcientiarum libertatem* fuiſſe comprehenſam, ut Cæſarem violatæ trans-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

actionis postulare posset, subdole asserat, cum tamen de utraque hac conditione apud ceteros Historicos coævos altum sit silentium.

§. LII.

Fridericus Palatinus ad Moravos, Silesios, aliosque homagii exigendi caussa profectus.

Lotich rer. Germ. l. 4. cap. 17. Bell. Laur. Aust. lib. 4.

Hæ induciæ haud parum disturbabant Palatini Electoris consilia; Cæsar enim Hungarorum metu liberatus, totam belli molem in Bohemiæ rebelles transferre cogitabat, jamjam ex Polonia, & Belgio militum suppetiis auctus: Fridericus igitur, veritus, ne Provinciæ Bohemis annexæ Ferdinandi Regis sui monitis ad officium redirent, exeunte Mense Januario unacum Fratre suo & Cataphractorum legione Praga in Moraviam progressus est, & Nobiles, civesque una omnes in verba sua adegit, excepto Carolo Tscherotino, qui tantam perfidiam diu detestatus, tandem minis cedere coactus est, inde Fridericus Wratislaviam perexit comitia ibidem indicturus, ubi tamen a Cæsareis oppressus, vixque fugiendi viam nactus, in eorum manus prope venisset: hoc nihilominus periculum eluctatus, urbemque ingressus

ſus Canonicis, Clericisque eum roganti- Sæc. XVII.
tibus, ut ſuis illos juribus uti frui per- A. C. 1620.
mitteret, paucis reſpondit: *ædes veſtras, Regio more, inviſere cupio, Privilegia confirmabo, confirmata habetote, dummodo ſitis fideles.* Poſtea præſtito homagio a Sileſiæ Ordinibus pecuniarum ſubſidia & armorum ſuppetias ſollicitabat, *ut hoſtis*, ſcilicet Cæſar, *e Provinciis ſuis profligari, bellique ſedes alio transferri poſſit.* Hac ratione expugnati Ordines hoc anno quadraginta pro menſæ Regiæ ſubſidio, totidemque ſingulis annis, præter alia ſexaginta thalerorum millia in belli ſumtus decrevere. Rebus igitur apud Sileſios ex ſententia confectis Fridericus Luſatias quoque *Merc. t. 11.* adire deſtinaverat, ſed itineris pericula *lib. 1.* veritus, Miniſtros ſuos eo decernebat, juratam fidem obſequiumque exacturos: his vero Luſatii reſponderunt, *ſi Fridericus, quemadmodum a Moravis & Sileſiis, ipſemet præſens ſacramentum excipere dignatus fuiſſet, tunc ſe quoque, quæ ſuarum eſſent & partium & officii haud fuiſſe præterituros: nunc autem privilegii perantiqui favore inhiberi, ne cui Regi duntaxat per Delegatos præſenti, ſubjectionis fidem jurejurando exſolverent.* Oratores hoc reſponſo accepto Wratislaviam re infecta reverſi ſunt, Palatinus vero Pragam: nihiloſecius poſtea Luſatii pro

Sæc. XVII. A.C. 1620.

ingenita animi mutabilitate Palatino contra Cæsarem aliquousque velificabantur. Sub idem tempus Fridericus Wenceslaum Kinskium Baronem ex arce sua captivum Pragam abduci jussit, eoquod subditos a celebrando Joannis Hussi festo prohibuisset, Templumque cum suis ingressus Prædicantem & quosdam rusticos verberibus male multasset, etsi ipsemet vicissim ab illis pessime affectus ad arcem confugere coactus fuisset.

§. LIII.

Cæsaris edictum contra electionem Friderici in Bohemiæ Regem.

Lotich. l. c. l. 5. cap. 1. Merc. t. 13. lib. 1. Barre Hist. d'Allemagne Londorp. acta publ. l. 5. p. 754.

Cum vero Cæsar Friderici, ac rebellium pertinaciam magis magisque invalescere, suaque Regna & Provincias, qua late patent, bellorum incendio conflagrare cerneret, ne suo silentio seditiosos ausus, Majestatisque suæ contemptum approbare videretur, die vigesima nona Januarii novam Palatini electionem omni juri adversam, proin irritam declarabat, edito ac publice affixo diplomate, cujus summa hæc erat: *Tametsi nequicquam dubitemus tam extra quam intra hujus Imperii fines abunde innotuisse omnibus, in*

quem

quem miserrimum statum Bohemiæ regnum nostrum utique Romani hujus Imperii Electoratus, & membrum præcipuum, una cum Provinciis Sociis, aliisque hæreditariis Ducatibus nostris devolutum fuerit, quibusque hostilibus inibi excitatis motibus atque excessibus insontes nostri subditi hactenus affligi cœperint: interim, quo vera istorum motuum Origo tanquam a fonte cognosci, contrariis vero ex adverso opinionibus, persuasionibusque occurri queat, paulo altius, penitiusque tumultuationis istius tela retexenda erit. Itaque sic sese res habet. Temporibus Muthiæ Imperatoris utique pariter Bohemiæ regis contigit, ut quidam Bohemicorum Procerum sub colore, ac prætextu Religionis, tanquam adversus eorum privilegia, literasque dictas Majestaticas, aliquid passi essent, in absentia Cæsaris furore inusitato, inauditoque perciti, Vicarium aliosque Cæsareos consiliarios viros præcipuos de facto e fenestris præcipitarint, in arma primitus descenderint, Cæsareos ceteros Consiliarios, atque Ministros aulicos invito, atque insalutato Imperatore ab officiis recedere jusserint, regni jura ac regalia invaserint, novas regnandi leges præscripserint, adeoque e numero suorum omni Imperatoris Regisque sui respectu, ac reverentia procul exclusis, Directores, qui regno præessent, elegerint. Hoc modo cum limites allegatæ Religionis defendendæ (modo illis

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A C. 1620.

illis vigore literarum Majestaticarum, defensio ulla indulta ac concessa sit) longe excesserint, utique tam libidinosa subditorum attentatio nihil aliud, præterquam mera & vera erga Dominum ac Magistratum suum perduellio censeri debebit. Interim quantum ad gravamina in Apologetico Ordinum, sub utraque dictorum publicata attinet, ea quidem, utut sese habeant, in medio relinquimus, non ignorantes, quantum privati alicujus hominis errores ac delicta, supremo Magistratui præjudicare possint, cum institutum nostrum haud quidem sit, eorum, quæ ante nos, absque nostra etiam culpa, contigerunt, caussam facere nostram, ut ea nobis etiam de jure imputari haud æquum sit. Quo nomine ab omnibus bonæ ac Germanæ mentis amantibus, nobis promittimus, haud dubitantes, eos omnes e continuis hucusque motibus bellicis, eorumque typis evulgatis documentis didicisse, quam juxta divinas humanasque ac fundamentales Imperii leges, inconveniens, atque absonum sit, exclusis mediis mitioribus omnibus, eo extremæ proterviæ ac temeritatis prorumpere, patriam universam superinductis cædibus, ac lanienis in ultimam perniciem præcipitare, contraque Magistratum factiosis, ac rebellibus armis insurgere, eumque nolentem-volentem in ultionem, ac vindictam perduellibus debitam pertrahere velle. Esto enim in literis Majestaticis allegatam sese defendendi

di Licentiam primitus indultam, postmodum vero abrogari cæptam esse, immo vero omnes vias, quibus ad jus suum pertingerent, intercipi contigisse, nihilominus eum in eventum valde adhuc incertum, dubiumque, minime defuturi fuissent tam Electores, quam Principes præcipui, qui quidem pro Bohemis, eorumdemque juribus intervenientes haud quaquam passi forent, rem hanc ad ultimam devolvi calamitatem.

Sæc. XVII. A.C. 1620.

Posteaquam ergo a Directoribus de facto creatis, eorumque complicibus, præeunte sanguinario fœdere, hoc actum est, ut post præcipitationem Vicarii reliquorumque Consiliariorum Cæsareorum Ordinibus fidelibus eo inusitato facinore, ac spectaculo terror incuteretur, illique ad omnia deinceps licentius perpetranda sibi firmius devincerentur, licet in arma hostilia ruere, copias conscribere, confœderationes augere, omniaque aut pleraque seditiose agere cœperunt, quo Ordines pariter reliquos, tam sub utraque, quam sub una dictos opprimere, pœnam perduellibus debitam effugere, adeoque consilia sua nimis funesta jam pridem clam agitata palam in effectum deducere valerent. His, aliisque de caussis sine dubio gravissimis Imperatoris partes illæ fuerunt, hanc rabiem utpote quæ, excussis omnium legum repagulis, insuperque habitis tot paternis admonitionibus de die in diem serpere, adeoque contagio, ac virulentia sua, etiam pro-

Sæc. XVII. A. C. 1620. *provincias hæreditarias corrumpere perrexit, ulterius inultam haud ferre, sed justo armorum apparatu retundere. Nihilominus, tametsi jam etiam in armis Cæsareæ Vires crevissent, satisque copiarum esset libidinationem ac temeritatem Bohemorum infringere, in ipso tamen bellici apparatus æstu Imperator clementiæ, ac humanitatis suæ memor, cædesque tot insontium hominum toto pectore aversatus, Imperii Septemviris, ac Principibus hoc in mandatis dedit, viderent nimirum, atque interpositione sua tanquam arbitri efficerent, quo utrinque positis armis mutuam in concordiam, ac gratiam redire liceret. Sed quam iniqui immorigerique præter omnem expectationem tum fuerint Bohemi, quamque absurdas conditiones extorquere tentarint, publicis codicillis, ac diplomatibus in lucem editis, sufficienter constat. Interea Mathia Cæsare satis concedente, atque vigore coronationis regiæ, præstitique a Regni Bohemiæ adjunctarumque Provinciarum Ordinibus, homagii regia regni illius Bohemiæ reliquorumque Principatuum successio ad nos pleno jure est devoluta: Ecce! neque tunc aliquid in nobis desiderari passi sumus, quin imo licet sine mora, regiæ capitulationis memores intra mensem Confirmationem legum provincialium Burggravio superiori tradi curavimus, annexa sub hac conditione, nos provisuros, quo pax in regnum Bo-*

hemiæ

hemiæ reduci, ac confirmari, justitia pari- Sæc. XVII.
ter omnibus erogari possit. Tametsi igitur A. C. 1620.
neque ad hanc nostram clementem animi significationem vel subditi illi nostri rescripserint quidem, nihilo secius prædictam privilegiorum confirmationem, prout illa a Mathia Imperatore prædecessore nostro facta esset, per quemdam cursorem Pragam in duplo ad Burggravium Superiorem emisimus, simulque literis incolas Pragenses tam Dynastas quam equestris, & civilis Ordinis compellavimus, riteque illis intimari fecimus, nequicquam dubitantes, fore, ut & ipsi subditi reciprocam erga Regem suum solemnissime creatum, submissionem essent declaraturi. Verum enim vero contraria evenere omnia. Literæ enim confirmatoriæ tantum non a refractariis istis admissæ sunt, ut etiam inducias propositas, militique nostro indictas repudiarint, etiam ad petita nostra, dum arbitros quosdam atque delectos, pacis redintegrandæ igitur ad nos emitti postulavimus, ne rescribere quidem dignati sunt. Ecce! igitur furiosorum more per totius regni fines conclamare, milites delectu probare, Ordines Moraviæ ad defectionem sollicitare, eorum copias defensionis ergo collectas ad se pertrahere, Prinam civitatem subito invadere, in eaque Capitaneum Provincialem, aliosque ministros male exceptos in custodiam arripere, Olmütium regionis

metro-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

metropolim de facto occupare, Senatum loco movere, in æde Basilica novum Religionis exercitium introducere, Clericos ejicere, bona Ecclesiastica compilare, homines Monasticos votis absolvere, provinciæ Proceres juramenti ac fidelitatis suæ satagentes instar patriæ proditorum proscribere cœperunt.

Neque vero istis furor acquievit. Sed postquam bellorum incendia per Moraviam posuissent, etiam seditione Austriam inflamarunt. Inde Laam civitatem in finibus obsidione cinxerunt, inde mox temerario conatu ad Viennam moverunt, arcemque Cæsaream, atque Archiducalem nostram, tormentorum explosionibus petierunt. Quo igitur animo hæc omnia singula suscepta sint, bonæ mentis amantibus dijudicandum relinquimus. Istis superaccedit, sæpe nominatos Bohemos apud diætam Imperialem Francofurtensem, ad quam ordine, & ex lege vocati eramus, electoralem nostram sessionem, votum ac suffragium per delegatos suos in dubium vocare conatos esse, absque consensu nostro subditos nostros hæreditario jure nobis devinctos, in sua verba jurare jussisse, adeoque ad novam electionem regiam, omnis juramenti, fidei, ac respectus oblitos, dum nos Septemvirorum Imperii unanimibus suffragiis ad supremam hujus Imperii, Imperatorisque dignitatem proveheremur, temere progressos esse. Adde, quod ab

ab electione & coronatione nostra Cæsarea minime cessarint Ungaros eandem in seditionem pertrahere, Bethlenumque evocare, qui tum Caschoviam fortalitium, totamque Ungariam Superiorem occupavit. His peractis cum exercitu ad Viennam regressi, id, quod diu ante in animis habuerant, efficere tentarunt. Sed ab exercitibus nostris repressi de novo hæreditarias nostras provincias cædibus, rapinis, atque expilationibus vastare cœperunt. Ad summam, adversus legitimum suum Magistratum, absque ulla data acceptaque offensa tam quidem diris modis, atque excessibus sævierunt, ut crudelius ne potuerint quidem, Inprimis vero hæc consilia, hæc facinora per Directores, quos nominant, eorumque complices nata sunt. Isti enim absque dignitatis Cæsareæ regiæque respectu ullo atrocibus injuriis, ac calumniis, insurgere, regiam nostram electionem, coronationem ac publicationem infamare, super regia stipulatione tanquam a nobis neglecta, pactisque tanquam in regni præjudicium a nobis introductis multa & perversa seminare non destiterunt.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Quas inter calumnias, ac sugillationes brevi post tempore eo extremorum res recidit, ut eversis legibus patriæ fundamentalibus octingentorumque annorum continuis observationibus, regni novam formam, novamque faciem sua pro libidine

Sæc. XVII. A. C. 1620.

cudere perexerint. Neque enim Sanctiones illæ Carolinæ insuper (Auream Bullam vocant) illique annexæ Friderici II. Imperatoris Privilegiorum declarationes ab id genus novatoribus tutæ fuerunt, ut jam demum post ducentorum, & septuaginta duorum annorum interstitium in dubium vocari debuerint. Usque eo enim rabies seditiosorum processit, ut etiam famam laudatissimi illius Imperatoris, pariterque Bohemiæ Regis, immo rerum Bohemicarum exaltatoris lacerare comperti sint, tanquam ille Bohemorum privilegia in gratiam posterorum, ac hæredum suorum detorsisset, latiusque, quam de jure & lege Bullæ Carolinæ facere potuerit, extendisset, cum tamen privilegium illud consensu Electorum Imperii, omniumque Bohemiæ Ordinum latum, ab ordinibusque receptum sit, ut supinam istam refractariorum nostrorum subditorum proterviam non satis admirari, sed perhorrescere liceat.

Quanquam autem neque hoc unquam præcogitare, nedum sperare potuerimus, per hos istos motus seditionis, ac manifestæ perduellionis plenissimos, fore, ut aliquis hujus Imperii Princeps, (cui æque subditi forent, utique a quibus dubio procul motus seditiosos ejusmodi libenter minime gentium expectare vellet) absque legitima caussæ cognitione hanc perduellionem approbare, Domus,

mus, ac familiæ nostræ jura privilegiaque Sæc. XVII.
involare, adeoque de facto tentatam, fa- Sæc. 1620.
ctiosamque novam electionem regiam in se recipere esset ausus, nihilominus contra tam nostram, quam ceterorum Imperii Electorum opinionem dehortationemque idipsum usuvenisse constat.

Cum igitur vel inter Turcas, Tartarosque Regibus, ac Magistratibus sua constet dignitas, atque subditorum obedientia, hi vero (Bohemi) perduelles omnem obedientiam, submissionem, jusjurandum ac fidem datam ejurarint, tum Palatinus contra manifesta jura leges fundamentales, pacisque transactiones, ac Sanctiones novo perniciosoque exemplo regnum nostrum invaserit, subditos perduelles juramento nobis obstrictos, in sua verba jurare jusserit, bonique ordinis, legum, ac pietatis limites transgressus fuerit, nihil dubitamus, Deum optimum Maximum transgressionis illius futurum vindicem: ceteros vero tantum non Christianos Reges, Principes, ac Magnates, sed etiam Turcas, Tartarosque, ac ceteros Barbaros Potentatus enorme, atque irregulare istud factum, omnes singulos detestaturos esse. Quo colore enim Palatinus inusitatum, horribilemque, id genus procedendi modum colorare possit, ipse viderit. Iste enim nos antea pro coronato, & legitimo Bohemiæ Rege ipse habuit, ejusce dignitatis intuitu ad electionem Regis

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Romani ipse admisit, ipse ab initiis motuum Bohemicorum sese, tanquam arbitrum modo non obtulit, sed continuo opere præbuit, ipse codicillis ab Electorum Collegio in caussa Bohemica decretis subscripsit, ipse nedum verbis, nedum factis a nobis læsus, aut lacessitus est. Ut ut igitur hæc libidinatio istius, atque id genus complicum stare, ac defendi possit, eventus dabit. Certe divinam vindictam, quam factis atrocibus in sua capita irritarunt, effugere haud quidem poterunt.

Interim, ne silentium in consensum, aut præjudicium trahi contingat, aut electio, coronatioque nostra in Bohemiæ Regem in controversiam, aut dubium vocari possit, proinde ex potestate Cæsarea, Regiaque amplissima, plenissimaque, summoque jure novam factiosamque istam electionem, coronationemque Bohemicam, illiusque regni nostri inde procedentem occupationem ac detentionem solemnissime impugnamus, damnamusque, immo annihilamus, atque expungimus.

Ex adverso nobis, laudatissimæque nostræ familiæ omnia juris armorumque media, ac beneficia, ipsamque realem vindicationem necnon juxta Imperii Regnique Bohemiæ constitutiones, in perduelles pœnarum, ac suppliciorum irrogationem omni meliori modo verbis conceptissimis reservantes. Deum quapropter, universumque

que mundum testamur, prout hactenus nihil prius, atque antiquius habuimus, quam ut pacem deperditam per regna, & provincias nostras restauraremus, subditosque nostros ab interitu, ac flebili ruina vindicaremus, immo etiam regna, provinciasque, temerariis ausibus interceptas recuperaremus, illud ipsum, inquam, propositum adhucdum & deinceps nobis unice curæ futurum esse. Ex adverso ægerrime nobis accidit, hactenus ex culpa seditiosorum hominum, utpote qui sub Religionis fuco rebellionem colorant, multa atque innumera in subditos nostros damna, atque infortunia detorta esse. De quibus sancte protestamur, nos ab id genus cædium, lanienarum, ac calamitatum, immunes esse, caussamque ultimis illis calamitatibus dedisse nullam, ut ad ea saltem, ad quæ summo Magistratus ex officio obligamur, respexerimus.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Esto etiam, nos unius alicujus impotentiæ, sive criminis hoc in passu convinci, aut meminisse, posse, sancte condicimus, ac promittimus, nos oppido erroris illius pœnitentiam emendaturos, neque ex Ordinibus quenquam adversus privilegia sua gravaturos esse. Neque minus porro contestatum esse volumus, sicubi a copiis, atque exercitibus nostris contra leges militares delinqui, subditos dispoliari, insontes necari, feminas, Virginesque incestari, aliisque excessibus peccari contigerit, ista omnia tan-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

quam contra omnem intentionem nostram evenientia, nos ad animum altius admittere, atque sic affectos esse, ut si modo quærellæ super id genus facinorum ad nos in tempore fuissent delatæ, vel adhuc deferri contingeret, nos justis suppliciorum generibus non tam in gregarios, quam Officiales milites cum rigore animadversuros esse. E diametro & vice versa ad id obligati tenemur, neque a quoviscunque hoc nobis vitio verti debet, quod regna ac provincias nostras cum omnibus pertinentibus, contra omnes omnium injurias asserere, in iisque suscitatos perduellionis fomites omni vi, atque industria extinquere, subditos miserrime oppressos in pristinam libertatem reponere, per vim, ac media illicita regiones ablatas, vi mediisque licitis recuperare, ad summam, nostra familiæque nostræ laudatissimæ jura, libertatem, ac privilegia ad ultimam usque sanguinis guttulam vindicare annitimur.

Quandoquidem igitur caussam foveamus abunde justissimam, res ista subditos perduelles in Cæsarem, Regemque suum armis hostilibus insurgere, omniaque barbaricis excessibus replere, deplorati, ac pessimi omnino exempli futura sit, divini inprimis Numinis auxilium minime nobis defuturum esse certo confidimus. Deinde vero, cum communis omnium Regum Principumque caussa hic vertatur, speramus fore, hæc ut perduellio, & temeritas subditorum omnibus

bus ad unum Regibus, Ducibus, Principibus, Magistratibusque, prorsus, & cum abominatione displiceat. Sæc. XVII. A. C. 1620.

Ad Electores denique Imperii hujus quod attinet, cum, quoad novam istam & factiosam electionem Bohemicam autoritas, honor, ac dignitas illorum patiatur, humanissimis verbis ab ipsis contendimus, ut illi tanquam in necessaria & communi caussa nobis assistant, atque opitulentur: e contra a nobis tam quoad res Ecclesiasticas, quam politicas Cæsaream protectionem, præsidiumque sibi promittant. Ita in eo, ut ajunt, clivo labor noster sudabit, quo omnis animorum diffidentia rescindi, ex adverso sincera pax & concordia per omnes regiones tam redintegrari, quam conservari sustineat.

Eodem tempore Cæsar Henricum Julium Saxen-Lavenburgicum Principem sibi fidum, necnon Hieronymum Elveranum aulicum Senatorem Vienna ad quinque reliquos Imperii Electores, Christianum IV. Daniæ Regem, Principes Saxonicos, & Respublicas ablegabat, ut Cæsarei hujus diplomatis exemplar iis traderent, eademque opera cum ipsis agerent, quatenus injustæ caussæ favorem, si quem forte conceptum animis tenerent, ex hinc demitterent, e contrario autem Cæsareæ Majestatis honorem per summum nefas a subditis læsum vindicarent. Ex his

Sæc. XVII. A. C. 1620

his Principibus nonnulli iniquam rebellium caussam se nunquam promoturos, quin tamen æquam tueri vellent, pollicebantur; ea enim tum erat temporum iniquitas, ut quorumdam censeri beneficium posset, non nocuisse: Daniæ etiam Rex Cæsarem ad maturandum Principum conventum hortabatur, quæcunque ad contestandam sinceram amicitiam pertinere viderentur, nunquam intermissurus. Idem quoque pollicebatur Ulricus Fridericus Brunvicensis Dux, dummodo Cæsaris, ac fœderatorum arma nequaquam recuperationem bonorum Ecclesiasticorum, sed duntaxat licitam Cæsaris defensionem spectare, comprobatum esset.

§. LIV.

Suppetiæ ab Angliæ Rege Friderico promissæ.

Jæger Hist. Eccles. Barre l. c. Rapin. Hist. d'Angl. l. 18.

Parem moderationem haud quaquam Friderico Palatino Electori inspirabat usurpati sceptri gloria, necnon aucta per subsidiorum spem pertinacia: quocirca vilipenso Cæsaris edicto Jacobum Angliæ Regem Socerum suum vehementer sollicitabat, ut suæ caussæ patrocinari, eumque auro & milite pro viribus adjuvare vellet. Verum Rex, quod se inconsulto Fridericus Bohemicum

Sæc. XVII. A. C. 1620.

cum diadema ambitiose acceptasset, vehementer indignatus, sollicitante potissimum Hispani Regis Oratore declarabat, quod adversus Domum Austriacam, a qua nullatenus offensus fuisset, arma capere nollet, præcipue ubi arctum fœdus per filii sui nuptias cum Cæsare inire meditaretur, aliunde vero Bohemi Friderici opera haud aliter uterentur, ac vulpes illa, quæ fellis cauda ad castaneas igne removendas usa fuisset: Nihilominus eorum, qui Friderico favebant, præcipue Donavii Palatini Legati importunitate devictus Rex indulsit, ut præter honorariam militiam bis mille quadringenti Angli ductore Horatio Verio ad Palatini castra deducerentur. Postea Generi sui electionem comprobans, cunctos, eum in Bohemia vel Palatinatu infestantes, pro hostibus suis habiturum declarabat, ac viginti millium exercitum conscribi jubebat. Nec minus valida adhuc auxilia Fridericus sperabat a Joanne Georgio Saxonum Electore secta Lutherano; sua tamen eum fefellit opinio: hic enim, ut frementibus passim circumquaque armis suæ consuleret securitati, superioris Saxoniæ Ordines convocabat, indictisque Lipsiæ comitiis die decima quarta Februarii statuit, ut Ordines cuncti adver-

Merc. t. 13. lib. 2. Struv. Period. 10. sect. 9. §. 8.

Sæc. XVII. A. C. 1620. versus quoscunque hostiles incursus per integrum semestre tria peditum millia, & mille Equites ad Provinciæ defensionem conscriberent, alerentque, ac sese nequaquam Bohemicis turbis implicarent, sed neutri parti adhærentes Cæsari morem gererent. Hoc comperto Bohemorum Legatus Sclickius Comes scisciatum advenerat, quorsum hic belli apparatus spectaret, dein Saxonum opem implorans, generosos Bethlemii conatus deprædicabat. Attamen Elector paucis respondit, quod patriam, suasque Provincias armis undique perstrepentibus tueri cogeretur, ac propterea copias dispertiri non posset, de cetero autem Bethlemius Turcarum esset vasallus, proin ejus molimina nil nisi funestum præsagirent. Refert Piasecius integerrimæ fidei Historicus, quod Saxoniæ Elector Friderico opem denegarit, veritus, ne Bohemico imperio potentior factus, avitum Saxoniæ Electoratum ad Vinariensis Duces transferret; ut ut autem res se habuerit, ex variis scriptis a Londorpio allegatis omnino constat, quod Saxonis odium Prædicantes Lutherani Calvinistis insensissimi plurimum auxerint; ita corvus corvum insectatur, nisi de discerpenda agatur columba: de cetero autem Correspondentes, ut factionem

nem firmarent, Bohemis miſerunt nova Weſtphalorum auxilia præter tria Batavorum millia, & undecim millia, quæ Badenſis Marchio Acatholicus parata habebat.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LV.

Crebræ velitationes inter Cæſareos & Bohemos alternante fortuna commiſſæ.

Dum de reconcilianda pace in Imperio agebatur, interim in Bohemia a mutuis cædibus haud ceſſatum eſt; quippe ruſtici cladem ſibi nuper a Balthaſare Maradaſio ductore Cæſareo inflictam ulturi a ſuperioris Auſtriæ finibus eruperunt, ſectæque ſuæ fanatismo abrepti Italos milites miſere trucidarunt, ceteris in fugam actis: Mansfeldiani quoque jam antea Tinenſe & Guldencronenſe Monaſterium, aggreſſi, in obvios quosque ſævierunt, ſpoliatoque Templo ſexdecim Monachos jugularunt: noviſſime autem Carpezanius Bohemorum Præfectus munitiſſimum inferioris Auſtriæ Gotvienſe Monaſterium intercepit, diripuitque, denique Fridericus Dieffenbachius Moravorum Præfectus Nicolasburgum urbem & arcem deditione accepit, unacum opima, quam Tampierius antea intercepe-

Theatr. Europ. tom. 1. pag. 353. Merc. Gallob. tom. 13. l. 1. & t. 9. lib. 1. Barre hiſt. d'Allem.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

ceperat, præda, bonisque omnibus, quæ ad Cardinalem Dietrichsteinium pertinebant. Vicissim vero Starenbergius supremus Austriæ superioris Præfectus, soluta Meliciensis monasterii obsidione ad Austriæ fines cum exercitu suo reversus est, adventum Bucquoii præstolaturus, qui etiam facta versus eam partem expeditione Ipsense oppidum præsidio destitutum occupavit, promotisque ad Langelosam castris Mansfeldianos Bohemos aggressus, pedites circiter nongentos profligavit, reliquis fuga cum quinque vexillorum jactura dilapsis: postea evolutis aliquot diebus Hollachinorum circiter sexaginta fudit. Cosacci quoque octava Februarii die numero quatuor millia impune trajecto Danubio, ducentos ex suis Viennam ablegarunt, Cæsari suam adversus quemvis hostem operam offerentes. Hi promissi amplitudinem operis constantia comprobaturi, Meseritscio Moraviæ oppido derepente obruto, direptoque non sine opima præda, captis etiam multis Nobilibus, in Austriæ terras irruperunt, ac Bucquoii & Tampierii copias secuti, residuos Hollachii Equites adorti sunt, eorumque trecentos obtruncarunt, captosque quamplurimos unacum vexillis aliquot ac spoliis abduxerunt. Decima dein Martii die adversus

ſus Anhaltinas legiones, quæ partim in peropportuno monte diſpoſitæ erant, partim in inſidiis deliteſcebant, Ductore Bucquoio, infauſto tamen Marte pugnarunt, cæſis Cæſareorum ferme mille nongentis, ac Bohemorum octingentis. Attamen paulopoſt momentanea Coſaccorum virtus in ſolitam prædandi, ac ſæviendi licentiam, degenerabat; quippe Stokeraviam profecti caſtellum, quod Cæſarei juris erat, diripuerunt, nulla fiſci, neque Religionis Catholicæ, quam incolæ complures profitebantur, habita ratione: dein ſpoliatis viris fœminisque vim, contumelias, & verbera intulere, Namslaviam etiam Vratislavienſis Principatus oppidum aggreſſi effracta Templi porta populum ibidem congregatum, prout quemque infauſta ſors in manus dederat, internecione deleverunt, ablatisque facultatibus univerſis in pagos circumquaque diffuſi, ſuburbanas nobilium villas deprædati ſunt, ſexumque muliebrem deterrimis modis habuerunt. Verum haud procul erat Divinæ Nemeſis vindicta; quippe eorum plures quam centum, prædis ſuis onuſti, cum Scanabizii natatu Iſtrum ſuperare aggrediebantur, undis hauſti periere, alii Gellersdorffii a Bohemis cæſi, alii a Valonibus Cæſari addictis ob

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

ob commissa sacrilegia, abreptumque Ecclesiarum ornatum partim interfecti, partim captivi Cremam abducti fuere, alii in Silesia a militibus & rusticis rebellibus deprehensi, atque ante Viadræam portam Vratislaviæ continenti serie in crucem acti laqueo suffocati sunt. Insuper alia octo Cosaccorum millia, nova hujus gentis auxilia, dum per Moraviam ad castra Cæsariana penetrare moliebantur, nonnisi copiis suis per crebras clades multum imminutis, in Austriam superiorem pervenerunt, quorum tamen ope Bucquoius Glatensem vicum, incolis magno numero trucidatis, diripuit, Sitsendorfensem vicum incendit, Bohemorum nongentos potissimum Nobiles inito prælio fudit, captis eorum trecentis, ipsoque Ductore Felsio trucidato: interea vero Cæsarei milites a Bucquoio suffulti, Rastenburgum, quo Austriaci rebelles sua bona, uxores & liberos deportaverant, occuparunt, prædamque Cremam usque transvexerunt.

§. LVI.

Electorum ac Principum Conventus apud Mulhusium coactus.

Barre hist. d'Allen. p. 489. t. 9. Carafa Germ. Rest.

Postquam Sacri Romani Imperii Electores a Lavenburgico Principe & Elve-

Elverano Cæsareis Ministris edocti erant, quam atrocibus injuriis Ferdinandus a Friderico Palatino, Bohemis, Hungarisque seditiose tumultuantibus hactenus affectus esset, ad proximum Mensem Februarium apud Mulhusium Thuringorum urbem conventum indixere, ibidem de opportunis pacem Imperio, & illæsam auctoritatem Cæsari restituendi mediis acturi. Paulo ante Bohemi rebelles Pragæ, quo etiam Mahomet Aga Turcicus Legatus novum Regem salutaturus advenerat, comitia celebrabant, in quibus de confirmando, atque ad alios Protestantium populos extendendo fœdere, augendo exercitu, legatione ad Turcas decernenda, necnon de pœnis in Regi suo refractarios sumendis, ac de necessariis ad bellum subsidiis deliberarunt. Mitiore autem animo & saniore consilio Moguntinus, Coloniensis & Saxoniæ Electores per se, Bavariæ vero Dux & Trevirensis Elector, cum per valetudinem vel negotia itineri pares non essent, per Legatos suos Mulhusii convenerant. Aderat quoque Ludovicus Hassiæ Landgravius Cæsari addictus. Ex Electoribus Brandeburgicus, necnon Hassorum Landgravius alter, nomine Mauritius, adesse supersederunt, horum tamen postremus, cum Electorem

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Londorp. act. publ. l. 5. Orthel. p. 72. Merc. tom. 13. l. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

rem Saxoniæ ipsummet huic conventui interesse, ægerrime ferret, misso ad eum Dietrico de Werder Mareschallo suo illum per quicquid sacrum sanctumque esset, obtestabatur, ne Pontificiis, eorumque, ut ajebat, *sanguinariis consiliis* adstipularetur, minus vero ensem suum pro Religionis Lutheranæ defensione sibi concreditum in Bohemiæ Regem & propriæ confessionis socios stringeret, cum alias irreparabile damnum Protestantibus inferret, & in Saxoniam Bohemici belli molem & odium devolveret, quo facto Pontificii juxta Concilii Tridentini placita disjunctis invicem Protestantium viribus eos facile oppressuri essent. His addebat Landgravius, quod Elector super eo haud anxius sit, tanquam adversus Cæsarem arma ferre, absque prævaricatione & injuria haud liceret, cum ceteri Protestantes jam declararint, quod nisi Religionis libertas oppressa fuisset, Imperatori inobedientes non existerent. Verum Saxoniæ Elector Hasso pauca hæc respondit: „nequaquam cum perversorum motuum fabricatoribus, sed cum „Electoribus Collegis meis ad revocandam Imperii pacem lege juramenti „adstrictis res mihi est, proin admonitio tua supervacanea, gravis, & molesta mihi accidit, & tanto magis ea inter-

„interminationibus etiam intempestivis „aculeata mihi displicuit, quo abun- „dantius experientia Magistra jam e- „doctus sum, ut per te, quid pericu- „losa hac rerum facie agendum sit, e- „rudiri non debeam. Tuarum partium „erit, apud alios potius veræ tranquil- „litatis turbatores illo censoris officio „defungi, quo apud me præpostere de- „fungi voluisti.„ Dato hoc responso Elector cum ceteris congregatis Principibus de rei summa agere cæpit, rebusque mature perpensis tandem unanimi suffragio conclusum, decretumque est, *Germaniæ tot annorum turbas, aliquando tamen finiendas. Ungariæ Bohemiæque motibus occurrendum, Concussis Imperii rebus succurrendum; Cæsarisque Regnorum, ac Majestatis suæ, jura possessionemque sarta tecta conservanda: conscriptosque demum, eam in rem, exercitus, in unum primo quoque tempore conducendos. Idque maxime, vel ideo quoque maturandum, totisque viribus exsequendum esse; quoniam, ex adverso, neque correspondentium armati Duces consiliis suis indormirent: ac neutrius partis mora periculo careret.*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Urgebant omnes festinam hujus decreti executionem, quocirca hujus Electoralis conventus, quem Protestantes pro sua modestia *sanguinarium* ap-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

pellitabant, nomine & authoritate, ut pars adversa placaretur, monitisque eo lubentius aquiesceret, Catholici Principes de Religionis pacificatione, necnon bonorum Ecclesiasticorum possessione publico diplomate Protestantibus die decima Martii cavebant: sequenti autem die ad Bohemos, Silesios, Moravos & Lusatios dabant literas, quibus eos ad Cæsaris obedientiam revocare nitebantur, interminatis etiam, ni cæptis quamprimum absisterent, pœnis in Cæsari rebelles, eorumque fautores per Imperii Constitutiones decretis. Itidem & turbulentos Hungariæ & Transylvaniæ Ordines monebant, ut suum Ferdinando diadema obsequiumque redderent. Fœderi autem Correspondentium Germanico perscripsere, monentes, ne factioni Bohemorum suam deinceps operam, Austriæ Ordinibus, ne consensum, & denique Equestribus Imperii Statibus, & Circulorum Comitibus, ne favorem illis præstarent. Postrema hæc monita præcipue ad Wetteraviæ, Franconiæ, & Sueviæ Comites, ac Rhenanos Nobiles spectabant, hos enim a Bohemis rebellibus sollicitari, ac quosdam ad eorum partes inclinare compertum erat. Pariter Norimbergensem, Argentinensem, Ulmensem, Spirensem, &

& Wormatienſem civitates datis literis hortabantur, ne Bohemici Regni uſurpatorem milite aut quovis alio ſubſidio juvarent. Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LVII.

Mulhuſiani Conventus literæ ad Fridericum Palatinum.

Præcipuus congregatorum Principum labor eo intendebatur, ut Fridericus Palatinus ad ſaniora revocaretur conſilia, quocirca datis ad eundem literis de transmiſſo Cæſaris diplomate, quo ejus electio omnino irrita declarabatur, eundem certiorem reddebant, eidem in memoriam revocantes, quod ipſum ſæpius amice, & paterne ab hujus diadematis acceptatione dehortati ſint, *ut autem*, proſequebantur ipſi, *poſthabitis curis, ac ſolicitudinibus noſtris, contra plurimorum, patriæ amantium, vota, atque deſideria, electio illa, ac deinceps coronatio, admiſſa ſit, adverſus regios primum Miniſtros, mox ipſum Imperatorem arma ſumi, novum regimen inſtitui, atque id genus alias res novas introduci contigerit, iſta quidem, & quæcunque ad hæc impellere potuerunt, in medio relinquimus. Interim, tametſi ſub ſpe fuimus, fore, ut juxta factas conteſtationes, reſpectus, ac conſervatio, tam vetuſti, Imperioque*

Lotich. rer. Germ. l. 5. c. 4. §. 1. Merc. t. 13. lib. 2.

Lond. act. publ. Barre pag. 489. Caraf. p. 81. Brachel. Hiſt. noſt. temp. lib. 1. Maſſen. Annal. Trev. pag. 466. Bellus laur. Auſt. l. 4. pag. 341.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

rioque adjuncti Bohemiæ regni præ ceteris simultatibus, pluris valere, quam ut pace exclusissima, Imperium universum in præsentem necessitatem imminentemque ruinam, ac desolationem, præcipitari debuerit: nihilominus tamen procellis id genus, ac motibus, per Bohemiam, ceterasque Provincias, sævientibus, immo magis magisque increscentibus, sicubi hactenus medela, ac curatio, nulla sit adhibita, Electorali utique officio requirente, partium facit nostrarum, ad istas passim grassantes, tumultuationes, non solum curiosum applicare oculum, sed inprimis, ne Respublica hæc Christiana detrimentum immedicabile accipiat, maturis consiliis, ac deliberationibus, præcavere. Ne qua igitur, hac tua prout videri potest, Bohemiæ regnum detinendi perseverantia, præter Ungariæ, aliarumque partium, ac regionum, seditiones, etiam Machometanis, jam diu Christianum hunc sanguinem sitientibus, extremisque, atque universalibus perturbationibus, fores, ac fenestræ, aperiantur, denuo collegialiter, atque amice, intercedimus, atque monemus, patiaris paulo altius tecum exacta rationis bilance trutinare, atque expendere, nimirum, tum, cum Electio Bohemica peragerretur, utique Sedis vacantiam fuisse nullam, sed Ferdinandum potius Archiducem, in Bohemiæ Regem rite electum, coronatumque, ac sub Ordinum homagio confirmatum, passim-

passimque, præsertim ab excessu Mathiæ Imperatoris pro Rege vero, ac legitimo, ab omnibus fere Christiani orbis Regibus, ac Principibus, honoratum esse. Quibus accedit etiam abs te ipso, juxta cum Electoribus ceteris omnibus, ac singulis eundem pro Rege, atque Electore, agnitum, eoque nomine ad Imperii Comitia Francofurtum literis invitari, ad Collegium Electorale admitti, adeoque tandem ad summam Imperii majestatem, dignitatemque, evehi cœpisse.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Utrumne igitur, rebus ita sese habentibus, Bohemis coronatum unctumque Regem, ac legitimum Dominum suum, quem etiam ipsis sub turbis istis, Regem suum literis appellare, & recognoscere, soliti erant, temere, excussa omni fide, ac juramento, absque ulla causæ cognitione, de facto, novo plane, atque hactenus inaudito, exemplo, summo cum contemptu, rejicere, licitum fuerit, & utrum rejectio ista in feudo Imperii, superiorem recognoscente, insaluto feudi domino, Electorumque Collegio, locum habeat, cuivis, qui synciput in calcaneis non gerit, dijudicandum relinquimus. Accedit, si isthæc novatio, & temeritas, a subditis Palatinatus tibi intentata foret, minime hoc æquo animo te passurum esse. Ut porro hoc exemplum, sicubi in Imperio semel admissum sit, in ipsam facile barbariem, ac consequentiam deterrimam degenerare sustineat. Ut illa porro

Sæc. XVII. A. C. 1620.

non minus consideratione seria sint dignissima, Ferdinandum Imperatorem nec verbo, nec facto ullo, hanc hostilitatem provocasse: ut potius omni cum honorificentia te, ceu præcipuum in Imperio Septemvirum habuerit, ipsi tibi, & quidem volenti, arbitrium hac in caussa Bohemica, obtulerit ipse, hinc electoralis officii intuitu, ad id obligatus sis, ut una nobiscum, Collegis utique tuis, sollicite prospicias, quo pacto motus in Imperio forte nascentes, conciliatione partium, consopiri, Imperatori inprimis etiam, nobis Electoribus, ceterisque Principibus, sua Majestas, dignitasque atque incolumitas, sarta tecta servari queant. E diametro certe, sicubi iniquos id genus rejectionis, novæque electionis, processus, porro approbare, ipsamque regni detentionem continuare volueris: inverso ac turbato ordine omnia ut corruant, leges fundamentales ut evertantur, constitutiones Imperii ut pedibus conculcentur, necesse est. Ut per Imperium hoc omne, regnaque & provincias finitimas, inprimis Bohemiam ipsam nihil aliud, nisi horribilis Laniena, expectari possit, tuque universæ huic patriæ Germaniæ, ipsique posteritati, abominationem, nominisque tui infelicem memoriam, relicturus esse videare. Præterea quid tu, quid familia, quid liberi tui, damni inde relaturi sint, facile conjicere possis, ubi Causæ iniquitatem, Austriæ Archiducum potentiam,

tiam, Imperatoris authoritatem, juxtaque indignationem penſiculatius examinaveris. Qui quidem omnes vires impendet, omnes Reges, agnatosque finitimos concitabit, neque unquam acquieſcet, quousque per te ablatum, & detentum Bohemiæ regnum a majoribus ſuis longa & continua ſerie ad ſe devolutum, hæreditarioque velut jure familiæ ſuæ proprium debitumque recuperare ſufficiat.

Tametſi igitur calculum ponas, auxiliaque ex adverſo ſufficientia præparata habere te putes, ut huic potentiæ, huic autoritati Auſtriacæ reſiſtere atque obluctari poſſis, nihilominus authores tibi ſumus potius ad Dei voluntatem, ac diſpoſitionem, quam conſæderatorum promiſſiones, agnatorum tripudia, Ordinum inconſtantiam, ſubditorumque, & vulgi inanem applauſum, reſpicere velles. Tanta eſt Imperatoris, hucusque a Regibus, ac Magnatibus paſſim obſervata autoritas, ut modo non Imperii Principes, ſi admoneantur, illi manus auxiliares collaturi ſint, ſed inſuper Reges exteros tanquam in cauſa communi facile in conſenſum attrahere quitus ſit.

Ut ut tandem res iſta cadere poſſit, certo certius hoc quidem eſt, regiones populosque everti ac devaſtari, Chriſtianum ſanguinem fundi, Imperiumque Turcis, Getisque aperiri, ut hæc patria noſtra barbaris prædæ loco futura, hæc libertas in ſervitutem horri-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

horribilem transitura sit. Ad te autem parum, aut nihil inde redibit, nisi ut amicorum sero cognitorum consilia damnare, fortunæ fallaciam accusare, hominumque & Vulgi lubricitatem detestari possis. Finem profecto, prout nunc est, hujus intestini belli, & miserrimæ confusionis vix oculis tuis aspicies. Quam vero liberis, post te necessitatem, onerisque magnitudinem imposueris, ipsi videbunt.

Quæ omnia cum ita, ut est præmissum, comparata sint, iterato, ac denuo, amice abs te contendimus, ea ut altius in animum dimitteres, majoris Discriminis, & periculorum causam ne foveres, sed consilia tua eo dirigeres, quo ab Ordinibus Bohemiæ arma illegitime sumpta, deponantur, conclassationes, copiarumque præparationes intermittantur, Imperatori vero regnum, cum provinciis, justo titulo acquisitum, restituatur. Ita denique futurum est, ut loco digladiationum sævissimarum pax alma, ut felix redeat, cædes, atque homicidia reducta conciliatione, & concordia exulent, eoque pacto, te & imperii, & patriæ tuæ, bonique publici potius, quam privati commodi curam, atque respectum habuisse omnibus palam, ac contestatum fiat.

Paulopost die nona Maij Austriæ inferioris Ordines datis ad Cæsarem literis de calamitatibus, quas per Gallo-Belgicas & Polonas copias perpessi essent,

essent, conquesti petierunt, ut Religionis Lutheranæ usus eis concederetur, simulque integrum foret fœdus cum Bohemis inire. Cæsar itaque ad horum petita respondens, eos ab inquissimo cum rebellibus fœdere graviter dehortabatur, simul tamen sectæ suæ libertatem, prout Mathiæ Imperatoris tempore illis fuisset indulta, concedens Cæsareo diplomate & interposita juramenti religione desuper cavebat: quocirca Ordines tam Catholici quam Protestantes cognita Cæsaris clementia eidem tanquam Archiduci suo juramentum fidelitatis, die decima tertia Julii exsolverunt. Superioris vero Austriæ Ordines longe magis obstinati Legatos suos quidem Viennam decernebant, quin tamen eis quid aliud in mandatis darent, nisi ut Cæsaris mentem sibi perscriberent, proin potius nugari, quam serio de reconciliatione cogitare videbantur. Pariter etiam illi Austriæ inferioris Ordines, qui in sua rebellione obstinati perstiterunt, nominatim pro perduellibus declarati, ac proscripti fuere; hi enim sua pervicacia sat luculenter testati sunt, non sibi sectæ suæ libertatem, quæ eis adeo solemniter concessa fuit, sed unice jugum excutiendi libidinem cordi fuisse.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. LVIII.

Friderici Palatini responsum ad hasce Electorum Mulhusii congregatorum literas.

Merc. t. 13. lib. 2. Lond. act. publ. l. 5. pag. 790.

Interim paternas Principum Mulhusii congregatorum admonitiones indignanter plerique, licet alius alio gravius, accepere: præcipue vero Fridericus Elector ad eorum literas Praga die quinta Maij hunc in modum respondit: „literæ vestræ ad me delatæ sunt, „titulo tamen, Regio, quo a plerisque „Regibus, & Principibus utriusque re„ligionis, tam intra, quam extra Im„perium constitutis, ornari jam soleo, „carentes, & quid circa Edictum Cæ„sareum de periculo tam Bohemiæ Re„gno, quam meis imminente regioni„bus, monere, cum adjuncta ad dese„rendum Regnum istud meum admo„nitione volueritis, ex illis perspexi. „Obligatum equidem ad utilitatem Im„perii promovendam semper me agno„vi & agnosco, nec scopum actionum „mearum alium hactenus habui, quam „ut periculum omne a Patria averterе„tur, eaque splendori, & nitori suo „pristino restitueretur, cujus rei testi„monium apud posteritatem me habi„turum verissimum, nullus dubito. De „cete-

„cetero respondere statim ad edictum „istud difficile non fuisset, fundamen- „tum namque ejus nullum est, cum „actoris simul, & judicis personam in „causa propria obtinere nemo possit; „non igitur persuadere mihi potui, fu- „turum, ut aliqui saltem Electores & „Principes ad cognoscendam caussam „istam convenirent, meque inauditum „condemnarent, cum tamen ab aliis „Electoribus, & Principibus Imperii, „qui non minori erga salutem & quie- „tem publicam zelo ducuntur, & ho- „norem supremi capitis illibatum æque „cupiant, præjudicio tali gravatus non- „dum fuerim. Ea fuit omnium sen- „tentia, arduum istud negotium ho- „nesta ratione componi, atque ita pe- „riculum ab Imperio averti oportere: „De Electoribus etiam spem bonam con- „cepi, futurum, ut viam ad id oportu- „nam præpararent. Ego quidem alie- „nus a tractatione ejusmodi, dummo- „do pars adversa ad eam quoque dispo- „neretur, non ero. Grave admodum „mihi accidit, quod Regnum istud de- „ferendum, & a bene acquisita posses- „sione abstinendum tam subito censea- „tis, cum tamen ejusmodi aliquid, cum „Rudolphus Cæsar utrumque Hunga- „riæ & Bohemiæ per annos triginta „jam possessum Regnum resignare fratri „suo

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620. „ſuo cogeretur, auditum non fuerit, „nec ad realem Regni Bohemiæ poſ„ſeſſionem Ferdinandus Cæſar unquam „pervenerit. Magni omnino momenti „res ea eſt, & non ſolum meam per„ſonam, dignitatem, & honorem in „ſpecie, ſed & multos alios in & extra „Imperium conſtitutos Reges, Princi„pes, & Status, ipſi etiam Catholicæ „religioni addictos concernit. Eorum „igitur etiam ſententiam requirere, ne„ceſſarium omnino videtur, quemad„modum etiam communicare ea de re „& conſultare cum fidelibus Regni mei „Ordinibus, & reliquarum provincia„rum legatis in habitis nuper Comitiis „non intermiſi. Cauſas interim actio„num mearum fundamentales ad eos „brevi perſcripturum promitto, & ex „iis animadverſuros ſpero, tantum ab„eſſe, ut Turcis vel Imperium, vel an„temurale ejus, Hungariæ Regnum in„vadendi feneſtram apertam velim, „ut ad præcavendum malum iſtud, ni„hil intermiſerim, ſed quæ partium „quidem mearum fuerint, adminiſtrati „etiam Regni mei tempore omnia per„fecerim. Interim ſpero Electores & „Principes, quos nulla re hactenus „offendi, nec offendere etiamnum, ut „neutram ita ſectari porro quoque par„tem poſſint, cogito, ad gravius ali„quid

„quid ſuſcipiendum permotum haud „quaquam iri, ſed in eo, quo jam ſint „ſtatu omnia relicturos; cauſæ enim „iſtius juſtiſſimæ meæ debito loco, & „tempore rationem ejusmodi redditu„rus ſum, ut a contrariis perſuaſioni„bus abſtinendi cauſas habituros gra„viſſimas, perſuaſum habeam. Alio„qui quod ad mei conſervationem per„tinet, nihil intermiſſurus, ſed vocatio„nis meæ rationem diligentiſſimam, ad„hibito etiam fœderatorum auxilio ha„biturus, & actionum mearum even„tum Deo permiſſurus ſum.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LIX.

Bohemorum reſponſio ad Mulhuſiani Conventus literas.

Arrogantius adhuc ad Electorum monita perſcripſere Proteſtantes Bohemiæ Ordines, quorum literæ hunc in modum erant conceptæ: *Ex literis veſtris non ſine dolore cognovimus, quam varias poſthabitis omnibus publicis deductionibus, literis, & apologiis noſtris, de divino naturalique jure permiſſa nobis, defenſione, ſuſcepto item religionis, & libertatis noſtræ patrocinio, & facta novi Regis electione, atque coronatione cogitationes conceperitis, & quid adhibitis etiam comminationibus a Rege noſtro nobisque omnibus expe-*

Merc. Galtob. t. 13. l. 2. Lond. l. c.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

expeticritis. Ad literas istas respondere jam pridem voluimus, si nos solos concernere, & non ad incorporatas quoque provincias pertinere vidissemus. Arduum autem negotium istud, in quo non patriæ solum salus, & libertas, sed ipsa quoque religio, conscientia, & æterna beatitudo nostra vertitur, deliberandum nobis solis sumere nequaquam voluimus, sed quemadmodum bellum istud, ex quo secuta abdicatio ista, & novi Regis electio est, unanimi omnium provinciarum voto & sententia susceptum olim fuit; ita responsum etiam ad literas istas unanimi omnium provinciarum consensu perficiendum omnino statuimus. Legatis igitur Silesiæ, & Superioris, inferiorisque Lusatiæ (ad Moraviensem provinciam datæ nullæ fuerunt) in Comitiis ibi congregati, literas istas, Superioribus nostris exhibendas acceperunt, & responsum quamprimum procuraturos promiserunt. Eo accepto, literas missuros ejusmodi promisere, ut illis omnem sinistre de nobis suspicandi cogitandique occasionem sublatum iri, quam optime sperent. Interim affirmare vobis verissime possumus, quod Rex noster Serenissimus a fusione innocentis sanguinis, aliisque barbaricæ, quam duos jam annos perpessi cum irrecuperabili damno sumus, persecutionis effectis crudelissimis summe abhorreat, & nihil tantopere utque pacem & tranquillitatem expetat. Hanc enim

nim ab initio statim turbarum istarum unice pacem desideravimus, & ad eam comparandam omnes actiones nostras accommodassemus, dummodo de ea per honestam tractationem constituenda certi, per Jesuiticas machinationes, apud partem adversam esse potuissemus. Rogamus igitur, ut morulam istam ægre non ferant, nec ad hostile aliquid adversus satis jam afflictum Regnum nostrum tentandum adduci sese patiantur, sed ejus potius tanquam ab extremo milite miserrime jam, & sine ullo religionis discrimine crudelissime devastati præcipui sacri Romani Imperii membri, & Electoratus curam, patrociniumque fidelissimum suscipiant.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LX.

Correspondentium Principum, & Argentinensium responsum ad Mulhusianos.

Haud magis moderate, tardius licet, uniti Principes Protestantes ad Principes Mulhusii congregatos die duodecima Junii in suo responso conquesti sunt, „exponentes, quod Bohemorum „Legati violato jure gentium ad Fran„cofordiensem electionem admissi non „fuerint, inde vero ad novi Regis in„augurationem eos fuisse impulsos cre„dibile foret, quæ an secundum patrias leges

Lotich. pag. 149.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„leges facta fuerit, disquirere nolint; „id tamen approbare nequeant, quod „res tanti momenti, quæ cum univer„sis, vel plurimis Imperii Ordinibus „in deliberationem vocari debuisset, non„nisi paucorum suffragiis decisa fuerit: „proin congregati Principes prius, ac „potius pacem Imperio per gravami„num sublationem procurare, & postea „Bohemorum turbis remedium oppo„nere debuissent.

Argentinenses autem suo, ac ceterarum Imperialium civitatum nomine die secunda Maij Stylo veteri suam erga Cæsarem, Imperium & Electorale Collegium observantiam jactitantes, profitebantur, quod Bohemi & Moravi rebelles pejus cum Catholicis, quam Cæsarei milites cum seditiosis egissent, eis vero, eorumque tumultibus ipsi nunquam sese immiscuerint, sed sese erga Imperatorem ita semper gesserint, ut clementiam a Cæsare, ab Electoribus gratiam, a Principibus, Ordinibusque favorem, suæque Reipublicæ, quæ sibi merito ab his belli motibus timet, defensionem sibi polliceantur.

§. LXI.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. LXI.

Catholicorum Principum Herbipoli congregatorum responsio ad Protestantium postulata.

Tandem rebus omnibus Mulhusii compositis, Saxoniæ Elector cum ceteris ibidem congregatis conventum solvit, eodemque ferme tempore uniti Principes, Ordinesque Catholici conventum suum, quem Herbipoli pro tuenda re Catholica, & prævertendis Protestantium machinationibus Mense Februario celebrare cæperant, ad finem perduxerunt, prius vero quinta Maij ad querelas, quas Correspondentes Norimbergæ congregati apud Maximilianum Bavariæ Ducem anno priori die vigesima prima Decembris detulerunt, responsum dedere, cujus hæc erat summa: „Accusastis Catholicos, „quod primi arma parassent, proin motuum omnium caussa forent: Ecclesiasticorum bona vobis asseri, & gravamina tolli petiistis, adjecta comminatione, ut nisi intra bimestre Catholici „*categorice* responderint, vos conjunctis „armis & viribus effecturos, ut a gravaminibus toties allegatis exonerare „atque in Religionis libertatem vos vindicare valeatis. Nos vero præsentem

Londorp. acta publ. l. 5. Lotich. l. c. Adlzreit. Annal. Boic. p. 3. l. 5.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Conventum indiximus, non quod „tam prævalens esset auctoritas vestra, „ut a vobis leges exspectare, & intra „præfixum tempus respondere tenea„mur: inauditum enim, & insolens est, „vos impudentiæ eo prolapsos esse, ut „sub insolenti minarum genere Catho„licis leges præscribere, & nisi dicto „sint audientes, armis eos adigere præ„sumpseritis: de cetero non Maximi„lianus prior, sed vos jam diu ante ar„ma parastis, & copias per Germaniæ „Episcopatus in Bohemiam traduxistis: „gravamina autem vestra Mathias Im„perator tollere paratus erat, imo & „sustulisset, nisi Bohemorum tumulti„bus fuisset prohibitus: Ferdinandus „vero vobismetipsis pronum suum te„status est animum: super ceteris au„tem postulatis vestris disponere, in „nostra non est potestate, sed ea ad „Cæsarem, totumque Imperium spe„ctant, cujus auctoritatem prævertere, „nefas foret. Tandem in memoriam „revocate, quod insalutatis Catholicis „milites vestri per ditiones Ecclesiasti„cas, & Coloniensem, Monasterien„sem, Paderbornensem, Moguntinum, „Spirensem, Wormatiensem, Herbi„polensem, Eichstadianum, Augusta„num, Ratisbonensem, Elvacensem, „aliosque Episcopatus, & per Land„gravii

„gravii Leichtenbergenſis fines in Bo- Sæc. XVII.
„hemiam transmigrarint, & horum A. C. 1620.
„Præſulum ſubditos, loco mercedis
„debitæ, verberibus, prædis, exactio-
„nibus, aliisque violentiis divexarint,
„imo & in Moguntini Archiepiſcopatus
„ruſticos tam crudeliter ſævierint, utcæ-
„ſis aliquot eorum centum viduæ & pu-
„pilli ſuper tam tragicum fatum adhuc-
„dum ingemiſcant. Veſtra primum cru-
„delitate, veſtris etiam minis Catholici
„ad ſumenda arma provocati fuere, vos
„primi copias conſcripſiſtis, ſub obtentu,
„quod patriam veſtram defendere veli-
„tis, re tamen ipſa exercitus veſtros in
„Bohemiam usque emiſiſtis contra Cæ-
„ſarem, Imperii caput, & contra Ca-
„tholicos Ordines, quos coercere, &
„a delectibus faciendis impedire conati
„eſtis; ceſſate igitur culpas, quarum vos
„ipſi primi eſtis auctores, in nos reji-
„cere, ſi autem ruptis mutuæ ſocieta-
„tis, & legum Imperialium vinculis,
„porro minis, & armis Catholicos
„aggredi tentaveritis, ad æquam de-
„fenſionem nos licet invitos cogetis,
„culpa in vos rejecta, & Deo cauſſæ
„æquitatem certo vindicante.„ Ad
hanc Catholicorum declarationem Pro-
teſtantes de propria culpa convicti ob-
mutuere. Fridericus vero Palatinus,
ad Maximilianum Bavariæ Ducem,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

quem de Cæſare, Imperio, ac Catholici fœderis & Bavariæ ditionibus tuendis ſollicitum copias auxiſſe compererat, die quarta Januarii literas dedit, ſciſcitatus, quorſum tantus belli apparatus ſpectaret, quandoquidem Proteſtantium copiæ nihil præter defenſionem intenderent, ac non alia ex cauſſa conſcriptæ eſſent, niſi quia Catholici Principes delectus habuiſſent, & paſſim gravium malorum minæ fuiſſent jactatæ. Attamen Maximilianus, cui non modo frivoli hi Proteſtantium obtentus, ſed & eorum violentiæ Catholicis illatæ, pravaque eorum conſilia probe cognita erant, has Friderici querelas flocci habebat: hoc ipſum vero Ducis ſilentium novum hunc paucorum adhuc dierum Regem anxiis curis vexabat, quocirca die decima quarta Martii ex Pragenſi arce ad Maximilianum literas dedit, in quibus pro more „ſuo omnium motuum cauſſam in Ca„tholicos rejiciens, ſe, & Gabrielem „Bethlemium ab uſurpatæ dominationis „ſuſpicione vindicabat, ſupplicans, ut „Dux ad honeſtas pacis conditiones ſuo „conſilio concurrere, eoque Cæſarem „inclinare velit, ut ipſe ſeveritatem in „Bohemos hucusque adhibitam tem„perare, Polonorum invaſiones cohi„bere, necnon Imperii Conſtitutiones, „Cæ-

„Cæsareasque capitulationes observare „haud gravetur, quin tamen Hungaros „a fœdere Bohemico avertat, secus ipse „eos contra iniquam vim defendere „cogeretur.„ Ad hasce literas Dux die decima Aprilis hæc respondit: „Bohemiæ legatos inchoatis vix tu„multibus ad saniora adhortatus sum, „priusquam vero Mathias Cæsar mili„tes conscripserat, vel in Bohemiam „traduxerat, Bohemi Cæsareos Mini„stros e fenestris præcipites dederunt, „Regni regimen exauctorato legitimo „Rege sibi usurparunt, oblatamque Cæ„saris & Saxoniæ Electoris clementiam „rejecerunt: nunc vero haud alia pacis „supersunt media, nisi ut Bohemi, & „Palatinus Ottomanici Imperatoris, sui„que Vasalli opem deserere, viam gra„tiæ severitati ac violentiis præponere, „armorumque progressus sistere velint: „nec Cæsar pacis conditiones respuet, „vicissim vero sincere & reipsa de pace „agendum, ac Cæsari prius ablata jura „restituenda, nec deinceps Catholico„rum ditiones hostilibus copiis dive„xandæ erunt.„ Nec hisce monitis contentus Dux, insuper die quinta Maij Fridericum datis literis hortabatur, ut „usurpatum Bohemici Regni diadema „abdicare, ac lacrimas, gemitusque „tot populorum, necnon extremam,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„Imperii, totque innoxiarum regionum „calamitates misertus, Bohemiam red„dere velit ei, qui ad hanc coronam „jure successionis vocatus, unctus & „inauguratus fuisset, cui etiam Bohe„mi juramento sese obstrinxissent: Dein „Dux Fridericum rogabat, ut Turca„rum, & Transylvani Principis socie„tati nuntium mitteret, suique Patrui „Philippi exemplum sequeretur, qui „merito: *Defensor Patriæ contra imma„nissimum Turcam, ejusque progressus*, ap„pellabatur.„ Ast tantum abfuit, ut Fridericus paternis hisce monitis flecteretur, quin potius cunctos, qui sese temerariis ejus ausibus opponebant, tanquam Imperii hostes traduceret.

§. LXII.

Monita Cæsaris ad Palatinum, Imperii Principes, Præfectos, & civitates Imperiales.

Merc. l. c. pag. 91. Jæger. Hist. Eccl. l. 10. cap. 1.

Postquam Maximilianus Dux, ceterique Principes in Cæsaris fide constantes Protestantibus larvam, qua sub Germanicæ quietis, & meræ defensionis obtentu prava sua consilia honestabant, tam luculentis rationibus detexerant, ut Cæsar, ne suis partibus deesse, aut proscriptionis pœnam temere pronuntiasse videretur, adhucdum die trige-

trigesima Aprilis datis literis Friderico exprobaret, quod licet Cæsareæ electioni ipsemet per suos Legatos interfuisset, nihilominus violata fide Bohemiæ Regnum, armis sibi vindicare, & subditos sacramento solvere ausus fuerit, *tametsi ergo*, prosequebatur Cæsar, *caussæ satis haberem, in publico hoc rebellionis, qua Regnum meum hæreditarium mihi ereptum per vim detines, negotio contra te statim procedendi, & pœnam ex legum & constitutionum Imperialium (quibus præjudicatum tamen, & derogatum his monitorialibus literis nihil volo) præscripto, sine mora exequendi, operæ pretium tamen facturum me puto, si monitoriales hasce literas adhuc præmitterem. Moneo igitur te & ex Cæsarea potestate severissime præcipio, ut sub pœna constitutionibus Imperii expressa intra primæ Junii diei terminos, ex Regno isto meo decedas, secus, literas banni declaratorias adversus te promulgare, & debitarum pœnarum executionem sine mora adhibere cogor, quod publicis hisce literis tibi & omnibus notum facere volui.*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LXIII.

Friderici Palatini literæ contra Ferdinandi Imperatoris electionem.

Eodem die Ferdinandus datis ad Fœderatos Principes literis querebatur,

Sæc. XVII. A.C. 1620.

tur, quod insuperhabito Mathiæ Imperatoris edicto de non juvandis Bohemiæ rebellibus, ipsi tamen passim contra Cæsarem & legitimum Bohemiæ Regem seditiosos milite, & pecuniis adjuvare præsumant, propter quod pœnas ab Imperii legibus statutas incurrissent, ne vero deinceps rebellibus, eorum fautoribus vel Friderico opem ferrent, interminata rursus proscriptionis pœna hortaretur, pari etiam tenore Ferdinandus Cæsar ad omnes Præfectos, Tribunos & milites Bohemici exercitus, necnon ad Imperiales civitates perscripsit.

Londorp. act. publ. p. 795. l. 5. Lotich. rer. Germ. l. 5. cap. 7.

Verum Fridericus adversus hæc Cæsaris mandata, quæ *atrocia, & odiosa* appellitabat, nulla debitæ reverentiæ habita ratione die prima Julii Pragæ respondit, ac præprimis nec Austriæ Archiducibus nec Ferdinando jus ullum in Bohemiæ regnum esse, hujusque electionem propterea nullam, abdicationem vero fuisse legitimam, Bohemosque jure merito contra Ferdinandi ad Collegium Electorale admissionem Francofordiæ reclamasse ajebat: *Esto autem*, prosequebatur Fridericus, quod *Imperator electionem nostram damnaret, quis non videt eundem & accusatoris, & judicis, partes simul semelque, & quidem in propria caussa, sibi arrogare? Hæc enim*

enim controversia, quæ illi nobiscum intercedit, non Imperatorem, sed eum tanquam Archiducem, spectat. Ergone potior illi erit sive potestas, sive licentia, ac fuerat Superioribus illis Imperatoribus Friderico, Carolo, Rudolpho, aliisque Cæsaribus, qui quidem in controversiis particularibus accusatoris, ac judicis personam non exercuere. Accedit, regni Bohemiæ, ceterarumque Provinciarum, Ordines Imperii legibus minime teneri, ut neque Cameræ Imperialis, neque aulæ Cæsareæ, dicasterio sint subjecti, ut potius certis, ac patriis, iisque provincialibus legibus, privilegiis, ac consuetudinibus, utantur, fruantur. Quo magis absonum est, Consiliarios Cæsareos, utique minime hoc ad negotium ordinatos, atque idoneos, imo etiam domesticos, ac suspectos, caussæ inspectionem, ac definitionem, sibi vendicare, cum istis in Principes Imperii sententiam ferre haud liceat, Imperator vero, tanquam Archidux, forum competens sequi debeat, sique super Austriacis præconceptis prætensionibus, de jure experiri velit, juxta regni hujus privilegia, non coram domesticis illis, sed Bohemiæ regni judicibus, comparere, litemque formare teneatur.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Ex his autem conclusit Fridericus, quod Cæsaris edicta nullo loco, numeroque habenda sint, cum *ex animo inquieto, exulceratoque, absque ulla caussæ*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

legitima cognitione, judicium ac sententia, in propria caussa tam manifeste feratur, ut etiam nullo juris colore, stabiliri possit. Cum adversus ipsas fundamentales Imperii constitutiones, torqueatur, tum eo ipso tempore Cæsar viam facti, atque armorum, præelegerit, nihilque ad omnis generis injurias inferendas reliqui fecerit. Imo vero Cæsarem, adversus Capitulationem, a se factam, manifeste delinquere pateat, cum juraverit, quod nullum Imperii Principem illata vi gravare vel proscribere velit: has autem ob rationes Fridericus se Cæsareis edictis nequaquam obtemperaturum declarabat.

§. LXIV.

Bavariæ Ducis copiæ transitu prohibitæ.

Merc. Gallob. tom. 9. l. c.

Cum autem Maximilianus Bavariæ Dux spreta hæc Cæsaris monita, Bohemorum pertinaciam, bellicum Protestantium apparatum, necnon pericula Imperio, & Bavariæ impendentia sibi satis perspecta haberet, suis tutandis finibus, & Ferdinando juvando validum comparare exercitum constituit: Collectæ hactenus erant in Coloniensi, & vicinis regionibus octo millium, pars equestres, pars major autem pedestres copiæ, quas haud parum Archi-

Archidux Leopoldus & Catholici fœderis alii Principes augebant. Agebatur igitur primo ſtatim præſentis anni Menſe, ut ex Coloniensi Archiepiſcopatu, Bavariam verſus conſcriptus miles ſub Lippenſis Comitis, & Landſpergeri Præfecti ductu quamprimum aſcendere poſſet; medio etiam Januario equitis lectiſſimi vexillationes quinque Moguntini Electoris ſtipendiis conductæ, ductore Cratzio, ſequebantur. Horum omnium proſectionem remorari conabantur unitarum Belgii Provinciarum Ordines, qui datis ad Coloniensem, & Trevirenſem Electores literis, ut nihil contra Proteſtantes, & Fridericum tentari permitterent, ni in ſuis ditionibus idem fieri vellent, ſæpius hortabantur. Horum impulſu Georgius Fridericus Durlacenſis Marchio factionis Bohemicæ Legatus caſtrenſis, negato per Haſſiam, & Naſſoviensem Comitatum tranſitu, Franconiam verſus, qua Boicos per Weteraviam itinere facto tranſituros noverat, unitorum Principum copias promovit, ſecundum Mænum viam exercitui Catholico præpediturus: unde factum, ut Fœderis Catholici copiæ in Herbipolenſi tractu aliquamdiu ſummo in frigore ſubſiſtere cogerentur, ac Iſenburgenſibus & Hanovienſibus tranſitum præ-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

præcludentibus recedere, Rhenoque trajecto in Alſatiam deflectere decernerent, ipſo Durlacenſi poſitis inter Briſacum & Friburgum caſtris tranſitum præpediente, qui etiam Leopoldo Auſtriæ Archiduci ſigillatim pro copiis ſuis tranſitum petenti reſpondit, *id ſibi integrum non eſſe, ſed veniam Onoltzbachi eſſe petendam*: quo comperto Bavariæ Dux cum unitis Principibus transegit, pactisque conditionibus tranſitus libertatem, quam Proteſtantium copiis viciſſim per Bavariam ſpondere debuit, pro ſuis quoque non vero Moguntinis & Herbipolenſibus obtinuit. Initis hiſce pactis Leopoldi copiæ die ſexta Junii ſeptem Equitum peditumque millia per pontem ad Briſacum ſigillatim tranſiere, & per Sylvam Hercyniam in Bavariam contenderunt. Elector quoque Moguntinus, qui ſuper inſolentia Acatholici militis, & abactis plusquam centum equis, & vexata deprædationibus Diæceſi querebatur, tandem etiam impetravit, ut Boiorum Ducis copiæ, via, qua cæpiſſent, & Mæno Tuberave tenus, Palatinatum ſuperiorem, ſine cujusquam injuria pertranſirent, indeque trajecto Danubio Bavariam intrarent, aliis autem, etſi Boicis quoque ſignis ſeſe jungere vellent, eadem nequaquam facultas eſſet.

§. LXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. LXV.

Novi in Galliis tumultus.

Non minus periculosos tumultus tam immodica Luynæi auctoritas, quam effrænis Calvinistarum petulantia in Galliis concitabat; præterquam enim, quod Ludovicus XIII. cum Parisino Senatu suo, qui edictum nova tributa imperans ad acta referre recusabat, gravem haberet contentionem, insuper longe magis molestis angebatur curis ob iteratam Principum secessionem ab Aula; cum enim Regina Mater, quæ post fugam suam vix non privatam, & ab aula exulem vitam ducere cogebatur, sparsis in publicum literis sæpius de fide sibi non servata, de Luynæi tyrannide necnon de libertate Condæo Principi reddita graviter quereretur, unam sibi cum Regina Matre caussam esse credebant Principum nonnulli; unde eodem in Luynæum odio flagrantes, Andegavum mox ad eam convolant, ejusque sub auspiciis arma capiunt. Espernonio Duce pariter in omnem eventum sese ad bellum accingente. Præprimis vero Mayenius Dux Lutetia Burdegalam festinatis itineribus contendit, quæsito fugæ suæ obtentu, quod tranquillitati, ac libertati mentis suæ consulere

Serran. hist. Franc. pag. 949. Gram. l. 5. Hist. Gall. Merc. Galloh. tom. 13. lib. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

fulere coactus esset. Hunc paulopost sequebantur Suessio, Longavillæus, Vindocinensis, Nemorsius, Radesianus, Buscodelphinus, Tremolius, & Valeta Espernonii Filius: Hi contracto exercitu Provincias inter se dividebant: Rohanæus autem Reginam adhuc fluctuantem in apertam seditionem accendit, suasitque, ut Andegavo Burdegalam pergeret: Ampliorem tamen sibi spem Regina pollicebatur ab Andegavensi, & Normana Nobilitate suis partibus addicta; jam enim Santones, Engolismenses & Lemovices Espernonius Dux, Normaniam Dux Longavillæus, & Mayenius Aquitanos, ut cuique auctoritas erat & studium, in Reginæ partes traxerant; firmiora etiam subsidia Rohanæus & Tremollius Calviniſtæ a sectariis exspectabant; hi enim fidem Principibus fecerant, si primi belli conatus succederent, fore, ut omnes Hugonottæ in Reginæ partes transierent, noluit tamen illa pacto cum Sectariis inito subscribere, ne communem cum hæreticis caussam fovisse crederetur. Hæc dum resciverat Rex, suas quoque copias contrahere, & si necessitas urgeat, in aciem educere statuit, prius tamen Blanvillium & Mombasonium ad Reginam Matrem unacum literis ablegat, qui eidem, si luberet, reditum ad aulam

aulam promitterent, iratamque ob Luynæi favorem placarent: interim vero, dum Mombasonius amplis suis promissis Reginæ aut illudit, aut illuditur, Rex præsidiario milite præter morem frequentiore stipatus, Aureliam contendit, præmisso ad Reginam Bellegardio, supremo Franciæ stabulario, qui eandem, ut pariter Aureliam veniret, Regis nomine sollicitabat. Ast illa morbum caussata, reconciliationis spem fefellit. Nec magis prosper successus adspirabat conatibus Bellegardi Senonum Archiepiscopi, Berulli Congregationis Oratorii Generalis, & Joannini Præsidis, quos Ludovicus Rex ad flectendam Matrem suam decreverat: Bentivolius quoque Papæ Nuntius datis literis eandem, irrito tamen conatu ad pacem inclinare nitebatur.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LXVI.

Regina Mater & Principes Regi rursus reconciliati.

Priusquam vero Regina sese in bellum accingeret, missis ad Regem Filium suum literis de Luynæi arrogantia, & usurpata in eam Principesque auctoritate vehementius querebatur, has tamen literas Rex instigante Luynæo per Sardinium Comitem, qui eas detulit, in-

Calmet Hist. Univ. l. 151. Theatr. orbis Hist. c. 5. pag. 782. Brachel. Hist. l. 1. p. 32. Daniel hist. de France tom. 16.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

intacto sigillo remisit, nec ultra dissimulandum ratus die septima Julii cum exercitu suo in Normaniam contendit, ibidemque præter plurimas urbes Cadomensem arcem deditione cepit, tanto primi successus emolumento, ut omnes ferme hujus Provinciæ urbes per suos Deputatos immotam Regi fidem sponderent, Rex igitur die vigesima prima Julii motis castris Cadamo Andegavum festinat, quo comperto Regina Mater Flexiam auffugit, interea vero Reginæ factio crebris Regii militis victoriis plurimum accisa erat, ac ipsemet Mayenius, qui cum viginti armatorum millibus in Luynæi excidium Parisios contendere, jussus erat, intempestiva Moissacæ urbis obsidione detentus, Reginæ Principumque rebus pessime consuluit: inde vero Rex animosior factus, novisque Bassompetri copiis auctus, die trigesima Julii Cenomanum, & quarta Augusti die Flexiam pervenit, edito prius diplomate, quo Principes, eorumque fautores in Regis obsequium intra unius Mensis spatium redire jussi sunt, si in sua perstiterint perfidia, pro perduellibus habendi, ipsorumque bona protinus proscribenda. Verum Principes hoc edictum nihil morati, eo ardentius bellum prosequi decreverant, Regina autem,

tem, P. Berullo & Bellegardo ſtimulantibus, ut paci ſubſcriberet, ſe paratam exhibebat, ſi fœderati Principes una ſubſcripſerint, ad hæc autem Rex reſpondit, ſe a Regina, cum Mater eſſet, leges acceptare paratum eſſe, cum Principibus vero, utpote ſubditis, niſi prius in obſequium, petita venia redierint, paciſci legibus eſſe vetitum, dato hoc reſponſo Rex Flexia urbe capta, & S. Suſannæ oppido fruſtra tentato hoſtium caſtra aggreditur, fuſisque Principum copiis Andegavum, quo Regina Mater ſe receperat, progreſſus, Pontem-Cæſaris tota armorum vi infeſtat, initoque cum hoſtibus prælio urbem occupat, arcemque, in quam profligati confugerant, obſidet; cum autem obſeſſis nulla in ſubſidium ſpes eſſet, hi die ſexta Auguſti deditionis pacta iniri poſtulabant, quibus etiam Rex poſtridie ſubſcripſerat, ea tamen lege, ut Reginæ miles, ſalvis vita, armis, ſarcinisque, arce egrederetur, belli autem tormenta, & vexilla Regi cederent. Cecidere in hoc prælio ex Reginæ exercitu plusquam octingenti, captis etiam quamplurimis: Nec incruenta fuit Regi hæc victoria, qua percepta Regina Mater, Deputatos ſuos ad Regem ablegabat, ſignificans, quod cum Filio ſuo in gratiam redire parata eſſet,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Jæger. Hiſt. Eccl. l. 1. cap. 13.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

esset, simul tamen rogaret, ut omnibus, qui suas secuti essent partes, veniam concederet. Rex, cui ipsa victoria belloque potior erat Matris reverentia, oblatos concordiæ articulos die decima Augusti lubens Regio chirographo firmabat, Principes vero ea duntaxat lege pristinis restituit honoribus, si intra octavum diem a promulgato reconciliationis diplomate, positis armis, in Regis obsequium reversi fuerint. Pacificatione hac utrinque facta, Regina Mater die decima tertia Augusti Regem Filium suum Brisacci salutatum venerat, ac cum eo, ejusque Conjuge Anna die quarta Septembris Turonio, Pictavium profecta est, Parisios ingressura. Ceterum hanc pacem Gallis adeo auspicatam pro Rege conciliabant Bellegardius Dux, ejusque Frater Senonum Archiepiscopus, necnon Pater Berullus, pro Regina autem Amandus Richelius Lucionensis Episcopus, qui tam fideliter Reginæ caussam procurabat, ut simul Regi suo fidem integerrime servaret.

§. LXVII.

Hugonottarum bellum adversus Ludovicum XIII. Franciæ Regem.

Vix

Vix quintum hoc bellum civile, cujus flammas Calviniſtæ potiſſimum accenderant, finem accepit, cum mox ſextum multoque atrocius iidem Hugonotæ adverſus legitimum ſuum Regem in Galliis concitarent. Florebat hoc regnum per plurima ſæcula Sedi Apoſtolicæ addictiſſimum, Regique ſuo fideliſſimum, eoquod nulla ibidem invaluiſſet hæreſis, Regio ſolio inimica: poſtquam vero regnante Henrico II. Calvini ſecta exitiali prorſus fato Franciam inficere cæperat, mox Gallorum non pauci Deum ſimul, & Reges ſuos abdicaverant, perinde ac ſi idem eſſet, a Catholicis deficere, & Regi ac patriæ bellum denuntiare; quippe vix adulto Calviniſmo ejus Sectarii lectis clam in tota Gallia copiis Ambaſiæ Franciſcum II. ejus Fratres, Matrem, totamque Regiam familiam e medio tollere nitebantur, Carolum vero IX. evocato Germano milite ſeditioſis armis preſſere, & Franciſcum Guiſium, immiſſo Sicario interfecerunt, ipſumque Regem ad Meldas intercipere attentarunt, eumque antea victorem, & poſtea a rebellibus victum, ut ſupplex pacem a ſubditis exoraret, coegerunt, ad tantam jamjam prolapſi audaciam, ut pacem reſpuerent, niſi hæc adjecta eſſet conditio, *ſi libertas conſcientiæ, ſi Miniſtro-*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Gramond. hiſt. Gall. lib. 6. Calmet Hiſt. Univ. l. 151.

Sæc. XVII. Sæc. 1620.

rum annuæ pensiones ex Regio ærario, ac denique quicquid eis libuerit, permitterentur. Nec mitius Hugonotæ, aucto eorum numero, audacia & potentia, cum Henrico III. Rege agebant, quem crebris tumultibus, rebellionibus, & bellis usque ad exitium, mortemque divexarunt: Ejus vero Successorem, Henricum IV. quamdiu ejusdem sectæ affinitate eis conjunctus erat, Regii sceptri dignissimum proclamarunt, quamprimum vero ad Catholicæ Ecclesiæ sinum redierat, in eum atrocibus illico convitiis velut in hostem publicum desævierunt, unde natum erat hoc proloquium: *Sectarios Henrico ut Calvinistæ, non ut Regi opitulatos fuisse:* qua tamen nefanda agendi ratione sat luculento prodidere testimonio, quo spiritu Calviniana, imo quævis secta Regiæ dominationis impatiens agatur. Nunquam vero Majori insolentia ac furore in Regem suum tumultuabantur Calvinistæ, quam ubi Ludovicus XIII. pessime licet consultus, eis Loduni in Pictonibus sectæ suæ comitia agere indulserat, adjecta quamvis ea lege, ut Regis edictum ante triennium die vigesima tertia Junii promulgatum executioni mandarent.

§. LXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. LXVIII.

Lodunensis Bearnensium Hugonotarum conventus contra Regis edictum.

Attamen tantum aberat, ut Hugonotæ Bearnenses Regis edictum, quo hanc Provinciam Gallicæ coronæ conjungi, & fidem Catholicam revocari cautum erat, exequi cogitarent, quin etiam frivolis ex rationibus Bearnenses Senatores Regiæ intentioni adversarentur, morasque ex moris trahentes, Regia mandata eludere niterentur: Cum autem Rex per suos Legatos executionem edicti urgeret, Forcæus, cui summa in Bearnenses auctoritas, edictum in proximo Lodunensi conventu acceptatum iri respondit, interim vero non fuit ullum injuriarum & convitiorum genus, quo Regii Legati a petulantibus Calvinistis ibidem non fuerint affecti: conclamant alii ad arma, ex factiosissimis civibus leguntur rebellionis Duces, concitatur ad seditionem populus, atque in criminis societatem vocantur quoque Aquitani, Pictones, & Narbonenses Calvinistæ. Postea Loduni celebrantur sectæ comitia, accurrunt ex singulis Provinciis tres Legati, primus ex Nobilibus, alter ex Prædicantibus, ter-

Serran. Hist. Franc. p. 958. Gramond. l. c. Brachel. Hist. nost. temp. lib. 1. Jæger Hist. Eccl, l. 1. cap. 13.

Sæc. XVII. A. C. 1620

tertius ex plebe delectus, quorum numerus ad octoginta novem ascenderat. Datur conventui initium, atque a singulis exigitur juramentum de Concilii arcanis nulla ex caussa revelandis, ac de Ecclesiarum reformatarum commodo & augmento pro viribus procurando. Postmodum Lescunus Bearnensis Senator, ac præcipuus rebellionis fautor, vir seditiosus & audax congregatis exposuit, quod Catholicæ Religionis Ecclesiastici in possessionem bonorum, quæ ablata fuissent, restitui nullatenus possent, *si vero*, addebat temerarius hic Calvinista, *contra Rex institerit, in armis remedium erit, & quilibet conatus, qui nostræ libertati obluctabitur, pro tyrannide habendus est.* Hoc seditionis classico animati Calvinistæ, præprimis in suo Conciliabulo sequentes septem articulos Regi proponendos concepere:

I. *Abrogandum edictum, quod est de restituendis Clero, quæ Reformati in Bearnia possident: quodsi in præsens abrogari nequeat, ejus executio in suspenso habenda, donec plenius liqueat.*

II. *Securitatis urbes, maxime quas in Delphinatu possidemus, novo nobis diplomate in futurum confirmandæ sunt.*

III. *Substituendum Fontaralio in præsens Catholico Romano, quem Comitia dixerint procurandæ Lectoræ.*

IV. *Ex*

IV. *Ex formula Lodunæi edicti, duo e Reformatis Parlamento Lutetiano adscribendi sint.* Sæc. XVII. A. C. 1620.

V. *Duo item in Parlamentis Lutetiano, & Divionensi procuratorum fisci substituantur.*

VI. *Tartasii illata Reformatis injuria ex bono & æquo resarcienda.*

VII. *Exustum a Catholicis Burgi ad Sebusianos templum, propriis illorum, aut Regis sumptibus reficiendum erit.*

In eodem conventu de armorum societate cum exteris Principibus ineunda agitatum erat, simulque inter eos tacita lege conventum, quod quidem specietenus se pronos in Regis obsequium ostendere vellent, priusquam tamen Rex his articulis subscripsisset, conventum solvere nollent: Re ita inter se transacta, Curelium. Buteroum, & Maynium ad Regem ablegabant, qui unacum libello supplici hæc petitionum capita eidem offerrent. His vero perlectis Rex reposuit, facturum se satis, si ex fide data statim conventus dissolveretur, ac in suam quisque domum sese reciperet, si vero diutius perstiterint, pro quietis publicæ perturbatoribus habendos, ac proscriptione bonorum plectendos esse. Tum enim primum Rex ex petulantibus eorum postulatis didicerat, quam sibi, suoque Regno exitialis

Calmet Hist. Univ. l. 151.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

lis exſtiterit intempeſtiva ſua conventum cogendi conceſſio, utpote quem in id unice intenti petiiſſent, ut omnes Provincias ſub communis cauſſæ obtentu in Regis excidium ad rebellionem concitare valerent. Cum autem Regi nuntiatum eſſet, quod congregati Calviniſtæ Loduni in conventu ſuo, donec Rex eorum petitis annuiſſet, ſe ſubſtituros declaraſſent, ac inſuper omnibus Provinciarum Syndicis præcepiſſent, quod nulla Regis, Regiique Senatus edicta, quibus Bearnenſis Provincia Gallico Imperio unienda decerneretur, executioni darent, hinc Ludovicus Rex Mareſcottum, & Mayenium ad eos ablegabat, qui obſtinatos hoſce hæreticos, vel oblata ſpe veniæ, vel pœnæ metu ad officium redigerent. Aſt contumaces perſtant Sectarii, ne tamen primi bellum denuntiaſſe viderentur, diſſimulandæ contumaciæ nova ſuorum delegatione Regi illudunt, ac jam ſæpius propoſita ad nauſeam repetunt. Rex tandem, ne per intempeſtivam patientiam ſimul conſcientiam, auctoritatemque Regiam læderet, eis reſpondit, *Majeſtatis læſæ reos fore, ſi una diutius perſtiterint:* dein Calviniſtis in ſuis comitiis pertinacius ſubſiſtentibus, edito diplomate hunc eorum conventum omnino illegitimum, cunctosque,

que, qui eidem adhæserint, perduelles fore pronuntiabat: Sub idem tempus Ledigueriuſ, & Caſtillonius, præcipua ſectæ capita, Pariſiis agebant, qui placando Regi communibus ſuffragiis incumbentes, Calviniſtarum poſtulata ad hæc tria capita, de Senatoribus aſſumendis, Lectora reſtituenda, & de ſecuritatis urbibus redigebant, eaque ſoluto conventu a Rege ſubſcribi petebant: Ad hæc Rex, poſt ſemeſtre facturum ſe ſatis repoſuit.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LXIX.

Ludovici XIII. Regis expeditio in rebelles Calviniſtas Bearnenſes.

Verumtamen nequidem expectato hujus ſemeſtris decurſu Vivarienſes Calviniſtæ primi arma corripuere, ex quorum perfidia ingens poſtmodum belli incendium adverſus Regem exarſit; quippe, inquit Gramondus, *pars eſt novæ ſectæ, odiſſe Principes, quibus natura debetur obſequium, adeo in ſtatum popularem inclinant hæreticorum ætatis noſtræ ſtudia. Semper Calviniſtis rudimenta fuere, deſtructio & ruina Principum. Teſtes Ordines Batavi, qui exacto Sæculo Regum pertæſi, excuſſere Hiſpanum jugum, gens hodie facto ſuo libera: teſtis Geneva olim Ducis Sabaudi feudum illuſtre, cui*

Gramond. l. c.

Daniel hiſt. de France tom. 10.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

decessere jura Domini vi doctrinæ, quæ Principes pati nequit. Et ne memorem in Germania tot & tantas urbes in libertatem item assertas per hæresim: testes Sectarii Galliæ, qui ab Henrico secundo ad Ludovicum decimum tertium in id contendere vim omnem, ut per calcatos Reges viam sibi in libertatem facerent. Hinc prima mali labes, hinc bellum atrox, cui accingimur: hæc belli caussa publica, ab odio in Reges. Hoc in Reges suos odium in Vivariensi populo magis adhuc accendebant Prædicantes, *gens desidiosa, qui pessimo apud Gallos exemplo ingerunt se publicis juxta & privatis rebus, jus in omnibus pro libidine usurpantes;* cum enim Chambaudi Præfecti Catholicis infensissimi Vidua Chaylano Vice-Comiti Viro apprime Catholico nupsisset, mox, incentoribus Ministellis, populus ac Nobilitas urbi circumjecta ad seditionem provocatur: Brisonus quoque vir audax, & Calvinistarum ea in Provincia Caput, unacum Tavernolo sectæ suæ socios in agmina distribuit, ac Privatium urbem, arcemque, in quam Chaylanus cum conjuge sua confugere cogebatur, tota armorum vi obsidet. Accurrerat tamen tempestive Mommorancius, qui captis Villanova, Valousio aliisque locis munitis, urbem arcem-

cemque Privatianam expugnavit, facta has in leges conventione. Sæc. XVII. A. C. 1620.

I. *Præsidiarii armis suis exuti ex arce discedant, postquam petitam humillime a Rege veniam, a Mommorantio impetraverint.*

II. *Diruantur munimenta qualiacunque urbem inter, & castrum constructa, ex quo obsessa est civitas.*

III. *Brisonus & Tavernolus quandocunque in Momorantii manus inciderint, arbitrio ipsius subjaceant.*

IV. *Regis exercitus, quem peditum millia sex, mille alarii componunt, oppidanorum impensis per sex dies alatur.*

Firmatis utrinque his legibus, Mommorancins fidei Catholicæ usum restituit, & procurandæ arci Præfectum imposuit Sanpalesium, qui a Sectariis clandestina in urbe consilia agitari edoctus, munimenta inter arcem & urbem ab eis constructa solo æquari præcepit. Verum mox oppidani convocato consilio novam seditionem conflant, eademque munimenta, quæ diruere jubebantur, firmanda, imo & augenda decernunt. Non tulit audaciam Sanpalesius, qui absdubio displosis in urbem tormentis bellicis seditiosos ad obsequium revocasset, nisi Brisonus cum suis in opem accurrisset, quem tamen postea Mommorancius, non tamen

sine

Sæc. XVII. A. C. 1620.

ſine mutua cæde, domaverat: Rex vero, cum edicta ſua paſſim ſperni, ac Calviniſtarum omnium animos in arma, & rebellionem inclinari cerneret, die decima Octobris Burdegala, Bearniam contendit, prono in pacem animo, ſi ad obſequium redirent Bearnenſes, edictoque nuper promulgato ſubſcriberent; non enim primo impetu auctoritatem ſuam armis vindicandam eſſe cenſebat, ne Sectariorum contumacia, calamitate publica plecteretur. Igitur Rex continuato itinere die decima tertia ejusdem Menſis Granatam pervenit, ubi Palenſis Curiæ Advocatus obviam occurrens, jamjam in Senatu Regis edictum fuiſſe approbatum teſtabatur, ac hucusque dilatæ executionis veniam poſtulans, per omnia ſacra ſupplicabat, ne Rex ulterius progredi vellet: Forceus quoque Præſes, qui Calviniſtis clam favebat, nullum non movebat lapidem, ut Regem a profectione diverteret, aſſerens, fore ſe imparem mitigandæ Bearnenſium feritati, ſi Rex armata manu hanc Provinciam adire vellet, cui tamen Rex ſubridens reſpondit: *ſi tu ad mandata mea exequenda nimium infirmus es, ut copiis meis te adjuvem, neceſſe eſt.* His dictis die decima quinta Octobris Rex Palum urbem ingreſſus eſt, ſibi tamen a Magiſtratu publicos hono-

honores exhiberi noluit, eoquod ibidem nec Catholico ritu ſacratum Templum, nec Sacerdotes eſſent. Nondum Rex bidui ſpatio in urbe morabatur, & jamjam hæc ipſa Regis mora Calviniſtis ſuſpicionem ingerebat, quocirca ut illum famis metu urbe excedere compellerent, ſtudioſe horrea celarunt, vina humo ſuffoderunt, annonæ pretium immodice auxere, omnemque rem frumentariam diſtraxerunt. Adeo exoſa erat hiſce Calviniſtis Regis ſui clementiſſimi præſentia. Porro Rex die decima octava ejusdem Menſis ad Navarræam arcem longe munitiſſimam contendit, quam Saleſius illius Præfectus, Vir octogenario major, etſi Calvini ſectam profiteretur, Regis tamen ſui præſentia territus præter omnem exſpectationem ultro eidem tradidit, huic vero Senilargiter remunerato Rex Royanum Religione Catholicum ſuffecit, Catholicamque Religionem eadem die, qua ante quinquaginta annos abolita erat, reſtituit, ſacrumque ſolemne, cui interfuit, celebrari juſſit. Inde altera die Palum reverſus, edictum promulgari præcepit, cujus articuli erant ſequentes. I. Epiſcopi & Abbates Benarnenſes ex Veteri ritu in Parlamento ſedant, & cenſeant.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

II. Re-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

II. Restituantur Clero bona mobilia, & immobilia, qualia ab antiquo possedit, Episcopisque posthac in provincia autoritas sit, qualem decessores ipsorum habuisse constat.

III. Navarra inferior, & Bearniæ principatus Galliæ uniantur sub uno Parlamento.

IV. Proscribatur Persanorum (*) usus, Gentis seditioni assuetæ, cujus munus est ciere indigenas in rebellionem & nefas.

Exequendis porro hisce articulis Rex Auberium, & Fabrum Tarabellum libellorum in Regia Magistros delegabat, ipse vero Episcopis suas restituit Ecclesias, & Catholicis Pavienſe Templum, quod Calvinistæ antea sibi usurpaverant: postea peracta re Divina solemnis habebatur supplicatio, tanta omnium Ordinum veneratione & frequentia, eoque populi concursu, ut in hanc urbem unacum Religione ipsa Roma translata videretur. Umbellam, sub qua Sanctissima Eucharistia gestabatur, quatuor deferebant Principes oculis in terram demissis, composito ad reverentiam vultu, ad humilitatem gressu,

(*) Persani vocabantur Cantones seu Pagi, in quos Bearnia distribuebatur, eorum Tribuni subditos armandi potestatem habebant.

greſſu, & ore ad pietatem: Sequebatur detecto capite, cereo ad manum accenſo Catholicæ fidei vindex Ludovicus Rex Chriſtianiſſimus, ad cujus aſpectum fremebant Hugonotæ, triumphabant Catholici, feſtive acclamantes: *Vivat Rex!* Expleta ſacra hac adeo glorioſa & incruenta expeditione, Rex Burdegalam reverſus, die ſeptima Novembris Pariſios ingreſſus eſt, ſpe fretus, Calviniſtas, qui ſola Regis ſui præſentia intra quinque dierum ſpatium ad officium redacti ſunt, deinceps juſſis ſuis ad amuſſim obtemperaturos.

§. LXX.

Plures Hugonottarum conventus in variis Franciæ urbibus.

Attamen Rege vix a Pavienſi urbe digreſſo, Hugonotæ, quos nequaquam veritatis amor, ſed Catholicæ Religionis odium in ſectæ ſuæ fanatismo pertinacius detinuerat, rurſus ſeditioſa adverſus Regem ſuum conſilia agitare cæperant: Ut autem orbi fucum facerent, ac rebellionis ignominiam a ſe averterent, Germaniæ Principum & rebellium Bohemorum exemplo, ſe non regi ſuo, ſed invidis & calumniatoribus ſuis reſiſtere, ac nonniſi pro

Serres Hiſt. Franc. pag. 961. Gramond. & Calmet l. c. Theatr. Hiſt. cap. 5. p. 782. Merc. Gallob. tom. 9. l. 2. p. 279.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

pro jurium, privilegiorum, ac libertatis defensione bellum gerere jactitabant, perinde acsi ipsimet Regi non obluctaretur ille, qui ejus edictis per Regios Ministros promulgatis non obtemperat, in illius Regno conjurationes, seditiones, iterata & contra Regis mandatum conventicula, bellaque concitat, exterosque in Regem suum armat. Præ ceteris vero primi, quibus Clericorum restitutio in Bearnensi Provincia ad seditiones facem accendit, erant Navarreni, qui etiam Provinciæ suæ Præfecturam, a qua ob grave senium Salesius exonerari ultro petebat, Viro Catholico concessam querebantur: Haud segniores Provinciæ Proceres a Prædicantibus, qui ubique belli classicum canebant, instigati, ad violenta consilia prorupere, omnesque, qui ad radices Pyrenæorum montium, & Galliam Narbonensem incolebant, in rebellionis societatem evocarunt, missisque per omnes Franciæ Provincias Calvinismo infectas literis, Bearnensibus vim illatam, jura adempta, læsamque conscientiæ libertatem questi sunt, cum tamen Ludovicus Rex, dum avitam Religionem introduxerat, nullum omnino ad illam amplectendam coegerit, omnibusque Calviniſtis sectæ suæ libertatem permiserit, imo & Prædicantibus

tibus ex ærario publico ſalarium nullo titulo debitum conſtituerit: ex quo vel craſſa ignorantia, vel infrunita malitia Calviniani Scriptoris proditur, qui Bearnenſes ad fidem Catholicam variis violentiis coactos fuiſſe mentitus eſt, ademptamque conſcientiæ libertatem deploravit, perinde ac ſi Calviniſtæ ſectam ſuam peregrinam, novitiam, & ægre ſexaginta annos adultam, ac non ita pridem per vim apertam, dolosque intruſam propagandi firmius jus haberent, quam Rex Chriſtianiſſimus Religionem ſuam mille trecentorum & ultra annorum poſſeſſione firmatam in proprio Regno ſuo tuendi, abjectamque revocandi: Nimia igitur arrogantia Hugonotæ a Galliarum Rege, illato ſeditionum terrore poſtulabant, ut eandem conſcientiæ libertatem, quam in ſua Provincia ſibi permitti petebant, Catholicis denegaret. Nihilominus inſano hoc ſectæ ſuæ fanatismo abrepti Calviniſtæ, & præcipue Bearnenſes ad vomitum rediere, ac vetera ſeditionum conſilia innovantes, Leſcunum, & Vigniaſium per univerſam fere Franciam delegarunt, ut vulgus ad Catholicorum, regiique militis jugum excutiendum concitarent. Ut autem communi ſtudio rebus ſuis conſulerent, præter generalem, ut vocabant, Rupellenſem Synodum varios habe-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Hiſt de l'Edit de Nantes tom. 2. p. 294.

Weisman. Hiſt. Eccl. Sæc. XVII. pag. 1007.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

habebant conventus, ac primo quidem Montalbani convenere, quo pacto eorum sectam ab oppressione violenta vindicare possent, consulturi: prævie autem Lescunus, qui sese semper Regiis Ministris opposuit, cives Navarrenos hortabatur, ne Regis edictum ratum haberent, sed potius si salvam vellent Religionem suam, opem ferre festinarent. Quoniam vero ad bellum, quod Hugonotarum præcipui meditabantur, nimium infirma esset Montalbani conventus auctoritas, hinc unanimi suffragio decrevere, ut e tota Provincia præcipui sectæ fautores in oppido Amilhanno, Milhaud seu Amiliano undecima Novembris die solemniorem conventum celebrarent. Placuit omnibus Calvinistis hoc consilium, vehementer autem reclamabat Rex, qui in ejusmodi conventiculis suam auctoritatem labefactari, publicam quietem turbari, & seditiones populi conflari noverat: Nihilominus Amiliana Synodus indicitur, misso ad omnes Provincias hoc programate: *Cum suam quisque fortunam in consilio habere debeat, dum de aliena deliberat, procellosa tempestas, quæ Bearnii fratres nostros in saxa & scopulos egit, versis post ipsorum naufragium in Cymbam, qua vehimur ventis, monuit, aut portum quærere, aut jacere in alto ancho-*

anchoram, donec desævierit ventorum rabies. Hæc nos movit occasio, abbreviato circulo Montalbanum cogendo, cujus autoritate prospiceretur caussæ in ruinam præcipiti. Malum certe ingens est. Edictorum fides violata, dejecti possessionibus suis pastores Bearnenses, coacti in idoli cultum, qui ad supplicationes Pavii solemniter habitas genuflectere recusarunt: Libertas oppressa, mutata in urbibus reformatis præsidia: Navarræo castro Papista substitutus. Hæc vidimus, hæc tulimus in hanc diem. His movemur, ut Amiliani urbe in Ruthenensi solo percommoda provincialem Synodum indicaremus. Quare Charissimi fratres, hisce vos literis certos facimus de proxima indictione conventus, ad quem delegabitis ex vobis, quorum erit ferventior zelus. Hortamur insuper, ne patiamini malignitate temporis, & prava Papistarum suasione tepescere fidem, mutuamque invicem Charitatem, per quæ in hanc diem perseveramus. Absit ætate nostra desertores fidei esse, quorum parentes vitam posuere inter arma conservandæ, propagandæ. Ceterum mature facto opus est; tempore urgemur: intercedunt parvis momentis magni eventus. Nostra quod attinet Sacramento solemni astringimur communi caussæ: injuriosa est, quam patimur servitus, ita ad aratrum boves: si deest justam in libertatem animus, quæramus locum, in quo procul cru-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

delitate tyrannica, hæc protrita membra obruamus, ubi cicatrices celet exilium: vobis interim Deus propitius sit.

§. LXXI.

Hugonotarum conventiculum Amiliani habitum.

Gramond. l. c.

Acceptis hisce literis mox præter alios quamplurimos convenere Calvinianæ factionis Oratores numero octo, quibus accessere duo famosi Prædicantes, bellique incentores Chamierus, & Jolius. Præerat huic conciliabulo Caussæus Nobilis. Præprimis luculenta oratione expositum, quod novissime Calviniani Pastores bonis, & avita possessione sua in Bearnensi ditione dejecti fuissent, arcesque munitissimæ dolo interceptæ, exauctoratisque Gubernatoribus, & præsidiariis subrogati Catholici, novisque legibus, ritibusque abrogata fuissent Provinciæ privilegia, & concessa olim conscientiæ libertas. His Lescunus, summæ temeritatis Vir hæc adjecit: „Dolent Bear-„nenses Reformati eo provectam cala-„mitatem suam, ut qui Galliæ fratri-„bus, si quando opprimerentur, se in „subsidium fore speraverant, cogantur „provolvi ipsorum genibus protectioni „impetrandæ. Eæ nunc sunt rerum „vices,

Meteran. l. 40.

„vices, quæ cælo ſubjacent. Invidiæ „ſæpe commiſeratio ſuccedit; inaudita „eſt tyrannis, quam exercent in pro„vincia reformata Papiſtæ: ſolo æquati „ſunt urbium muri, ſpoliati poſſeſſione „ſua paſtores, oppreſſa Religio: ad „fratrum ergo pedes, ſupplices proſter„nuntur Bearnenſes, neque plane de„ſperata ſalus.„

Sæc. XVII. A. C. 1620.

His dictis Leſcunus ea perverſa conſilia, quæ Bearnenſium factio jam antea clam excoxerat, in conventu propoſuit, ſingulos adhortatus, ut ſeſe in priſtinam libertatem aſſerere ſatagant, Regios milites arcibus, oppidisque impoſitos, ac vino, ſomnoque ſepultos jugulent, & poſtea Bizinii Nobiles, Viri generoſi, & ad quævis audenda accincti, Navarrenam arcem intercipiant, & promiſcua cæde præſidiarios omnes unacum arcis Præfecto deleant. Sanguinolenta hæc conſilia ad Calvinianum genium accommoda propoſuit Leſcunus, tandem vero omnium ſuffragio in ſequentes conventum eſt articulos:

I. *Provincia Aquitania Bearnenſium protectionem promiſſam & debitam jurejurando confirmet.*

II. *Ad Mareſcallos Esdiguerium & Bullionium, ad Duces Tremollium Rohanæum, Sullium, Caſtillonium, ad Synodum nationalem, quæ in præſens Ale-*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

ſii habetur, ad provincias Narbonenſem, Cadurcorum, Vivarienſium, Cebennarum & Delphinatus, ad Caſtrum Albigenſium, & Rupellam delegabuntur nomine conventus Amilianenſis, qui prædictos Mareſcallos, Duces, Provincias, urbes, in ſuſcepta Bearnii defenſione confirment.

III. *Quo monitiones primorum Galliæ, aut Principum externorum (ſi quas ad nos mittere opus) valere poſſint, & nobis innoteſcere, placet hujus Synodi abbreviatum Conventum una ſubſiſtere, regentibus interim colloquia, Rutheno-rum Comite Orvallo, Cadurcorum ſimul; & Albigenſium Malauſio, Lauragueſiorum Sanromæo, quorum in iis provinciis ſumma autoritas eſto, præterquam militis legendi, bellique quoquo modo inferendi, quam facultatem ad Comitia Rupellam ſub finem anni convocanda transmitti æquum eſt.*

IV. *Muniant ſe urbes quibuscunque præſidiis prohibendæ obſidioni, & ſi opus, bello inferendo.*

V. *Referetur ad Caſtri Albigenſium, & Amiliani Oratores, peſſimi rem exempli, & periculoſam cauſſæ communi fore, ſi ad comitia Generalia Rupellæ habenda militiæ ordo omnis transmittitur, ita ut provinciarum colloquiis autoritas omnis adimatur.*

VI. *Cre-*

VI. *Creandus mox erit Bellidux, qui in Bearnium auxiliares copias inferat.* Sæc. XVII. A. C. 1620.

His adhuc duo alii ſubjiciebantur articuli inter arcanos habiti, quorum primo decretum, Ledigueriinm & Caſtilionium commovendos eſſe in ultionem injuriæ acceptæ ex violata per Regem ipſis data fide de ſubſcribendis articulis, ſi comitia Loduni habita diſſolverentur: Altero autem decretum erat, prima quaque die bellum contra Regem eſſe inchoandum. Huic quidem articulo obſtabant Caſtri Albigenſium Oratores, Bellujonus, Boiſſerus, & Jolius, prævaluere tamen numero ſeditioſi.

§. LXXII.

Calviniſtarum Navarrenſium proditio contra Regios Miniſtros.

Quam faciles aures Calviniſtæ præbuerint ſanguinariis Leſcuni conſiliis, paulopoſt prodidit Navarrenſium perfidia. Hi enim Catholicos, & præſidiarios arcis ſuæ milites opprimere intenti, factionis ſuæ Duces, Authoresque conſtituebant Bizinios Nobiles, quos Regi maxime infenſos noverant, eo quod hic Præfecturam, quam velut hæreditario jure ad ſe devolutam exiſtimabant, Poyano Viro apprime Catho- *Serres hiſt. Franc. p. 961.*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

tholico contulisset. Præterea Navarreni cives ex Regiis Præfectis Lazenæum, Miramontium, & Lavergnium per crebra verborum lenocinia, lautaque convivia sibi devincire nitebantur: cum autem ex horum Centurionum familiaritate præsidiarii milites, nescio quid sinistri suspicarentur, de insidiarum periculo eos commonefecere: Hi ergo, ne officio suo deessent, aucto excubitorum numero civium domus, armaque eo majori sedulitate perquisierunt, quo latius rumor increbuerat, quemdam nomine *Neuhaus*, hominem Regiis aliunde suspectum cum pluribus aliis die octava Decembris urbem fuisse ingressum, ibidemque Bizinium latitare, ac denique cives constituisse, sequenti nocte Regios omnes interficere. Perlustrantur igitur ædes, comprehenduntur cives de seditione suspecti, qui tamen præfracte factum negantes dimissi sunt. Excutiuntur etiam domus, in quibus latitare dicebatur Bizinius, qui tamen cum suis armatis per posticum domus evasit, ingressi nihilominus præsidiarii milites, subter fænum occultatos quosdam repererunt juvenes, qui itidem ex metu, non autem malefacti conscientia sese abscondisse jurabant: Forte tamen Regii in civitatis platea intercepere quemdam, qui intentata

tentata morte territus, ac promissæ impunitatis spe pellectus, ultro fassus est, constituisse seditiosos duobus agminibus per eam noctem rem gerere, primum agmen jussum esse, centuriones repente jugulare, postea excubitores in foro stationem habentes invadere. Alterum Duce Binzinio excubias ad portam constitutas aggredi, interfectisque omnibus pontem pensilem, qui tunc de more levatus erat, demittere, ad recipiendos quingentos viros, qui extra urbem in insidiis collocati, occasionem rei gerendæ expectarent. Sæc. XVII. A. C. 1620.

Centuriones tam periculosa seditione intellecta, summa diligentia tum ipsos proditionis Authores, tum reliquos criminis conscios perquirebant, eorumque quamplurimos deprehenderunt, qui in cloacis subterraneis, hortorum vepretis, granariorum maceriis, fossis, cisternis & tectis, armati sclopetis, sicis, & pugionibus latitabant: non pauci tamen, atque inter eos ambo Bizinii, evasere, funibus aut scissis lodicum telis de murorum altitudine in fossas sese demittentes. Capti fuere conjuratorum sexdecim, e quibus duodecim laqueo vitam finiere, ceteri partim de pinnis murorum partim in patibulis suspensi, quorum tamen mortem, ut vindicarent Hugonotæ, in

Sæc. XVII A. C. 1620 Catholicos in Aquitania, Narbona & Rupellis inhumana crudelitate sævierunt.

§. LXXIII.

Aliud Hugonotarum conventiculum jam antea Alesiæ habitum.

Calmet Hist. Univ. l. 151. Gramond. l. c. Synod. Nat, Ref. p. 138.

Interea vero Calvinistæ Synodum, ut vocabant, Nationalem Alesiæ in Occidania die prima Octobris celebrabant; in ea Dordracensis Conciliabuli acta rata habebant, simulque a Bearnensibus rogati, ut Synodum Rupellis habere possent, a Rege facultatem petere decreverant, mutata tamen postmodum sententia eo potissimum curam intenderunt, ut Privatiensibus Calvinistis necessaria ad bellum subsidia subministrarent: communibus igitur suffragiis collata est in publicum pecunia in belli sumptus, & quidem Montalbanum triginta octo librarum millia, Castrum Albigensium viginti octo, Amilianum sex millia obtulit, singulæ vero Provinciæ, ubi Conventus agebatur, stipendium militare in novem Menses erogavit, præter privata subsidia viritim collecta, adeo ut Regi ingens belli moles incumberet; his enim suppetiis freti Privatienses Lestrangium Regium Belliducem, qui in Vivariensem Provinciam,

ciam, & Privatienſem urbem Catholicæ Religionis uſum revocare jubebatur, aperto Marte aggreſſi ſunt, auctoque ſuorum numero regios milites ex urbe in arcem confugere & decimo quinto obſidionis die deditionem facere compulerunt, qnamvis poſtea a Mommorantio Duce, ut meminimus, ad obſequium revocati fuerint. Ceterum Aleſiani Hugonotæ conciliabulo ſuo die ſecunda Decembris finem impoſuere, Oratoribus autem ad ſuas quisque urbes reverſis negotium dederunt, ut in tranſitu omnes urbium Magiſtratus, & Nobiles, ceterosque ſectæ ſocios admonerent, deſtinatum eſſe bellum communi ſuffragio, conventumque in Aleſiana Synodo, ut collapſi reficerentur muri, validisque propugnaculis munirentur urbes, ac denique pro communi cauſſa junctis viribus, ac uno omnium impetu bellum gereretur. Sanguinaria hæc Calviniſtarum conſilia omnino condemnabat ſana ratio, approbabat tamen firmandæ ſectæ furor, qui, funeſtas haſce ideas Prædicantibus ſævitiam, Religionis obtentu, tegere aſſuetis, atque alienæ dominationis impatientibus implantabat, necnon ab his poſtea velut a primæva origine venenum ſuum in populos tam potenter diffundebat, ut non ſine humanæ naturæ hor-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Vid. Supra §. XXII. Liebr.

Sæc. XVII. A.C. 1620. horrore comprehendi haud potuerit, paucissimos ex hisce Sectariis fuisse, qui sese humano sanguine inebriare non certassent, haud alio ex fine, nisi ut sectam tuerentur, quam tamen ipsimet duntaxat veram credidere, quia privatis eorum commodis, innatoque Catholicos opprimendi studio tum deserviret, de cetero autem sat persuasi essent, quod ejusmodi regerentur regulis, quas sicut nonnisi ignorantia & ambitio adinvenit, & effrænis vitæ licentia hucusque fovit, ita denique nonnisi seditio, ferrum & arma eas tueri valerent.

§. LXXIV.

Principum Protestantium Conventus Ulmæ habitus.

Lotich. rer. Germ. l. 5. cap. 9. Brachel. Hist. lib. 1. Adlzreit. p. 3. l. 5.

Cum interea Hugonotæ in Galliis de proximo in Regem suum bello consilia cuderent, nil propius in Germania erat, quam ut Cæsaris, fœderatorumque Principum copiæ in aciem educerentur, & præprimis quidem Maximilianus Bavariæ Dux cum exercitus sui plusquam triginta millibus armatorum, & quingentis, Ductore Joanne Tscherclasio Tillio Lauingam inter & Ginzburgum ad Danubii ripam castra posuit. Strepitu Boicorum armorum excitati Unitorum Protestantium Duces, Onolspacensis & Durlacensis

censis a Mæni Nicrique finibus sursum tendentes Ulmæ vicina petunt, ibidemque ineunte Mense Junio stativa figunt; cum autem eodem tempore Ambrosius Spinola pro Cæsare bellaturus, cum viginti quatuor Belgarum, & Burgundionum millibus Rheni Superioris oras irrumperet, hinc Maximilianus validum suorum agmen ad omnes casus intentum Dilingæ subsistere jussit, atque Albigium Sultzensem Comitem Legatum suum ad Correspondentium Principum castra percontatum misit, quorsum eorum spectarent consilia; Bohemis enim sese jam extra fines Regni effundentibus, periculum esse, ne & ipsi Imperium infestarent. Hæc Ducis legatio Correspondentes, qui Ulmæ vicinia cum exercitu suo insederant, adeo attentos reddebat, ut ibidem conventum indicerent de componendis Germaniæ rebus serio acturi. Cæsaris nomine præerant Hohenzolleranus Comes, tresque Bavariæ Ducis Legati: Protestantium vero vices Joachimus Ernestus Onoldinus Princeps, & Carolus Comes a Witgenstein obibant. Aderant quoque præter plures alios, triginta sex Principum Protestantium, urbiumque Oratores, inter quos non pauci Prædicantes numerabantur. Eodem die, quo conventui datum est initium, ex

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Hist. de Bav. le Blanc. tom. 4.

ex Francici Regis mandato Vienna Ulmam venere Carolus Valesius Engolismensis Dux, & Philippus Bethunius præter alios, qui pacis interpretes agere jussi sunt. Congregatis igitur una omnibus Bavari Oratores rursus Protestantes Principes interrogabant, pacem an arma decrevissent? ad hæc responderunt Protestantes, quod pacem quidem præoptarent, in tanta tamen armorum potentia Catholicis diffiderent, nisi hi idoneos pacis firmæ sponsores interponant, ac de honestis pactis conveniant. Postea præter plures alias potissimum has proposuere concordiæ leges. I. *Albertus Archidux, ac Belgii Gubernator pacis futuræ pacta unacum Catholicis amplecteretur:* hunc articulum Protestantes sibi concedi urgebant, ut a Belgii copiis tuti, promptiores ad juvandos Bohemos redderentur. II. *Protestantium querelis confestim satisfieret, & si quis e Protestantibus a Cæsare proscriberetur, nullus Catholicorum Principum ejusmodi pœnam executioni daret.* III. *Dux ea, quæ Correspondentes Norimbergæ congregati petiissent, præstaret.* Hos articulos, utpote a ratione alienos Bavari Ducis Oratores rejecerunt, exponentes, liberas esse Catholicæ unionis Fœderatorum voluntates, proscriptionis autem pœnam nulli innocenti formidandam,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

dandam, facinorosis vero merito irrogandam. Hæ rationes Gallicis Oratoribus tantopere probabantur, ut Correspondentes viribus suis diffisi, & Spinolæ adventum veriti, etiam de prima sua pertinacia nonnihil remitterent; unde post crebras ultro citroque habitas concertationes tandem ineunte Mense Julio, Gallorum præcipue industria & dexteritate, in has utrinque leges conventum est. I. *Pax inter Bavariæ Ducem & Anspacensem Marchionem, necnon inter Boicum, & præsentem Correspondentium exercitum sit.* II. Neutra pars alteram, aut ditiones ejus infestet, nec transitus, expeditionesque militares pacatas prohibeat. III. Miles circum Ulmam, & qui Lavingæ viciniam insidet, ocyus abducatur. IV. Intra limites interim Pacis istius, nec Bohemia, nec fœderibus ejus illigatæ provinciæ ceteræ, nec Austriacæ Domus hæreditariæ regiones censeantur, sed suæmet rerum aleæ fortunæque relinquantur. V. De damnis utrinque præcipue ad Suntheimium illatis, eorumque compensatione, necnon de Protestantium & Catholicorum gravaminibus deinceps alio tempore & loco agatur. Hisce pactis die quinta Julii ad Bavariæ Ducem relatis, & utrinque firmatis, Onoldinus Princeps copias suas Ulma

Londorp. act. publ. l. 5. p. 794. Merc. Galdob. t. 9. l. 1.

Sæc. XVII. A. C. 1620. Ulma versus Palatinatum inferiorem reduxit, ut Spinolæ progressibus obstaret, Bavarus vero cum suo exercitu, in Provinciam Austriacam supra Anasim, secundo Danubii flumine ex Cæsaris mandato movit.

§. LXXV.

Maximiliani Ducis expeditio in superiorem Austriam.

Lotich. l. 5. cap. 11. Ober und Nieder-Oestreich Journal Merc. Gallob. tom. 9. lib. 1. Carafa Germ. rest.

Enimvero hac pace inter Catholicos, & Germaniæ Principes Protestantes firmata, Ludovicus Franciæ Rex rebus suis haud parum consuluerat; verebatur enim, ne Fridericus Palatinus novi Regni accessione potentior factus, denuo, ut olim, Hugonotarum res in Galliis fulciret, quos tamen ad bellum paratos in ordinem redigere propediem meditabatur: nihilominus ejusdem Regis conatus magna sui commendatione haud fraudandus erat, eoquod pacata nonnihil superiore Germania, tota belli moles Bohemis utpote præcipuis omnium calamitatum Authoribus incumbere inciperet, & Protestantibus Germanis Bohemorum defensionem abdicantibus, Friderici partes haud parum debilitarentur, Cæsar econtra rebelles Austriacos compescere posset, iisque debellatis via in Bohemiam

miam expeditior esset. Nil igitur cunctandum ratus Ferdinandus Imperator, Maximiliano Bavariæ Duci negotium dedit, ut Austriam citeriorem versus illico signa converteret, ne Anassini, gens alioqui ferox, & inquieta, armis suis Mansfeldio junctis, Bavariam, Austriam, & Imperium inundarent. Maximilianus igitur Cæsareis jussis obtemperaturus, mox cum quinquies mille quingentis Equitibus, & peditum viginti quatuor millibus, & quingentis die decima tertia Julii Dilinga Höchstadium contendit, ibidemque salutata Palatina Principe Vidua, Neoburgum profectus, a Wolfgango Guilielmo Duce Neoburgico perhonorifice exceptus est, navis beneficio Passavium delatus: itinere dein terrestri Scherdingam Bavariæ oppidum pervenit, ubi die decima septima duo Principes Lotharingici Carolus & Elbovius, necnon Teschæ Princeps Silesita, & Virginius Ursinus Nobilis Romanus ad Bavariæ Ducem venerant, sub ejus imperio belli rudimenta posituri. Eodem die per Sigmarium Centurionem Maximiliano nuntiatum, quod Anassinæ Provinciæ rustici, de Boici exercitus adventu certiores facti, ad arma prosiliissent, utque fines suos, donec a Bohemia suppetias acciperent, tuerentur, arcem

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Starenbergicam, & Hagenum oppidum ejectis omnibus Catholicis occupassent, & Hungari quoque, qui in opem Bohemis missi erant, die duodecima Julii excursione Suolchinum versus facta, oppidum, præsidiario Cæsaris milite trucidato, deprædati fuissent, indeque Budivitium excurrentes, pecora abegissent, fusis ad Crumaviam quinquaginta Cæsareis Equitibus.

§. LXXVI.

Austriæ Inferioris Ordinum Legatus ad Maximilianum Bavariæ Ducem decretus.

Barre Hist. d'Allemagn. tom. 9. Theatr. Hist. pag. 767. Caraf. p. 83. Brachel. pag. 22. Jæger. Hist. Eccl. p. 318. le Blanc. Hist. de Bav. p. 95.

Hisce violentiis commotus Bavariæ Dux, jamjam admoto milite ultionem parabat, cum Superioris Austriæ Ordines die decima nona Julii eundem Sigmarium Centurionem ad Maximilianum ablegarent, sciscitatum, quo hæc „Ducis expeditio spectaret, cum ipsi „nil hostile unquam contra Bavariam „meditati essent, proin exercitum suum „ab Austriæ finibus amoveret, ne novi „orirentur tumultus, sicut nuper rustici „ad Boici exercitus rumorem in arma „coivissent, mox tamen ab Ordinibus „a proposito revocati.„ Ad hæc respondit Dux Centurioni, se proxime Legatos suos ad Austriæ Proceres Lincii con-

congregatos decreturum. Die igitur vigesima ejusdem Mensis Maximilianus Laurentium Bensinum, & Reinachium ablegabat, qui Ordinibus significarent, rem in eo esse, ex Cæsaris voluntate, ut nisi sponte resipiscerent, lata de iis proscriptionis pœna sumeretur: postea Bensinus injurias Mathiæ, & Ferdinando Imperatoribus illatas eis exprobrans, Et *vos*, prosequebatur, *vos, qui jam inde propemodum ab initio motuum istorum, rebellionis Consilia Bohemicis turbis immiscuistis; qui Turrianum Viennæ portis, ac mœnibus hostiliter non semel imminentem, omni subsidio juvistis; qui Cæsaribus e diverso, copiisque Cæsarianis aditum, transitum, commeatum, & annonam, intercidistis: qui vias, calles & sylvas, obicibus arboreis occlusistis; Danubium, catena junctum, navigationibus impervium reddidistis; Cæsarum duorum delectus militares impedistis; e vestro contra corpore decimum quemque legistis adversus Cæsares; & hujus ipsius, in qua loquor, urbis arcem præsidiis insedistis, qui milite vestro Melicense vexastis asceterium, & inferioris Austriæ loca pacata, Regique suo morigera, turbastis, impugnastis, & diripuistis, Cæsaribus tributa legitima negastis; vestros autem in usus, & delectus, indixistis, ac collegistis: imperatoria mandata dehortationes & edicta, flocci fecistis, &*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

idcirco proscriptionis in fulmen incidistis: Vos denique, quos ob ista taliaque complura, læsæ Majestatis delicta, Cæsarea Majestas eadem novissime pridie calendas Julianas, Imperii perduelles proclamavit, & ut hostes Reipublicæ Christianæ publicos plectendos, edicto pronuntiavit. His ita exprobratis ita prosecutus est: *Ad horum autem scelerum vindictam, Imperator suas commisit vices Maximiliano Duci nostro, cum summa potestate de facinorosis vobis justa supplicia sumendi, nisi hac denuntiatione permoti, pacis veniæque a Cæsare impetrandæ consilia amplexi fueritis, fœdera igitur cum Bohemis juncta, rescindite. Fœderis exemplar penes Ducem nostrum deponite. Juramentum eis nuncupatum ejurate. Redite vos ad obsequium, & in eadem, a reditu deinceps, fide, qua qui sanctissima, perstituros, fidem Sacramento sulcite. Sacramentum autem Maximiliano Duci, tanquam ipsi Cæsari præsenti, præsentes dicite. Linzium Urbem, Urbis arcem, præsidium arcis & provinciam, una vobiscum, ei dedite. Danubium, & vias ceteras, transituris hucusque clausas, quales antehac fuerunt, apertas perviasque reddite. Pacta quæcunque, cum quibusvis (etiam extra Bohemos) Cæsaris inimicis inita protinus abolete. Deliberandi, quid in hæc acturi sitis, spatium, moramque*

que vel nullam vobis vel non plus dierum quinque, capitote. Diem ſextum ſcitote, cunctis ex æquo fore decretorium: morigeris, ad præteritorum veniam: in contumacia manentibus ad ſupplicia. Sæc. XVII. A. C. 1620.

His perceptis Ordines reſponderunt, quinque dierum ſpatium eis præſtitutum nimis anguſtum fore, proin petere ſe, ut Dux illud laxare haud gravaretur, eoquod ad diem vigeſimam ſeptimam Julii conventum indixiſſent, de rei ſumma acturi.

§. LXXVII.

Homagium ab Auſtriæ Ordinibus Cæſari præſtitum.

Attamen Bavariæ Dux, cum ad accerſenda Bohemorum, & Mansfeldii auxilia temporis prorogationem ab Ordinibus peti odoraretur, in temporis denuntiati decreto permanſit: nec vana erat ejus ſuſpicio; quippe Anaſſini Ordines non modo evoluta quinque dierum mora non comparuere, ſed inſuper Hungarorum & Bethleni auxilia implorarunt, & ruſtici Erneſtum Ludovicum Saxo-Lavenburgicum Ducem die vigeſima ſexta Julii in pago *Aſchau* dicto, unacum quodam Nobili ejusque famulo miſere trucidarunt, eoquod inter prandendum ad plebeios furioſos dixiſ-

Lotich. rer. Germ. l. 7. cap. 4. Annal. Boic. p. 3. l. 5. Brach. Hiſt. pag. 42.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

dixisset: *mox in foribus adventuros hospites, quorum adventu seditiosis minus foret exultandum.* Eapropter Bavariæ Dux Alexandro Haslango in mandatis dabat, ut junctis cum Tillio viribus saltum, cujus vias Anassini rustici truncis arborum in decussim aggestis obstruxerant, perrumpere niteretur, neminem tamen, nisi temere renitentem lacesseret. Vix autem laboris datum est initium, cum armata rusticorum agmina resisterent, & ex Cæsareis militibus, quos in eorum manus infausta fors dederat, crudelitate nusquam audita non paucos interimerent: unde factum, ut Cæsarei aperta tandem via campos & late patentia loca nacti, in rebelles rusticos irruerent, plurimisque eorum trucidatis quosdam pagos incenderent. Horum tamen sortem misertus Dux constituta gladii aut laquei pœna ejusmodi sævitias inhibuit, illatique damni reos plecti præcepit, dein Croyum cum valido agmine in Bohemos Hungaris junctos movere, eosque a Passaviensium finibus, quibus populabundi imminebant, arcere jussit. Interim Haslangus Baro Hagam oppidum, quod rebelles ejectis Catholicis insederant, occupavit, & Sternberga ac Welsio deditione captis, expugnatoque Wolfseggio apud Aisterheimium substitit, victoriæ

ctoriæ curſum remorantibus arcis Præfecto & ruſticis, quorum tamen pertinaciam Marcoſſæi Comitis fortitudo fregit, arcisque deditionem extorſit, Caſtellano capite, & ruſticorum Ductore laqueo mulctatis. Interea Mansfeldius Walleram obſedit, & Sollenavio totis copiis imminebat, percepto autem proſpero Boici exercitus progreſſu pedem in Bohemiam retulit. Dux vero die ejusdem Menſis poſtrema Grieskirchium movit, ubi obtentis prius ſecuritatis literis Aneſſinorum Ordinum legati ducem convenerant, nuntiantes, Ordines ad exequenda Cæſaris juſſa paratos eſſe, ſi viciſſim Cæſar & Dux omnia, quæ peterent, ipſis præſtitiſſent. His reſpondit Dux, quod ad Cæſaris poſtulata mentem ſuam diſtincte aperirent, quæ vero ipſi ab Imperatore peterent, ſcripto traderent. Accepto hoc reſponſo mox ſcriptum obtulere, in quo crimina ipſis exprobata excuſare, vel omnino negare non erubuere, conqueſti, quod non ſine violatæ fidei contumelia fœdus cum Bohemis initum abolere cogerentur: poſtea petebant, ut Religionis libertas ſarta tectaque permaneret, & tam Eccleſiaſtici, quam profani Ordinis privilegia a Maximiliano II. Cæſare conceſſa rata haberentur, nec Lincenſi vel aliis urbibus præſidia im-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A.C. 1620.

imponerentur, nulloque discrimine facto omnibus præteritorum venia concederetur. Ad hæc Maximiliano Duce rem Lincii pertractatum iri reponente, legati transitum per omnes vias, liberumque aditum in Lincensem civitatem, arcemque, Duci pollicebantur. Nec promissis operis constantia defuit; Dux enim die quarta Augusti urbem, arcemque ingressus, vix ullum reperit, qui ei obsisteret: relictis igitur extra urbem copiis suis, Ordinibus proponi curabat, ut totius Nobilitatis tam præsentis quam absentis nomina exhiberent, absentes vero, quorum ingens tum erat numerus, adesse juberent, necnon album copiarum, quæ sub ipsis stipendia fecissent, facerent, atque exhiberent, nec ulli, se inscio, missionem darent, nec etiam optimatum ullus clam urbe excederet, denique de articulis in medium proponendis celeriter deliberarent, cunctaque ipsis imperata bona fide exequerentur. Jamjam decima septima Augusti dies effluxerat, & nondum Anassini Proceres demandatum sibi negotium exequebantur, caussati, quod Cæsaris quidem, non tamen tanquam Austriæ hæredis in verba jurare parati essent, cum Albertus Archidux vitæ superstes adhuc foret. Ast cum hic jam olim successionis

ſtonis jure ſe abdicaſſet, vanus erat eorum obtentus, vera autem eluſi obſequii ratio latebat in promiſſa Friderici, Bohemorum, & Hungarorum ope, qua tamen fruſtrati, tandem neſandi fœderis Bohemici tabulas tradiderunt, quibus abolitis milites a ſe conſcriptos dimiſerunt, quos ſoluto prius menſium emeritorum ſtipendio Maximilianus Boicis ſuis cohortibus immiſcuit, ne paulo ante rebellium ſigna ſecuti, rupta novi ſacramenti fide proditores fierent. Præterea Anaſſinis omnia bellica arma in Lincenſe armamentarium comportare juſſis, tandem die vigeſima Auguſti Cæſari tanquam Auſtriæ hæredi tam Eccleſiaſtici, quam Nobiles urbiumque Præfecti civesque ſacramentum dixere, inque Maximiliani Ducis verba jurarunt, quoties is, & quicquid Cæſaris nomine mandaret, aut prohiberet. Ita demum ſedata erat Anaſſinorum rebellio, ne tamen illa recrudeſceret, urbes arcesque Cæſareis præſidiis firmabantur, atque Auſtriaci exercitus imperium Valentino Schmidio, Anaſſinæ autem Provinciæ Præfectura Adamo Herbersdorffio demandata eſt. Hæc dum Lincii gerebantur, interceptæ ſunt hoſtium literæ, Anaſſinis nuntiantes, Bohemos validas propediem eisdem miſſuros ſuppetias,

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

proin Bavaro totis viribus interim resisterent. Exin Maximilianus probe intellexerat, haud ultra cunctandum, sed totam belli molem in Bohemos esse vertendam. Anholtium igitur supremum vigiliarum Præfectum cum Sulziana legione & decem Equitum turmis in Bohemiam, ut interim Bohemorum motus exploraret, præmisit, cui paulopost tria Herbipolensium millia accessere.

§. LXXVIII.

Hungarorum rebellium comitia Neosolii celebrata.

Han Pannonia p. 328. Merc. tom. 13. l. 2. Ortel. contin. p. 72. Lotich. l. 5. cap. 10. Jæger. Hist. Eccl. l. 9. c. 9.

Interim Neosolii Hungariæ superioris oppido Hungarici Regni comitia, prout nuper conventum erat, ineunte Mense Junio celebrari cæperant. Advenerat ceteris prior Gabriel Betlemius multis armatorum millibus, frequentique Nobilitate stipatus, qui se Hungariæ Principem dictitans, in solio sedebat, ac circum se Bohemiæ, Austriæ, Silesiæ, & Moraviæ Oratores rebellionis suæ socios habebat: Nec aberat Mechmetes Aga, Turcarum Imperatoris Legatus, cujus potentia freti rebelles aut Cæsari belli necessitatem, aut Regiœ dignitatis abdicationem se impositurosperabant. Submiserant quoque

que Franciæ & Poloniæ Reges necnon Venetorum Respublica suum quisque Legatum, Polonum vero Cosaccis interea in Hungariam irrumpentibus (*) Bethlemius violato gentium jure custodiæ dari jussit. Die decima Julii advenerant David Paul Tineasis Episcopus, Georgius Baro Teuffelus & Wolfgangus Lamiagerus, Cæsaris Oratores, Viri splendidæ dignitatis ac stirpis. Hi ergo ad Hungariæ Procerum alloquium admissi, vim juri titulisque Ferdinandi illatam, ejusque Majestatem graviter ab eis læsam fuisse contestati illos hortabantur, ut in Cæsaris, ejusdemque Hungarorum Regis obsequio persisterent, nec se ad rebellionem a refractariis induci paterentur, postea Regis fide pollicebantur, eum non modo pristina Regni privilegia confirmaturum, sed etiam alia & potiora, data occasione, elargiturum: postremo alios Oratores ampliore facultate instructos mox

Sæc. XVII. A. C. 1620.

(*) Ferdinandus Imp. in suo diplomate die 10. Decembr. de hac irruptione ita loquitur: *Vigore induciarum ultro citroque liber erat commeatus, eo freti Poloni iter per Hungariam instituerunt: ast ubi hostiliter se peti ac passim trucidari cernerent, naturæ legibus concessa defensione, ferro sibi viam aperire coacti sunt.*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

mox ſuperventuros, ſpondebant. Verum ad hæc monita aures non habuit Bethlemius, aucupandæ coronæ Hungaricæ cupidiſſimus, quocum ex Nobilibus ferme omnes conſpirabant, aut promiſſis pellecti, aut verius metu territi; in eos enim, qui diſſentirent, ſe e Curiæ Neoſolanæ feneſtris præcipitii Pragenſis exempla innovaturum minitabatur. Præterea Gaboris arrogantiam immodice acuebat alius Ottomanici Imperatoris Legatus Buda Neoſolium ſubmiſſus, qui Cæſarem ſuum de Bethlemi progreſſibus mirifice lætari teſtatus, eundem hortabatur, ut bene cæpta impigre urgeret, nullasque pacis conditiones cum Ferdinando, & Hiſpano Rege iniret, Regnique coronam, ſicubi offerri contigerit, amplecteretur, de valido adverſus hoſtes ſuos, & Polonos auxilio certus.

§. LXXIX.

Ordinum Hungariæ novum fœdus in his comitiis ſtabilitum.

Barre hiſt. d'Allem. tom. 9. Theatr. Hiſt. cap. 3. §. 2. Bellus laur. Auſtr. Meteran. l. 40.

Rebus ita diſpoſitis Regni Proceres articulos, de quibus jam dudum inter eos clam convenerat, comitiorum auctoritate firmare adlaborabant. Obſtiterant vehementer Cæſaris Legati, & Sigismundus Forgatſius Hungariæ Pala-

Palatinus, Vir apprime Catholicus, Cæsarique addictissimus primo sese eorum conatibus opponebat: eo autem in ceterorum partes tandem descendente, transigi cæptum est, erectaque inter Catholicæ, Lutheranæ & Calvinianæ Religionis Professores societate decretum, ut decem Hungarorum millia in Bohemiam mitterentur, finitisque induciis bello contra Cæsarem initium fieret, ac deinceps Clerici nec Ordinum dignitate, nec suffragii jure in Hungaria frui possent, illi quoque, qui ab hisce comitiis absentes essent, proscripti, bonisque suis privati censerentur, ac denique (quod hujus conventus summa erat) novus Hungariæ Rex eligeretur. Hæc, pluraque alia capita numero centum sexaginta quinque, Hungari Proceres, præeunte ipso Forgatsio Palatino, jurejurando, suoque chirographo confirmarunt, incassum reclamantibus Cæsareis Oratoribus, & Engolismensi Duce Galliarum Regis Legato. Interim Cæsareis Legatis, qui pleniore agendi facultate instructi essent, nondum adventantibus, Gabor moræ impatiens, præsentibus Legatis injunxit, ut datis Viennam literis horum adventum urgerent, secus evolutis quindecim diebus, comitia, iis licet non auditis, essent solvenda. Tandem Colal-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620. Colaltus Comes Cæſaris Legatus, unacum quodam Nobili Hungaro aliisque Neoſolium venerat, qui Hungaris crimina in Cæſarem perpetrata exprobrans declarabat, quod ſi a rebellium fœdere non abſtinerent, Clericisque tam bona propria, quam ſuffragii jus, locumque in Regni comitiis non reſtituerent, Cæſari nec animum nec vires ad coercendam eorum perfidiam defuturas ſcirent. Attamen hi leges dare, non vero accipere aſſueti, cauſſabantur, quod hi Cæſaris Oratores plena agendi poteſtate itidem non eſſent inſtructi, eoquod in eorum literis de fœderatis Provinciis nulla mentio fuiſſet facta, proin aut ampliores literas Vienna ſecum afferrent, aut, quod melius foret, haud ultra ad hæc comitia redirent, cum ab Ordinibus, id, quod moris eſt, iis etiam abſentibus decernendum eſſet: Dato rudi hoc reſponſo Hungari Cæſareos, Gallos, & Polonos Oratores, rebus infectis dimiſerunt.

§. LXXX.

Bethlemius Gabor in Hungariæ Regem proclamatus.

Ortet. pag. 73. Cum igitur nonniſi Fœderatorum Provinciarum Oratores remanſiſſent, Calviniani Hungariæ Ordines, quod dudum

dudum animo volvebant, exequi festinabant, unice intenti, ut novi Regis electione Austriacam domum ab avita Regni possessione excluderent. Jamjam plurimorum suffragia in Gabrielem Bethlemium conspirabant; non deerant tamen, qui ejusmodi propositum vehementer improbarent; unde gravis inter eos altercatio oriebatur, parumque aberat, quin Pragensium more obsistentes e fenestris projicerentur, quinimo ex Optimatibus unum, qui acrius repugnabat, jamjam magis furiosi corripiebant, atque ad fenestras raptum ex alto præcipitem dedissent, nisi violentiæ obstitissent moderatiores. Tandem vero animis, suffragiisque potissimam partem unitis, urgente Turcarum Legato die vigesima quinta Augusti Bethlemius in Hungariæ Regem eligitur, a Regni Palatino proclamatus, qui solemnem sui inaugurationem Posonii, ubi Regni corona asservabatur, ad Octobris initium distulit. Biduo post Transylvani quoque Proceres mutuo Hungarorum, ceterorumque sociorum fœderi accessere, quorum suppetiis fretus Gabor, soluto Neosolano conventu, ingentem quinquaginta ferme equitum, peditumque millium exercitum collegit, ut uno agmine Styriam invaderet, alio Bohemis opem ferret: quo cognito Pro-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Pannon. nova & vetus Hani p. 331. Massen. Annal. Trev. pag. 467. Merc. Gallob. tom. 13. l. 2. p. 166.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Proteſtantes, qui Viennæ morabantur, datis literis eum hortati ſunt, ut civitati, & Regioni, propter innocentes eorum liberos, uxoresque parcere vellet. Imperator autem urbem neceſſaria annona ad ſemeſtre inſtrui juſſit, ſuique exercitus partem ex Bohemia revocans, ſuppetias etiam a Bavariæ Duce ſibi ſubmitti petiit, veritus, ne Gabor inopina vi Poſonium, & Viennam infeſtaret.

§. LXXXI.

Bethlenius Gabor Cæſarem apud Turcarum Imperatorem traducere conatus.

Aub. Miræus comm. de bello Turcico p. 8.

Jam dudum Bethlenius Gabor totus in eo erat, ut partim precibus & literis, partim promiſſis, ampliſſimisque muneribus Turcas, Tartarosque in Ferdinandi Cæſaris perniciem evocaret; cum autem hucusque ſpe ſua fruſtratus eſſet, ſubactis Bohemis, fuſoque Palatino rem potentius urgendam cenſuit, ad ſolitas igitur fraudes converſus literas Hungarico idiomate, perinde acſi a Ferdinando Cæſare pro Turcis inopino invadendis ſcriptæ eſſent, confinxit, easque Regii ſigilli, & chyrographi Ferdinandæi exacta imitatione muniri juſſit, illasque velut opportune

portune interceptas ad Turcarum Imperatorem transmisit. Earum autem tenor erat sequens: „Ferdinandus II. „&c. omnibus Principibus, Nobilibus „& Tribunis salutem & gratiam no„stram. Antea mihi fideles optimi, qua „ratione factum sit, ut anno superiore „contra nos, & regnum nostrum arma „sumpseritis, exploratum habemus, & „ex fideli nostro Palatino Hungariæ „recte intelleximus, nimirum turcici „illius Principis Bethlenii in Hungariam „improvisa irruptio vos eo adegit, ce„terum nos gratiam & benevolentiam „nostram clementer vobis offerimus, „si gratia & clementia nostra uti veli„tis, si ab ipsius fidelitate desciveritis, „si tam regnum, quam confinia ad fi„delitatem nostram reduxeritis, ac in „ea conservaveritis, constat siquidem „vobis, quod nos infidelibus turcis vos, „& regnum non vendidimus, prout „latro Bethlenius, quin potius in eo „sumus, ut omni vos clementia pro„sequamur, si ab ipso recesseritis, „menstrua vobis stipendia exacte nu„merabimus, ac regnum ipsum in ve„terem libertatem asseremus, atque id„circo tam numeroso cum exercitu fi„delem nostrum campiductorem expe„divimus, ut Vacia confestim recupe„rata, Strigonium obsideatur, Expe-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„riantur potentiam nostram tam Turcæ, quam eorum pullus Bethlenius, „vos valere cupimus. Viennæ Austriæ „vigesima Maij anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo.„

FERDINANDUS.

Laurentius Farenzffi.

His vero literis Turcarum Imperator fidem non adhibuisse videtur, forte apud quem tum major adhuc erat vicennalium induciarum Religio, quam apud hunc Calvinistam humanitas Regiæque Majestatis reverentia.

§. LXXXII.

Ambrosii Spinolæ expeditio in Palatinatum.

Carafa Germ. rest. pag. 82. Theatr. Hist. cap. 2. Brachel. Hist. pag. 22. Bald. chronic. p. 1225. le Blan. tom. 4. p. 18.

Nondum solutus erat Ulmensis Conventus, cum jamjam validum exercitum ab Archiduce Alberto in Belgio contrahi, ejusque imperium Ambrosio Spinolæ celeberrimo plurium palmarum Duci demandatum esse nuntiaretur. Hujus rei fama tanto terrore unitos Principes Protestantes perculerat, ut die vigesima Junii datis literis Saxoniæ Electorem impense rogarent, quatenus ad Spinolæ exercitum a Palatinatus,

natus, & Germaniæ finibus, arcendum nullis viribus parcere velit: His vero Elector paucis respondit, nil sibi certum de Spinolana expeditione constare, si tamen quid rei subesset, absdubio Albertum Archiducem ad hæc consilia fuisse inductum, eoquod utramque Austriam hæreditarias suas ditiones per seditiosos a debito obsequio avelli, ac fæde devastari vidisset, de cetero autem Archiducem ad hæc extrema nunquam fore prolapsum, si Protestantes ejus consiliis aures benevolas præbuissent. Die autem sexta Augusti Albertus literis suis Mauritio Hassiæ Landgravio significabat, quod pro vindicanda Cæsaris auctoritate, & recuperando Bohemiæ Regno opem ferre cogeretur, proin ipse aut vires suas eidem jungeret, aut saltem neutri parti adhæreret, pollicitatione facta, nullam sibi molestiam a Spinolæ exercitu illatum iri. Biduo post ipsemet Spinola a Durlacensi Marchione idem petebat; cum autem apud hosce Principes animus ad rebellionem obduratus omni rationi prævaleret, Spinola haud ultra cunctandum ratus, cum exercitu viginti trium millium armatorum die nona Augusti Bruxellis Aquisgranum movit, ac die decima octava Confluentiæ delectu habito Rhenum, nemine re-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Lond. acta publ. l. 5. p. 800.

Sæc. XVII. A.C. 1620.

sistente, transmisit, atque a Mauritio Hassiæ Landgravio, cum id temporis ad resistendum impar esset, liberum per Cattos transitum impetravit: postea motis ad Palatinatum castris, irruptionum quodam velut turbine Oppenheimium, Crucenacum & Alzhemium Palatinatus ad Rhenum ditiones rapuit, continuatoque victoriæ cursu in Ringoria Simmeram Gundersblumium, Baccharacum & Caubam, ceterasque seditiosas urbes qua vi qua deditione cepit, superioremque Germaniam a Protestantium Principum metu liberavit. Adversus hosce Spinolæ successus Mauritius Arausionensis Princeps cum valido exercitu die vigesima quarta Augusti Emericum contendit, ac cum octo peditum millibus, & mille quingentis Equitibus ad Vesaliam castra metatus, Fridericum Nassoviæ Principem cum quatuor ferme Anglorum millibus in Palatinatum præmisit, eo fine, ut junctis cum Onoldino Duce copiis Spinolam ad prælii necessitatem impelleret. Ast licet Rhenum, Ludovico Velasco non obsistente, inoffensus trajecisset, ac Wormatiæ cum Onoldino, Durlacensi, Wirtembergico, & Badensi Principibus suum exercitum conjunxisset, Spinolæ tamen fama territus, cum Velasci copiis certamen inire minime ausus

Neuvill. Hist. d'Holland. tom. 1. pag. 198.

ausus est, sed deprehenso Correspondentium Principum languore, ac discordia, in Hollandiam, unde venerat, exercitum suum reduxit, haud alia tantopere jactatæ expeditionis gloria, nisi quod in Juliacensi ditione inhumanæ crudelitatis vestigia reliquerit, & Bonnam inter & Coloniam propugnaculum erexerit, quod ad Catholicorum ludibrium *mitram Monachalem* (*) nominari voluerit. Nec tamen propterea ad invidiam Cæsari, Hispaniæ Regi, & Catholicis conflandam spargere cessabat, quod Spinolæ expeditio æque Palatini Electoris, ac urbium Imperialium, Religionisque excidium spectaret, quo commento tam Bohemi, quam Protestantes suam rebellionem tegere nitebantur; ast mendax eorum vafrities detecta, redarguta, & contrario successu confutata fuit, dum Imperator, Albertus Archidux, & Spinola omnibus Principibus, Urbibus, & Ordinibus, & præcipue Francofordiensibus, & Weteraviæ, Rhenique Superioris Equitibus sectæ suæ libertatem, omniumque bonorum securitatem sponderunt, fidemque datam Cæsareo securitatis edicto, militarique custodia sub Aquilæ consueto signo submissa firma-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

(*) Pfaffen-Mütze.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

marunt, eoquod hi vicissim Cæsaris auctoritatem reveriti, non quidem eidem opem tulissent, neutri tamen parti adhæsissent.

§. LXXXIII.

Saxoniæ Elector a Ferdinandi II. Cæsaris partibus.

Lotich. rer. Germ. l. 6. cap. 3. Lond. acta publ. l. 5. Piaseci. chron. gest. p. 325. Diarium Anass. p. 22.

Jam die sexta Mensis Julii Ferdinandus II. Imperator datis Vienna literis missoque Hohenzollerano Comite Joannem Georgium Saxoniæ Electorem sollicitabat, ut exercitu in aciem educto Bohemos, ceterosque Cæsareæ Majestati rebelles ad officium compelleret: ne vero Elector in Religionis Lutheranæ odium, vel Austriacæ Domus incrementum hanc expeditionem susceptam fuisse, suspicari posset, Cæsar interposita fide rursus contestabatur, quod obedientes, fidelesque subditi omnes, nequidem exclusis Hussitis, libere Majestatis literis, Augustanæ Confessionis usu, & pristinis privilegiis juxta Religionis transactionem, promissa, pacta & decreta frui & uti possent: Insuper Electoratum Saxonicæ Domui a Carolo V. collatum adversus Vinariensis Duces Electori confirmabat, ejusque juri in Juliacensem ditionem se suffragaturum pollicebatur. Igitur

tur Elector de caussæ, qua Imperator niteretur, æquitate convictus, Bohemiæ Regnum, annexasque Provincias armis suis Cæsari reddere decrevit; ne autem vel alienæ dominationis cupiditate, vel in Protestantes invidia ductus videretur, Cæsaris literas, quibus hanc expeditionem non ultro, sed Imperatoris jussu suscepisse diceretur, sibi tradi postulabat; his vero concessis Elector per Comitem Hochenzolleranum Bavariæ Duci die octava Augusti nuntiari jussit, quod cum duodecim peditum, & tribus Equitum millibus die decima sexta Augusti in Lusatiam, eaque subjugata in Bohemiam movere decreverit: die autem vigesima nona ejusdem Mensis ex eodem Bavaro Duce scisciitabatur, quem Bohemiæ circulum ipse Dux primo aggredi vellet, cui responsum, primo urgendos esse Bohemos, qui in inferiore Austria Hornæ, Egenburgi, & Ratzi, castra posuissent. Perspecta Electoris voluntate Cæsar datis ad Albertum Belgii Principem, & Bavariæ Ducem literis die prima Julii utrumque stimulabat, ut expeditionem maturarent, eoquod timendum esset, ne Saxoniæ Elector copias suas in aciem educere cunctaretur, nisi prius per Spinolam & Bavaros gradus quasi, & aditus ad ulteriora jactus esset; eapropter co-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

cognita Bavari victoria, & Spinolæ in Palatinatum irruptione Cæsar die vigesima nona Augusti Saxonem stimulabat, ut & ipse expeditioni suæ, nisi jam suscepta esset, initium facere velit. Verum eo tempore Elector jamjam in armis erat, ne autem Protestantes suum animi propositum insectarentur, se Cæsaremque tuendi necessitatem eisdem exposuit, & primo quidem die nona Augusti Joanni Palatino Comiti datis literis significavit, quod Spinolæ exercitus nonnisi ad Cæsareæ Majestatis defensionem, nequaquam autem ad eorum, qui debitum præstant obsequium, excidium spectaret, dein die decima septima ejusdem Mensis Elector Ordinum Protestantium Legatis, qui eum a Cæsaris defensione avertere nitebantur, respondit, quod contemptis omnibus, quæ ad sedandos Bohemiæ tumultus tam ipse quam Cæsar toties proposuissent, pacis & concordiæ remediis, nunc arma capessere coactus fuerit, ut Provincias suas imminenti periculo subtraheret, & Imperatori debitus, vel etiam ab ipsis Electoribus honor constaret, necnon ab Turcarum, & rebellium incursibus Imperium securum esset: si ergo ipsi pariter pacem, postposita belli alea, cordi haberent, Cæsari obtemperarent. Postea die vigesima

ma quinta Augusti ad Mauritium Hassiæ Landgravium, quinta die Septembris ad Christianum Udalricum Brunsvicensium Ducem, & paulopost ad Fridericum itidem Brunsvici Ducem, & Coburgensem, Eysenacensem, aliosque literas dedit, quibus bellico suo, ac Spinolæ apparatu nequaquam Religionem, vel pacis profanæ pacta peti, nec ulli molestiam illatum iri affirmabat, dummodo Cæsaris copiæ hostiliter non invadantur, nec rebellibus auxilium feratur.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LXXXIV.

Saxoniæ Electoris expeditio in Lusatiam.

Igitur Joannes Georgius Saxoniæ Elector Cæsari obtemperaturus, ex arce sua montana, cui *Stolpæ* nomen, motis signis, exercitum suum, pro necessitudine rerum, instructum ad fines Lusatiæ Superioris eduxit. Quoniam vero Lusatiæ Proceres ob homagium Palatino præstitum eadem cum ceteris rebellibus Provinciis Cæsareæ proscriptionis lege tenerentur, hujusque pœnæ executio Electori demandata esset, hinc die vigesima sexta Augusti oblata prius Cæsaris clementia Lusatios ad obsequium precibus & minis reducere niteba-

Bellus laur. Austr. l. 4. Lotich. l. c. Everhard Wassenberg. comm. de bello Ferd. II.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

tebatur. His vero flecti nesciis Elector datis ad Adolphum Gersdorffium Lusatiæ Præfectum literis eidem præcepit, ut ad septimam Septembris diem Budissæ Lusatiæ Superioris Metropoli comitia indiceret, eoquod congregatis Ordinibus Cæsaris mandata proponere vellet, cum vicinam hanc Provinciam legibus pacis potius, quam sanguine subjugare desideraret. Re autem cognita mox Fridericus Palatinus comitia indici, Ordines convocari, & cum Saxone pacisci inhibuit: postquam vero insuperhabito hoc interdicto Jacobus Grunthal Saxonicæ militiæ Præfectus cum Cæsareo diplomate urbem ingressus, cum aliquibus Ordinibus de pace agere cæperat, mox Joannes Georgius Jægerndorffius Marchio cum sex armatorum millibus, superatis illico mænibus cives in armis positos dissipavit, & Grunthalium Saxonis Oratorem, necnon Schmidium, Cæsaris legatum unacum Adolpho, & congregatis Ordinibus captivos, Sittam usque ad sex milliaria & demum Pragam abduci jussit: Urbem quoque nongentorum militum præsidio firmans, novum a subditis fidelitatis sacramentum exegit.

Merc. t. 13 f. 3. p. 5.

§. LXXXV.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. LXXXV.

Budissa ab Electore Saxonico obsessa, captaque.

Cum ergo ad Cæsaris obsequium jam tertio, incassum tamen, admoniti essent Budissiani, proin de pace tractanda desperatum esset, die octava ejusdem Mensis obsidioni datum est initium; mænia bellicis quatiuntur tormentis, necnon cruenti & aliquoties iterati fiunt assultus, quos tamen occursu validiore retuderunt Lusatii, novo mille ducentorum militum subsidio aucti, inde vero Saxo-Cæsarei ad novos instaurandæ oppugnationis conatus animati, urbem assidue, præcipueque turrim, ut vocabant, aquariam verberare, globisque ignitis seorsim, ac per intervalla injectis tecta, turresque nudare, incendere, pessumdare, late sparsis incendiis: nihilo remissius Budissiani cominus, eminusque ferire, interdum & tota vi erumpere, non sine multiplici Saxonum cæde, & jactura; obsessi enim die duodecima Septembris ex urbe inopinato erumpentes non modo pecora, & obvia quæque, sed & tria belli tormenta Saxonibus abripuerunt: vicissim vero Saxo-Cæsarei a Friderico Altenburgico Duce, qui obsidioni præerat

Sæc. XVII. A. C. 1620.

erat, excitati oppugnationem urbis acriore, quam antea contentione resumunt, ac grandinante assidua globorum procella, iteratoque murorum assultu, ac munimentorum quassatione, & præsidiarii militis, civiumque strage Budissianos eo redigunt, ut desertis stationibus plerique ex munitionibus in urbem pavidi refugerent, qua re animadversa Saxo-Cæsarei capiendæ urbis spe pellecti, scalas applicant, murosque pluribus in locis certatim conscendunt, infausto tamen prorsus successu; quippe Budissiani præsidii Præfectus maximarum arborum truncos ad hunc usum jam antea comportatos in Saxones murum jam subeuntes, & mox ascensuros provolvi, eosque inevitabili strage conquassari jussit, victoriæ triumphum jamjam canentibus Cæsaris hostibus, & præcipue Bohemis Saxoni sectæ oppugnationem acriter exprobrantibus Ministellis, quorum impulsu Fridericus Palatinus edicto publico Pragæ vulgato die decima octava Septembris Electorem Saxonicum propter oppugnationem Budissianam Voygtlandiæ Principatu, ceterisque clientelis annexis omnibus dejecit. Hæc tamen vindicta minime fregit magnanimum Electoris animum, qui profligatis Budissianis prædatum excurrentibus, per Schæntalium

talium Legatum ſuum ad deditionem obſeſſos hortabatur, his autem eundem Oratorem captum retinentibus, Elector toto armorum impetu, nec reſpirandi ſpatio indulto refractarios continuis incurſibus, & jaculationibus infeſtabat, ac præcluſa annonæ importandæ facultate, imo ipſa etiam aqua præciſa, interceptisque, qui bellico apparatu, vitæque ſubſidiis onuſti erant, curribus, undique uno tempore omnibus e baliſtis urbem quatere, & nunquam interruptis in mænia globorum, inque tecta & domicilia flammarum jaculationibus oppidanos tanto impetu urgere cæpit, ut urbis permagna pars continenti incendio in prunas & cineres ſubſideret, mænia in ruinam conciderent, & propugnaculum Gorlitianum & ſuburbium, unacum hoſtili aggere ſub idem ferme momentum occuparetur.

Sæc. XVII. A.C. 1620.

§. LXXXVI.

Deditionis pacta.

Tum vero contumelioſa ſubſanantium tripudia in tragicos mulierum & imbellis ætatis ploratus converſa fuere: Audiebantur lamenta civium alta voce clamantium, ut Electori portæ panderentur etiam invitis præſidiariis; Civitatis

Sæc. XVII. A. C. 1620.

tatis quoque Primores ex edito mænium deditionis pacta conscribi efflagitabant, duosque ex suis, qui de conditionibus agerent, ad portam mittebant: Elector igitur ad veniam facilis, mox Wolfgango Mansfeldio Comiti suo castrorum Legato præcepit, ut urbi parceret, atque ab ulteriori infestatione abstineret: tandem vero has in leges conventum est. I. Captivus Grunthalius ejusque socii liberentur, interim vero duo Centuriones tanquam obsides Electori tradantur. II. Præsidiarii cum sarcinis & armis die vigesima quinta Septembris educantur, Centuriones vero vexilla Electori tradant. III. Ægroti & saucii avocentur, captivi vero soluto menstruo salario utrinque dimittantur. IV. Cum civibus juxta Cæsaris mandatum agatur, statimque militibus dimissis Consules Electori obviam procedant, & urbis, arcisque claves cum omni apparatu tradant. V. Denique habeant sibi salvas antiquas urbis immunitates. VI. Confessionis Augustanæ sacris inhærere pergant, & urbis institutis ceteris: tantisper dum & Cæsar ea firmaret. VII. Obsidionis (operosæ juxta sumptuosæque) Electori damna suis impendiis, vel ex urbis ærario præstent. VIII. Saxonis demum Electoris (ceu Cæsaris tunc vices obeun-

obeuntis) in verba civitas, & in Imperatoris (ut sui Regis) obsequia juret. Sæc. XVII. A. C. 1620.

His utrinque firmatis Elector Saxonicus die quinta Octobris Victor urbem ingressus est; hi vero, qui nuper petulanti clamore Saxonicis insultabant, ut scurrilitatis suæ in contumeliam Victoris exercitæ pœnas luerent, in vincula conjecti, intraque mænia retenti, pars tandem suspendio, pars gladio periere. Die autem decima tertia ejusdem Mensis Budissianus Senatus, civesque ab Electore convocati juramentum fidei exsolverunt, pariter Gerstdorffiani & Rechbergiani cum pluribus aliis, Lusatiæ superioris oppidis & arcibus partim armorum violentia, partim sui deditione ad Cæsaris obsequium reducti fuere, reluctantibus adhuc Gorbitziensibus. Dein etiam Graditsenses, Lubani, Barutenses, Sonnenwaldenses Lappates, Kubates ac denique tota Lusatia inferior sese Victoris arbitrio permisit, horum exempla tandem etiam Forstienses sequebantur, sed non nisi post universum fere deletum urbis suæ præsidium. Hac igitur expeditione Imperator utramque Lusatiam suo obsequio, Elector autem suo imperio addictam recuperavit, utpote tertio post anno in laborum præmium, dono Cæsaris, eandem sibi familiæque habere jussus.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

jussus. Denique Marchionem Jægerndorffium Lusatiæ Præfectum eo adegit, ut in Silesiam profugere cogeretur.

§. LXXXVII.

De Friderici Palatini proscriptione, ejusque executione deliberatum.

Bellus laur. Aust. l. 4. Lotich. rer. Germ. l. 6. cap. 3. Londorp. acta public. lib. 5.

Postquam Fridericus Palatinus Elector, insuperhabitis tot ad illum Imperatoris, & Electorum emissis monitis, minisque Bohemiæ Regnum, annexasque Provincias non modo usurpaverat, sed insuper etiam Henricum Filium suum, ut Bohemiam suis posteris hæreditariam redderet, in Pragensi conventiculo tanquam Regni Successorem declarari jusserat, Imperator Usurpatoris contumaciam proscriptionis pœna frangere statuit, primamque Julii diem velut dilatæ executionis terminum præfixit: Ut autem præcipitis severitatis calumniam declinaret, prius die prima Junii Moguntini Electoris sententiam rogabat, utrum e re esset, in proscriptionis negotio comitia Imperii Ordinibus indicere, cum Saxoniæ Elector absque Electorum consensu hanc pœnam decernere, minus consultum censuisset: Eodem tempore idem Imperator misso ad Saxonem, & Bavarum, necnon ad Albertum Archiducem

ducem Hohenzollerano Comite petebat, ut hi tres Principes Moguntino Electori mentem suam circa hoc dubium aperirent, an proscriptionis promulgationem urgeri, aut potius differri censerent. Enimvero Saxoniæ Elector eam omnino suspendendam primo autumabat, eoquod illius promulgatio tamdiu effectum suum consequi haud posset, quamdiu ejus executio ob varias difficultates adhuc impedita foret: postea tamen mutata animi sententia, absque Ordinum comitiis, quæ sine longiori mora haud convocari possent, promulgandum esse censuit proscriptionis decretum, eoquod nunc tandem post susceptam Saxonis, Bavari, & Alberti expeditionem bellicam hujus decreti executio omnino expedita foret. Eo igitur consilio Saxonicus Elector, postquam copias suas in aciem eduxerat, Bohemis, Lusatiis, Silesiis, ceterisque unitis Principibus Protestantibus demandatam sibi a Cæsare proscriptionis executionem intimabat.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LXXXVIII.

Maximiliani Bavariæ Ducis expeditio in Bohemiam.

Austriacis in Cæsaris obsequium reductis, Maximilianus Bavariæ Dux Lin-

Theatr. Hist. cap. 3.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Annal. Boic. part. 3. l. 5. Caraf. Germ. rest. p. 83. Brachel. Hist. p. 22. Jæger. Hist. Eccl. p. 318. Londorp. 814. Balduin. chron. moral. pag. 1193.

Lincio movens, cum exercitu suo Freistadium Austriæ Superioris oppidum ad Bohemiæ fines situm appulit, & quamvis Bohemos citra vim revocandi spem vix ullam haberet, prius tamen imminentis periculi denuntiatione, quam armorum violentia eos ad saniora reducere nitebatur. Eo ex fine tum ad Bohemiæ Ordines, annexasque Provincias demandatæ sibi a Cæsare executionis diploma præmisit, eos hortatus, ut se tandem, resque suas, vel sero, respicerent, pœnamque toties promeritam prompta submissione, quam Cæsari ex juramento debent, prævenirent, Regnumque suum a vastationibus, imminente Turcarum jugo, & certa ruina vindicarent: finerent igitur, hanc denuntiationem passim vulgari, ne, si quid secus eveniat, ipsi malorum, quæ inde sequerentur, culpam sibi imputare cogantur. Ad hæc responderunt Bohemi, quod crimina sibi a Cæsare & Bavaro objecta in Bohemiæ Ordinum, ipsiusque Regis sui diffamationem cederent, ea vero jam sæpius confutata fuerint; quicquid autem hucusque egissent, juxta Regni leges ex communi consensu fecissent, nec unquam Bavaro molesti fuissent, proin nec quid hostile ab eo expectarent, sin vero: pro patriæ libertate, &

Rege

Rege suo sanguinem & bona profundere parati essent, denique Cæsaris edictum, cum illud admittere non possent, Duci remitterent.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Præterea Maximilianus Dux præfatum Cæsaris edictum Palatino Electori submisit, eidem in mentem revocans, quoties admonitus fuisset, ut alienum diadema non usurparet, nec a Turcis & Turcarum vasallis opem contra Imperium, & Germaniam exoraret, nec vastationibus Regnorum caussam præberet: crescente autem ejus contumacia Cæsar expeditionem in Bohemiam decrevisset, cujus calamitates, restituto Regno, & exorata Cæsaris clementia ipse præveniret. Verum Fridericus ad hæc arrogantius respondit, quod rationes, ob quas Bohemi eum inaugurassent, & ipse coronam acceptasset, Bavaro haud incognitæ forent, id vero ipse concoquere nequiret, quo jure (*) contra omnia Imperii

(*) Prorsus insulse Protestantes uniti sæpius ingerebant, quod Cæsar in propria caussa judex esse voluerit; non enim Cæsar sibi soli jus in hoc Regnum adjudicabat, sed quinque S. R. J. Electores, omnes Catholici Principes, & ex Protestantibus non pauci Ordines Ferdinandi caussam omnino æquam, Friderici iniquam

Sæc. XVII. A.C. 1620.

jura ac Decreta Cæsar ex aula Cæsarea in caussa propria, ac privata, judicis officium adversus Palatinum exercere aut velit, aut possit, cum Palatinus, itemque Regnum Bohemiæ, ceteris cum Provinciis, cum Cæsare minime litem foveret, sed cum Archiducibus sibi res esset, utique Regnum Bohemiæ, tanquam hæreditarium, subjugare conantibus.

De cetero conspirationem cum Turcis meram esse fabulam (*), ac potius timendum esse ajebat, ne Cæsar & Bavarus sua expeditione Christianam Rempublicam Turcis in prædam objicerent. Dato hoc responso Fridericus Turriani Comitis consilium secutus, quinque Hun-

quam esse pronuntiarunt, atque in Ulmensi Conventu Bohemorum utpote rebellium defensionem abdicarunt, & Friderici conatus in Mulhusiano conventu improbarunt, proin semper potior suffragiorum pars, si universi Imperii judicio res fuisset decisa, pro Ferdinando militasset.

(*) Forte Palatino haud amplius in mentem venerat, quod Turcarum Legatum Pragæ honorifice exceptum ad Hungarorum comitia præmiserit, ut ibi cum illis perpetuam pacem fœdusque iniret. Vid. Merc. Gallob. Tom. 13. l. 2. p. 98. & 114.

Hungarorum millia in Misniam, ut Saxoniæ Electorem a Bohemiæ finibus averterent, immittere tentabat: Verum hæ copiæ a Saxonico milite ad tuendam hanc Provinciam relicto repellebantur.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. LXXXIX.

Plura loca a Cæsareo - Boico milite hostibus erepta.

Sub idem tempus Maximiliano Duci afferebantur Gabrielis Bethlemii literæ, quibus Bavariam, si Dux Cæsaris partes ultra sequeretur, ferro & flamma se vastaturum minitabatur: has tamen throsonicas minas Dux nequidem responso dignas censebat: major vero Maximiliano metus erat a Mansfeldii copiis, quæ irruptionem in Bavariam tentabant, mox vero a copiis, quas Maximilianus Ductoribus Herlebergo & Haimhusio tuendæ Bavariæ reliquerat, unacum Mansfeldio Prædatorum suorum Principe Neohusium, & inde Pilsnam repulsæ sunt, suaque fuga Balthasari Maradæ Teiniam & Bucquio Hornam expugnandi opportunitatem reliquere: Interim Maximilianus die vigesima nona Augusti cum exercitu suo, cui sese Anassinus miles junxerat, Straboniziam pervenit, se-

Diar. Anassin. p. 39. Annal. Boic. p. 3. l. 5. Merc. Gallob. t. 9. l. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Blanc. Hist. de Bav. t. 4.

ptima autem Septembris die promotis castris Neobelæ, qui locus utriusque exercitus lustrationi & conjunctioni designatus erat, substitit, ut lassatus miles tantisper respirare posset; quippe præter hostium insidias, viarumque anfractus tanta erat annonæ penuria, ut miles per plures dies impransus, & incænatus permanserit; quocirca hostes, nunquam prælii facta copia, semper recesserunt, spe freti, Bavaros aut fame, aut hyemis asperitate coactos ultra e Bohemia migraturos: insuper Bucquoius Comes non tentata dubii certaminis alea exercitum in hyberna esse ducendum censebat, solus tamen Maximilianus expeditionis celeritate inediam & hyemis injurias esse præveniendas ratus, absque mora Pragam petere decrevit, via tamen obliqua, ut consilium hostes lateret. Indicta igitur expeditione Pragensi in itinere crebræ cum hostibus velitationes habitæ, pluraque oppida & loca munita fuere intercepta, & quidem præprimis a Bavaro Cæsari ad avertendos ab Austria Gaboristas submissæ auxiliares copiæ: Adacta ad deditionem Budna, Gillensteinia, Wodianum, & Pisseca direpta, Grunberga ab Haslango supremo excubiarum Præfecto intercepta Buchemium, Wildberga, Taussium & Gla-

Glatovia ſubacta, Eggenburgum & Rapſium, necnon Bragaditſium, a Bucquoio occupatum. Denique Piſeca poſt quatriduanam obſidionem rurſus expugnata, ſuſpendio mulctatis perjuris Nobilibus, civibusque. Eodem tempore Salisburgenſes & Herbipolenſes, quorum octo millia ſeſe Bavaris junxerant, ſub Baurii imperio Schuttenhoſium, intercepere: Bohemi quoque, quibus Altenburgenſis Monaſterii cuſtodia erat demandata, relictis Bohemorum ſtipendiis, ſignisque ultro ad Maximiliani caſtra tranſierunt, ii vero, qui ductore Anhaltino aliquot inferioris Auſtriæ arces, & oppida occupaverant, nequidem exſpectato Cæſarei militis adventu in Bohemiam refugere. Die autem decima nona Septembris trecenti e Cæſareis, qui prædatum excurrerant, ab hoſte omnes intercepti ſunt, pars cæſi, pars capti. Potiundæ etiam urbis Pilsnæ Bucquio fecerat ſpem Mansfeldius, de pretio deditionis & reconcilianda Auſtriacorum gratia paciſcens, qui tamen re ipſa per hujus nundinationis moram ulteriores in Bohemiam progreſſus retardare intenderat: unde Maximilianus Dux dolum ſubodoratus, omiſſa Pilsna, Straconizium verſus contendit, ubi ſeſe conjunxerant e Bavariæ finibus ſexies

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620. mille sexcenti pedites, ac mille septingenti Equites, quos Balthasar Marades adduxerat, postquam in itinere Risenbergam arcem bellico stratagemate occupaverat.

§. XC.

Haslangus Bellidux a rebellibus captus, & pessime habitus.

Substitit per aliquot dies Straconizii Boicus exercitus, ut annona opportunius advehi, & ægroti milites cum aliis impedimentis in Bavariam transferri possent. Erat inter eos Haslangus Baro, Vir genere, virtutibus, rebusque pro patria & religione gestis longe clarissimus, qui cum lectica extra castra deportaretur, die decima septima Octobris ab Hungaris, qui in insidiis latebant, intercipitur, e lectica violenter extrahitur, & veste nudatur, dein ægre spirans, spe pinguioris lytri, strigoso jumento vinctus imponitur, in hosticum revehendus: spoliatur sexaginta millibus florenorum, qui apud ipsum, ejusque comitatum reperti fuerunt: dein fit impetus in Præfectorum uxores a Viris suis in Bavariam missas, quas hi prædones non modo bonis suis, sed & vestibus spoliarunt, nudasque a se abegerunt, atque e Stipatoribus

toribus decem obtruncatis, triginta captos abſtraxerunt, ceteris fuga elapſis. Re percepta Maximilianus de ſcurrili hac petulantia queſtus, illico Caduceatorem miſit, qui Haslangum a Friderico Palatino repeteret, mox ubi convaluiſſet, cum fide remittendum, reſpondit tamen Fridericus, eum non in ſua, ſed Bornemiſſæ Hungarorum Ductoris manu eſſe: Ita paulopoſt Haslangus die quarta Novembris, Rachonizii in caſtris Hungarorum detentus, ac febri maligna conſumptus obiit.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. XCI.

Poſonium a Gabriele Bethlemio occupatum.

Illuxerat dies decima quarta Septembris, qua Ferdinandus Cæſar datis ad Bavariæ Ducem literis nuntiabat, quod Gabriel Bethlemius prope Poſſonium cum duobus Hungarorum millibus Danubium trajecerit, eumque mox validiores adhuc copiæ ſubſecuturæ eſſent, proin ad tuendos fideles Hungariæ Proceres, & coercendam rebellium violentiam, ut tam Cæſarei quam Bavarici exercitus pars unacum Tampierio Comite ex Bohemia in Hungariam ſubmitteretur, neceſſe foret: Eapropter Maximilianus Dux præter Cæſa-

Orthel. contin. p. 75. Diarium Anaſſ. p. 49. Merc. Galloh. t. 9. l. 2. Theatr. Hiſt. cap. 3.

Sæc. XVII. A.C. 1620.

ream legionem insuper tria peditum millia & trecentos Equites, qui ductore Anholdo Bavaro in superiori Austria castra metabantur, die vigesima prima Septembris transmisit. Interim Gabor cognito, quod Tamperius ex Austria movens Posonium versus immineret, ipse cum universis equitum peditumque copiis castra movit, Cisdanubianam præprimis Austriam vastaturus. Die autem decima quarta ejusdem Mensis concubia nocte Fischæ ex Cæsareis ducentos inopina vi opprimit, cæditque, solis novemdecim necem evadentibus. Prosperi successus auspicio animatus Mannersdorffium, & Schwetam urbes intercipit, suisque diripiendas relinquit: inde die secunda Octobris Eyssenstadium & Haimburgum urbes Cæsari fidas, quinquies incassum tentato assultu, infestat, unde mille suorum clade territus posterioris urbis obsidionem solvit: Haud magis prospero successu ad Lakenbacum hæserat; opportune enim Tampierius cum septingentis Equitibus in Esterhasii opem accurens, non modo urbem obsidione liberabat, sed etiam Hungarorum rebellium mille ducentos trucidabat, desideratis suorum vix triginta: motis igitur castris Gabor Gunsium urbem intercipere parat, quo cognito Tampierius Posonium, quod præsi-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

præsidio bellicoque apparatu minus instructum noverat, inito cum Proceribus aliquot civibusque clandestino consilio, intercipere statuit, hancque in rem quasdam naves pulvere pyrio saxisque prægrandibus onustas eo fine emisit, ut Cæsarei ponte rupto Hungaris reditum præcluderent: ast detecto Tampierii consilio Hungari nautas, militesque adorti, partim eos aquis, partim gladio interemerunt: vicissim Tampierius Hindsheimi in trecentos rebelles irruens potissimam partem trucidavit: postea Tekenburgum petens, locumque aggressus, Hungaros ingenti clade prostravit, captis quatuordecim signis equestribus, tandem vero Posonium Danubio descendens, munitiones suburbanas celeriter occupat, captisque belli tormentis, ruptoque ponte navali Hungaricum Gaboris præsidium dejicit, & continuata vincendi aviditate urbis illius arcem expugnare festinat, tantaque vi cum novem suis equitum centuriis hostium castra invadit, ut per mille ducenta interfectorum cadavera ad arcem penetraret, triginta suorum duntaxat desideratis: dum vero ex adversa arcis parte bellicum arietem perfringendæ portæ applicaturus, montem ascenderet, atque ad fallendam præsidiarii militis solertiam colloquium

Sæc. XVII. A. C. 1620.

loquium cum hoſte peteret, interim vero cum evaginato gladio ſignum ſuis daret, a Moravis cognitus, denſo globorum e fiſtulis jaculatoriis grandine, loquens adhuc percuſſus obiit, cujus tamen fato Cæſarei nequaquam animo fracti oppugnationem invicta fortitudine urgebant, cognito autem, quod Ragotſius cum tribus ferme rebellium millibus in Gaboriſtarum opem accurreret, obſidionem ſolvere coacti ſunt, relictis ſuorum plusquam octoginta. Poſtea Tampierii præſtantiſſimi hujus Belliducis corpus, caput & pectus Heiducci inhumana crudelitate ſclopis ſuis tundentes, abſciſſo capite cadaver in arcem tranſtulerunt. Re cognita Bethlemius Poſonium ſtatim reverſus, ex Nobilibus quosdam cuſtodiæ mancipari, cadaver vero Tampierenſis Comitis, adſuto rurſus capite, honorifice in Franciſcanorum monaſterio, præſente Engolismenſi Duce Galliarum Legato, ſepeliri juſſit, Cæſareos vero, qui Poſonio in Auſtriam receſſerant, per Hungaros ſuos tantum non ad Viennæ propemodum limites inſecutus eſt, cæſis etiam non paucis, præcipue Nobilibus ac Tribunis: Moravi quoque, qui Bethemii ſtipendia merebantur, Laam, octo a Vienna milliaribus diſtans oppidum occuparunt, incenſaque Hæſlina

lina urbe, & Cosaccis in ea trucidatis ferme omnibus Regionem istam crebris suis excursionibus tæde vastarunt. Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. XCII.

Dolosa Friderici Palatini sollicitatio ad transactionem cum Bavariæ Duce ineundam.

Tandem Cæsareorum cum Boicis conjunctione facta, Maximilianus die undecima Octobris Plowizio, Bucquoius vero Poscowizio, abductis suis utersque copiis Stenowizii & in pagis circum vicinis castra metabantur, propediem Pragam versus progressuri: Erat Stenowizii palatium parvum, quod cum Pater Dominicus a Jesu Maria Carmelita Discalceatus, qui Bavariæ Ducem comitabatur, ingressus esset, inter varias Sanctorum statuas ab hæreticis confractas reperit imaginem B. Virginis in præsepio Jesum adorantis, cui scelerata manus pugione oculos effoderat, quo conspecto pientissimus hic Vir voto se obstrinxit, pro vindicando B. Virginis honore, quicquid valeret, se acturum. Ostendit illico hanc imaginem Bavariæ Duci, & militiæ Principibus, quibus Beatam Virginem læsi sui honoris ultricem fore prædixerat. Interim Princeps Anhaltinus Senior cognito Bavarorum consilio motis repente castris

Blanc. Hist. de Bav. t. 4. Annal. Bois. p. 3. l. 45.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

castris Pragam & ipse versus festinare cæpit, magnisque itineribus Cæsareos præveniens, ad Rochizanam denique consedit, interim vero Satczenses rustici, cum novi sui Regis gloriam bonorum suorum impendio quæri dolerent, raptis ultro, quæ casus obtulerat, armis & tribulis in Nobiles malorum auctores insurgebant, & quotquot necem fuga evadere nequirent, misere mactabant; vociferantes: *pereatis cum novo Rege, quem accersistis vobis, ut nova nobis bella, & Regni & nostrorum excidium inveheretis.* Pariter ubique adversus Fridericum publicæ Nobilium ac civium audiebantur criminationes & quærimoniæ: Hi ab hoste, simul & ab ipsis quoque Friderici copiis exhauriri querebantur; isti vero Angliæ Regem in Generi sui opem omne aurum, omnesque Regni sui thesauros in Bohemiam translaturum sperabant, spe autem sua delusi Friderico Regi nonnisi ægerrime obtemperabant: Horum oppositio, Saxonici Regis victoria, proscripta Bohemorum, & ei adhærentium conjuratio, Spinolæ progressus, necnon Turrianæi & Anhaltini exercitus fuga ex Austria, erant Friderico prægrandes mæroris caussæ, quas a primo statim Boiorum in Bohemiam ingressu, quotidianæ clades, urbium-

que

que deditiones, ac totius pene Bohemiæ, usque ad Pragensem civitatem, subjugatio haud parum augebant. Cum igitur inquietissimus harum cogitationum turbo circumsonaret Friderici animum anxiis curis demersum, præprimis filium suum natu maximum Henricum Fridericum Praga abduxit, transtulitque primo Brandisium, inde vero Berolinum ad Joannem Sigismundum Electorem Calvinianæ sectæ partes nuper amplexum: postea Maximiliani Ducis progressus interposita temporis, ac pacificationis simulatæ mora sistere intentus, postquam ab eodem liberi per castra accessus copiam impetraverat, Balthasarem Slamersdorffium Nobilem Palatinum die vigesima Octobris ad Ducem ablegabat, qui Friderici nomine „querebatur, quod hic eo devenisset „infelicitatis, ut cum proprio sanguine, „ejusdem Boicæ stirpis Agnato, cui in „nuperis Imperii comitiis Cæsaream di„gnitatem conciliare adlaborarit, bello „collidi cogeretur; nihilominus pro sua „mentis inclinatione propinquitatis vi„sceribus insita Palatinus interrogaret, „ecquid in bellum totus incubiturus „esset Maximilianus, an vero suspensis „saltem in paucas horas armis dissidia „familiari colloquio & amica trans„actione componere intenderet? locum, „mo-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Diar. Anass. pag. 61.

Sæc. XVII. A. C. 1620.

„modumque rei tam salubri Dux designa-„ret, præcipue cum ipsemet, quoque „Haslangus declarasset, Maximiliano „haud ingratam fore mutuam de con-„cilianda pace deliberationem, de ce-„tero Fridericus sibi veniam a Cæsare „fuisse oblatam crederet, eoquod in suæ „proscriptionis edicto, dum obtempe-„raturis clementia, refractariis autem „bellicus rigor denuntiatur, hæc verba „insinuata fuissent: *Palatini tamen Ele-„ctoris aliam habitum iri rationem*, jucun-„dum igitur foret Palatino, si Dux in-„dicaret, qua ratione id sibi liceat in-„terpretari?

§. XCIII.

Maximiliani Ducis responsum ad Palatini Legati propositionem.

Nicol. Bellus laur. Austr. lib. 4.

Præsenserat Maximilianus, officiosis hisce literis nequaquam æquas pacis leges quæri, sed duntaxat inducias, quarum beneficio Bohemi vires suas augere possent, & Cæsarei annonæ penuria, necnon frigore, morbisque decrescerent, nihilominus astum hostilem dissimulans, hæc Legato reposuit: „hucusque integra fide cum Friderico „egi, ac diu tempestatem, qua se pre-„mi sentiet, prædixi: ego autem non „ex sinistra voluntate, sed Cæsaris „jussu,

„jussu, ob caussas Mulhusii vulgatas „molestam non minus ac periculosam „expeditionem adversus Bohemos, & „Fridericum suscepi: non equidem a„versor pacis colloquium, illud tamen „prorsus inutile fore prævideo; firmum „enim, fixumque stat Cæsari, nullam „pacis mentionem admittere, donec ei „utpote legitimo, inaugurato, recepto„que Bohemiæ Regi Fridericus abla„tum diadema obsequiumque restitue„rit: hæc igitur est, & erit deinceps „unica omnis conventionis lex: si quid „vero in Cæsaris edicto reconditum re„pererit Fridericus, ab eodem Cæsare „legis suæ interpretationem quærat.

Sæc. XVII. Sæc. 1620.

§. XCIV.

Maximilianus grave periculum eluctatus.

Impulit hæc responsio Palatinum, ut Bavarum nocte concubia inopinato obruere cogitaret; igitur Hollachium Comitem die vigesima secunda Octobris cum mille trecentis peditibus & selectis omnium legionum Equitibus Rochizana Tuscowicium, ubi Maximilianus a Bucquoio sejunctus castra tunc locaverat, movere jussit. Hos Hungari, Austriaci, Stubenvolianæ catervæ, ac plurimi alii mixto densoque agmine se-

Le Blanc l. c. Adlzreiter Annal. Boic. p. 3. l. 5. Czechorod. Phosph. rad. 6. p. 667.

Sæc. XVII. A. C. 1620. sequebantur: instabat quoque Christianus Princeps Anhaltinus Senior, & proxime ipsemet Fridericus Elector cum Equitibus ducentis, quorum turmam unam Dux Saxo - Weinmarius, alteram Spaldorffius moderabantur, ac denique Styrumbus agmen universum, quod decem millibus e toto exercitu selectis constitit, claudebat. Absdubio a tanta multitudine Bavari nil hostile suspicantes, & qui nondum ad numerum decem millium ascenderant, oppressi fuissent, præcipue cum Bucquoii copiæ longius distarent, & per opaca, cæca, perplexaque collium, si vel maxime festinassent, nequaquam succurrere valuissent. Attamen propitii Numinis nutu atque consilio factum, ut rustici, qui viarum ignaros ducebant, a recto tramite deflecterent, ac per tenebras sylvasque intricati hærerent, proin & Hungari cum toto, quod eos sequebatur, agmine per devia, & itinera perquam ardua tamdiu errarent, donec destinati successus desperatione victi, pavidique, ac viribus exhausti re infecta pedem referre cogerentur, Hungaris culpam in Ductores, & Hollachianis in Hungaros conjicientibus, adeo ut minimo minus abfuerit, quin Hungari cum Hungaris altercantes, prælio congrederentur. Nec tamen eadem

eadem dies Maximiliano tranquilla fluxerat; quippe Belgæ & Angli, qui Mansfeldii sub signis erant, e Pilsnensi præsidio digressi, Tuscawizianam arcem, agrumque devastare cæperant, quos tamen Croatæ aggressi, eorum centum & quinquaginta trucidarunt, ceteris omnibus in captivitatem abductis. Altera etiam die Bavari quinquaginta pedites & sex Equites interceperant, quos tamen Maximilianus, postquam eos Mansfeldii satellites esse comperit, liberos ad eum remisit. Demum cum toto suo exercitu Welam processit, mox tamen cursum sistere a Bucquoio rogatus, eoquod Friderici copiæ in Cæsareos impetum facere viderentur: nulla igitur mora Dux assumptis mille quingentis Equitibus ad Bucquoium contendit, vices suas interim Tillio demandans. Bohemis vero mutato consilio retrogressis Dux ad Tillium Wellam reversus est, ubi nuntiatum, Bohemos, Hungarosque Pilsnam contendere, ut currus, commeatum & pecunias, quæ ex Bavariæ finibus advehebantur, interciperent: mox igitur Maximiliano ad Lindeloum, qui cum valido præsidio hosce currus comitabatur, geminos cursores emisit, quorum alter Lindeloum in campis Plasensibus nactus, eidem ex

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Sæc. XVII. A. C. 1620. Maximiliani mandato ſignificabat, uti tantiſper, donec hoſtium conſilia paterent, progreſſum in Bohemiam retardaret, interim vero Hungarorum excurſiones reprimeret, & Bohemos Boicis finibus imminentes totis viribus depelleret: accepto hoc negotio Lindelous Tauſſium receſſit, & mandata exequi curavit: Ex eo tempore pugnis velitaribus præliisque equeſtribus ſolito longe acrioribus Pragenſi pugnæ præludi cæpit; quippe Maximiliano die vigeſima ſeptima Octobris Senomatum progreſſo univerſæ Palatini & Bohemorum copiæ e ſylva Rochizanæ vicina in editum quemdam collem ad alterum Rochizanæ latus toto ſtudio contendebant, eo fine, ut Cæſareo-Boicis Pragam verſus iter ac tranſitum interciperent. Verum Dux horum conſilium celeritate eluſit; quippe prior ipſe præfatum collem cum ſuis occupans, locatis ibidem duobus belli tormentis Tillium cum univerſo peditatu eo properare juſſit: ſpe ſua fruſtrati Anhaltini milites fremere cæperant, ac Boios loco pellere, fixum in animo deliberatumque habuere: toto igitur impetu Bavaros adoriuntur, cædunt, & cæduntur, ac dudum alternante fortuna pugnantes tandem in fugam acti Raconizium, unde venerant, inglorii rece-

recedere coguntur, tanto terrore in hostem effuso, ut inspectante Duce & Bucquoio, qui nuperrime cum suis advenerat, octodecim Bavari ducentos quinquaginta Bohemos Equites fuderint, fugarintque. Sæc. XVII. A. C. 1620.

§. XCV.

Crebræ velitationes inter Cæsareo-Boicos & Fridericianos.

Die trigesima Octobris, cum Maximilianus Dux unacum Bucquoio hostium castra eminus contemplaretur, mox exploso belli tormento, velut pugnæ thessera Fridericianæ legiones castris suis progressæ ante munimenta sua in aciei formam sese componebant. Haud segniores Boici pariter & Bucquoiani per declivia collis descendentes, sinistrum hostilis castri latus petebant. Aberat haud procul ab hostium castris sylva, quam Bohemi firmo præsidio insederant; mox igitur Maximilianus quosdam eo exploratum miserat, qui intra hanc sylvam Bohemos in aciem dispositos referebant, quo comperto Bavari & Neapolitani, quorum legio Boicis erat aggregata, sylvam occupare jussi, tam invicta fortitudine eos aggressi sunt, ut statim pulsis inde hostibus collis cujusdam Bohemis

Sæc. XVII. A. C. 1620. opportunissimi præsidium conserta manu dejicerent: Nec tamen incruenta hæc Cæsareo-Boicis velitatio fuit, trucidato Ascanio Aquaviva & Scipione Sersano, vulneratis quoque quibusdam, paucis tamen, Ordinum Ductoribus, ac gregariis militibus. Ast hostium centuriis aliquot, non modo graviter sauciis, sed & interfectis grandior clades erat, cæsis præcipue Theodoro Donavio Comite supremo Hollachianorum Tribuno, & Anhaltini Principis Vexillifero, quem Crazius Equitum Tribunus glande plumbea trajecit, ejusque Vexillum auro contextum abstulit: captus quoque cum aliis quibusdam Baro Teifelius. Tandem Bucquoiani post duas a cæptis jam concursibus horas advenerant, qui e sinistro sylvæ latere Bohemorum castra assiduis balistarum ictibus tota nocte infestarunt, infausto Marci Philippi Fuggeri Comitis fato, cujus utrumque pedem excussa tormento bellico pila a poplitibus avulsit.

§. XCVI.

Bucquoius leviter vulneratus.

Tum ibidem commorati sunt Cæsareo-Boici, qui commeatum ex Bavaria advehendum expectantes, crebris velitationibus cum hoste congressi

Sæc. XVII. A. C. 1620.

greſſi fruſtra eum ad ſummæ rei diſcrimen prælio tentandum elicere nitebantur, non ſine ipſius Bucquoi periculo; poſtquam enim Boici hoſtem non ſine clade a munito quodam Templo ejecerant, & Anhaltinos in ſuis munimentis, ipſamque Rackonitiam urbem continuata tormentorum procella oppugnaverant, Bucquoius quoque die tertia Novembris noctu Hungarorum caſtra obruere parabat, irrito tamen ſucceſſu; hi enim explorato hoſtis conſilio ſtagni cujusdam aggerem interſcindentes aquam omnem in ſubjectos campos tam præcipiti impetu emiſerunt, ut Bucquoiani nonniſi pectore tenus & pœne collo per incerta vada natantes ad caſtra ſua reverti cogerentur. Altera die velitatione inter Cæſareos & Bohemos facta Bucquoius, dum ſuis auxiliatum properat, leviter in ſummo femore vulneratur: demum vero Maximilianus, poſtquam Launa Urbs ultro ſeſe Cæſaris obſequio dederat, caſtrorum motionem recta Pragam verſus ad quintam Novembris diem indixit; Ergo a Boicis pariter & Bucquoianis Lithſahanam verſus præſtituta die totis caſtris diſceſſum: quo comperto Anhaltini relictis caſtris ſuis Cæſareos non tam aſſequendi, quam præveniendi ſtudio in-

Sæc. XVII. A. C. 1620.

sequuntur, ac densæ nebulæ beneficio totum Catholicorum exercitum, qui ab eis nonnisi mille nongentorum passuum intercapedine distabat, intacti atque inobservati pertranseunt, dolorem tamen Cæsareorum ex elapsa prælii occasione conceptum temperabant triginta currus omni commeatus castrensis opulentia referti, quos nostri Bohemis interempto Hungarico præsidio eripuerunt, demum Straßio oppido deditione capto, Maximilianus die septima Novembris triplicem hostilis Equitatus turmam e colle, quem tenuerant, immissa in eos Equitum peditumque expedita manu dejecit, simulque ab eis, qui fugitivos insequebantur, comperit, quod Anhaltini & Turriani exercitus pars instructa jam acie in late patente planitie eo fine subsisteret, ut nostros Praga positis remoris intercluderet vel avocaret; mox igitur Maximilianus hostem, ne rursus elaberetur, circumcludi jubet, simulque de opportuna prælii occasione Bucquoium monet, qui tamen plus serius, & regressis jamjam in stationes suas hostibus, Pragamque versus tendentibus advenit.

§. XCVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. XCVII.

De prœlio committendo deliberatum.

Maximilianus haud ultra cunctandum ratus, octava ejusdem Mensis die cum toto Catholici fœderis exercitu progressus est, quem etiam ea, qua valuit celeritate, sequebatur Bucquoius a Tillio non multum remotus. Præprimis vero dilapsos Bohemos una ex parte Bucquoiani, altera Bavarici infectantur, ac novissimos hostium assecuti ad Ruzinam pagum profligant, ad finitima Montis-Albi loca progressi; hac occasione parique insequendi ardore non modo Bavarus Baro Anholtius cum suis Equitibus, sed etiam Florenvillæus cum suo agmine, ac tandem totus exercitus pontem ab hoste relictum trajecit, inde planitiem explicandæ aciei oppido commodam vicinumque collem nactus. Eo tempore hostilis Bohemorum acies in monte Albo stabat, in cujus vertice erat Regium Palatium, cui adjacet saltus a figura sua stellatus dictus. Postquam vero Fridericiani Belliduces Bavarorum motus compererant, mox intra Prætorium consultabant, utrum, & an illico in Catholicos irruendum esset? Id suadebat

Sæc. XVII. A. C. 1620.

Anhaltinus, diſſuadebat Hollachius, proſpero Boiorum ſucceſſu; ſi enim Bohemi ſtatim in aciem Bavaricam duxiſſent, Bucquoio nondum Bavaris conjuncto facile victoriam reportaſſent, dum vero iſti deliberationibus ſuis tempus terunt, Cæſareis indultum eſt ſpatium, inſtructa acie ſe Bavaris jungendi: quo facto, ubi dies octava illuxit, vocati in conſilium Catholici fœderis Belliduces, ex quibus Bucquoius Pragam recta petendum exiſtimabat, Maximilianus vero hoſtem e veſtigio intra ſua caſtra necdum omnino firmata invadendum. Prævaluit Ducis ſententia, præcipue ubi Legatus caſtrenſis Lamottæus, qui hoſtium caſtra coram „inſpexerat, retuliſſet, ea non eſſe „adeo munita, quin ſuperari nequirent: „tormenta quidem primo aggreſſuris „infeſta fore, ſed Cæſareorum ſubtus transcurſu peracto, poſthæc innoxie „tonatura: plus autem ab iis nocu„menti fore, ſi prælio prætermiſſo, „exercitus Catholicus ſecundum mon„tem, Pragam verſus iter ſuſcepturus „eſſet.„

§. XCVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

§. XCVIII.

Decreta a Maximiliano pugna adversus Bohemos.

Placuit omnibus La-Mottæi relatio; quapropter suas in partes denique Bucquoio quoque, ceterisque pertractis Maximilianus pronuntiabat: *Ergo in montem properemus, & prælium: Deus, cujus caussam tuendam suscipimus, nobis aderit:* Ad eandem divinæ opis fiduciam Catholicorum copias, ac Belliduces continuo *hortabatur Pater Dominicus a Jesu Maria Carmelita Discalceatus Vir opinione, famaque sanctitatis mirandæ meritissima conspicuus, quem ex Italia evocatum, annuente summo Pontifice, Bavariæ Dux secum ad castra adduxerat: Hic pietatem, quantum in urbes ac Templa domi, tantum in tentoria, stativaque foris, introducere satagens, certam a Deo victoriam utrique exercitui Catholico præsagiebat* (*), *cujus sponsionis fidem tunc hæretici exsibilarunt,*

Brachel. Hist. l. 1. p. 26. Bisel. Leo Galeat. p. 177.

(*) Cluverius epit. Hist. Calvinista licet, hæc scribit: Tillius iter admaturat: *Dominico Carmelita Hispano certam, ut ajunt, victoriam promittente.* Arnoldus in sua Hist. Hæres. p. 2.

Sæc. XVII. A. C. 1620. *larunt, illorum tamen clades sibillorum irrisor subsignavit.* Hæc verba sunt Biselii. Postmodum Maximilianus, sicut olim Joannes Austriacus contra Turcas, dedit belli tesseram, *Sancta Maria*, cujus imago in vexillo ejus prætoriano visebatur. Mox instructa acies, quæ quadratam formam referebat. In dextero cornu stabant legiones Cæsareæ, quibus, Bucquoio adhuc ex vulnere ægro,

p. 2. l. 17. c. 1. §. 16. ait: die Papisten haben erzählt, daß ein Marienbild von einem Mönch bey der Schlacht seye herumgetragen worden, welcher man den Sieg zugeschrieben. Meteranus l. 40. p. 309. hæc habet: darzu hat auch sehr gerathen ein barfüsser Mönch Dominicus a Jesu Maria, welcher dem Herzog von Bayrn ein Schwerdt, daß der Pabst geweichet, gebracht hatte. Dieser sagte, daß man auf den Tag, welcher der nächste Sontag wäre, nach dem Fest aller Heiligen, eine Schlacht liefern sollte: idem fatetur Everhardus Wassenbergius pag. 37. & Mercurii Gallobelgici Author tom. 9. l. 2. cum Brachelio testatur, quod *dubitantibus Cæsareis animos addiderit P. Dominicus a Jesu Maria natione Aragonius ex Ordine Carmel. Disc. vitæ morumque integritate clarus, quem Bavarus secum ad castra adduxerat: is certam a Deo victoriam*

ægro, præerat Rudolphus Tieffenbachius, Gaucherius, La-Mottæus, Montecuculus, Verdugo, Breinerus, Torquatus, Cracius, & Avendanus, media acies Neapolitanos Equites, & quasdam peditum turmas complectebatur, quas Carolus Spinellus ducebat: in postrema acie Poloni Equites, & Cosacci quosvis in casus sepositi stabant, præter Saxonicam, Nassovianam, Fuggerianam Legiones, & quosdam Tamperii Equites, & Florentinos pedites. Lævum cornu Bavari constituebant, ductoribus Tillio, Bauro, Florevillæo, Enneterio, Crazio, Schmidio, Rovillæo, & Herlebergero, Hauserus vero, Harsella & Pappenheimius in

Sæc. XVII. A. C. 1620.

storiam pollicitus, Christi crucifixi effigiem in hostes intulit. Brietius quoque in suis Annalibus ad ann. 1620. hæc habet, *Dominicus a Jesu Maria Hispanus Carmelita Discalceatus, cum invenisset imaginem B. Virginis, cui oculos suffoderant hæretici, Catholicis animos addidit, & ardentissima oratione eos ad vindictam Deiparæ fortiter incitavit*, & Hertenbergerus in sua Hist. Pragm. ait: *reperta tunc erat alia Deiparæ Virginis effigies effosis oculis mutilata, qua militibus ostensa, Dominicus Carmel. Hisp. eos mirifice ad pugnam accendit, ratus, non defuturam violati sui honoris ultricem.*

Sæc. XVII. A. C. 1620.

in quarta acie tria Equitum agmina ducebant: demum Bavariæ Dux & Bucquoius, quos ſtipabant Benichuſii Equites ſexcenti, univerſum exercitum, Wartenbergius vero Comes cum Croatis pontem obſervabat.

Bohemica acies tenſum arcum cum duplici nervo parallelo referebat, atque in prima acie Hungaros ductoribus Streiſſio & Stubnavio collocabant. Peditatui, qui triginta ſeptem cohortibus conſtabat, imperabat Turrianus Junior, Hollachius, Schlickius, Hohenlous, & Caplitus. In horto ſtellato erat legio Anhaltini, Erneſti Vinarienſis, & prætoriana. Equitatus quinquaginta quatuor turmas habebat ſub Anhaltino Juniore, Stirumio aliisque; Hungarorum octo millia fuiſſe traduntur a Bethlemio & Proteſtantibus ſubmiſſa. Ipſe Fridericus Palatinus prælio haud intererat, ejus tamen nomine Chriſtianus Anhaltinus Princeps totius exercitus curam habebat.

INDEX

INDEX
TOMI LVI.

A.

Albertus Belgii Gubernator in Palatinatum movet, 674. Proteſtantes omni hoſtilitatis metu eximit. 675.
Aletana Hugonotarum Pſeudo - Synodus. 650.
Amilianus Hugonotarum Conventus. 645.
Amſtellodamenſis tumultus inter Gomariſtas & Arminianos, 5.
Angelica Arnalda Malbuiſſonem Abbatiam ad priſtinam diſciplinam revocat, 179.
Aniſiani Auſtriaci rebelles Danubium catena claudunt, 111.
Anna Jacobi I. Conjux Catholicis favet, 504. moritur, 505.
Anna Mathiæ Cæſaris conjux moritur, 181.
Argentinenſes ad Principum Catholicorum monita reſpondent, 607.
Arminiani vide *Calviniſtæ*.

Arnul-

Arnulphus Jesuita, ejus consilium ineptum Reginæ datum eluditur, 479.
Assumus Joannes, ejus opera & obitus, 521.
Austria a Bohemis rebellibus invaditur, 107. Austriaci ad rebellionem a Bohemis sollicitantur, 296. Danubium catena claudunt, 111. 206. dolose cum Cæsare agunt, 306. perversa Protestantium consilia adversus Cæsarem, 398. usum suæ sectæ petunt, 600. in Cæsarem insurgunt, 601. a Maximiliano Duce debellantur, 656. ad Cæsaris obsequium redire admonentur, 658. homagium Cæsari præstant, 661.

B.

Bachius Joachimus, ejus opera & obitus, 519.
Barneseldius Joannes tumultum concitat, 9. nationalem Synodum expetit, 12. a Gomaristis custodiæ datur, 133. de variis criminibus postulatur, 134. caussam dicere jubetur, 254. judicii acta in eum instruuntur, 256. de variis criminibus postulatur, 257. Franciæ Rex pro eo frustra deprecatur, 258. capite plectitur, 259. ad suam conjugem rescribit, 260. sua merita jactitat apud Hollandiæ Ordines, 263.
Batavorum dissidia inter Arminianos & Gomaristas, 1. Lugduni Batavorum tumultus oritur, 10.

Baylon

Baylon Paſchalis Beatis adſcribitur, 202.
Bearnenſes Hugonotæ, Regi rebelles, 627. conventum habent Rege reclamante, 629. armis compeſcuntur, 633. vide *Calviniſtæ*.
Belgii Fœderati Ordines ad rebellionem Bohemos concitant, 91.
Belmuſtus Octavius Cardinal. ejus obitus. 195.
Benedictinorum Congregatio S. Mauri. 179.
Berullus Congregationis PP. Oratorii Generalis pacem inter Regem & Reginam conciliat, 623. 626.
Bethleem Gabriel ſeu Gabor, ejus fœdus cum Turcis, 358. Bohemis rebellibus opem pollicetur, 382. in Hungariam irrumpit, 384. ejus verſutia, 384. ejus crudelitas in Regi fidos, 385. plures urbes Cæſari eripit, 386. cæſo Bucquio Poſonium occupat, 393. ſe in Hungariæ Regem proclamari jubet, 400. Tranſylvaniæ Princeps proclamatur, 565. cum Cæſare paciſcitur, 566. comitia celebrat, 666. ſe Regem Hungariæ proclamari curat, 669. Cæſarem doloſe incuſat, 672. Poſonium occupat 697.
Bighius Metellus Cardinalis, ejus obitus, 500.
Bohemi, vide *Calviniſtæ*, *Lutherani*, *Proteſtantes*. Directores Bohemi ſubdole Cæſarem ab inferendo in Bohemiam bello avertere moliuntur, 85. rebellionis cauſſam in Cæſaris Miniſtros nequiter retorquent, 86. a Cæſare redarguuntur, 87. obſequium erga Cæſarem doloſe mentiuntur, 89.

de abdicando legitimo suoRege agunt, 90. variis Principibus coronam Bohemicam offerunt, 91. a Cæsareis profligantur, 103. Austriam invadunt, 107. Cæsarem variis promissis deludere tentant, 108. Turcæ opem implorant, 116. comitia indicunt, 285. 311. milites conscribunt, 289. concessis omnibus eorum petitis petulantiores fiunt, 294. Ferdinandum ab electionis jure excludere audent, 295. 311. Regis subditos ad rebellionem sollicitant, 296. Catholicos dire vexant, 300. Ferdinandi electioni sese opponunt, 311. 313. alios in rebellionis societatem vocant, 317. abdicato Ferdinando Fridericum in Regem Bohemiæ eligunt, 323. 342. a Bethleemio adjuvantur. 382. iconoclastæ, 459. fœdus cum aliis rebellibus ineunt, 560. quas caussas annullatæ electionis Ferdinandeæ afferant, 560. a fœderatis Principibus suppetias obtinent, 586. Cæsareos cædunt & cæduntur, 587. arrogans eorum responsum ad Principes Catholicos, 605.

Bömius Jacobus, ejus deliria, 511.

Brunovienses Lutherani, Templum per nefas erigunt, 40. Cæsari rebelles, 40.

Bucquoius Cæsareus Bellidux, 92. Bohemos rebelles cædit, 103. Mansfeldium cædit, 309. Turrianum Vienna propulsat, 310. a Bethleemio cæditur, 393. rebelles profligat, 397. quasdam urbes sedi-

ſeditioſis eripit, 590. ejus ſententia de differenda expeditione, 694. a Mansfeldio decipitur, 695. vulneratur, 707. aciem inſtruit, 710.

C.

Calviniſtæ, inter ſe diſſentiunt de poteſtate ſuprema circa ſacra, 1. 239. Gomariſtæ in Arminianos deſæviunt, 5. 9. luculento miraculo confunduntur, 51. horrendam Miniſtrorum Cæſareorum ejectionem excuſare præſumunt, 53. Pragæ imperium uſurpant, 57. Jeſuitas e Bohemia proſcribunt, 58. Cæſaris monita ſpernunt, 67. milites contra Cæſarem conſcribunt, 67. 87. in Catholicos minas effundunt, 86. Gomariſtæ Arminianis ſuas eripiunt urbes, 129. præter Dei Verbum alium Judicem admittunt, 163. Cæſarem contemnunt, & ejus fratres propellunt, 305. perverſa eorum conſilia adverſus Cæſarem, 399. cruenti belli cauſſa exiſtunt, 523. Monarchias in Democratiam convertere nituntur, 529. quibus ex cauſſis Ferdinandi electionem eſſe nullam, aſſerere præſumunt, 560. bellum adverſus Regem Franciæ parant, 626. Regi pacis leges præſcribere audent, 627. Loduni conventiculum celebrant, 629. petulanter quædam a Rege poſtulant, 630. alios in rebellionis ſocietatem ſollicitant, 631. Regis man-

dato de ſolvendo conventiculo reſiſtunt, 633. bello a Rege premuntur, 633. quasdam urbes amittunt, 635. fruſtra a Rege ad obſequium ſollicitantur, 636. Regem ſuum famis metu ex urbe excedere compellunt, 637. Regis edictum acceptare tenentur, 637. eorum Prædicantes ſeditionem concitant, 640. alios contra Regem & Catholicos concitant, 641. Amiliani conventum indicunt, 642. conficta eorum gravamina, 643. Conventiculum celebrant, 644. ſanguinolenta eorum conſilia, 645. in Regios Miniſtros conſpirant, 647. plectuntur, 649. Aleſiæ conventum celebrant, 650. bellum contra Regem ſuum parant, 651.

Camerarius Ludovicus Friderici Palatini Conſiliarius contra Cæſarem conſpirat, 113. Fridericum ad uſurpandum Regnum ſollicitat, 327. 527.

Cancellaria Anhaltina, varia Proteſtantium conſilia ibidem continentur, 113.

Carolus Auſtriæ Archidux Vratislavienſis Epiſcopus a Proteſtantibus ejicitur, 305. de iniquo juramento Canonicis ſuis impoſito queritur, 389. Poloniæ Regis opem implorat, 389.

Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux ad acceptandam Bohemiæ coronam a rebellibus ſollicitatur, 90.

Caſſovia a rebellibus vaſtatur, 385.

Catholicorum gravamina contra Proteſtantes,

tes, 455. Principes Mulhusii conventum habent, 590. ad Protestantium postulata respondent, 609.
Christianus Anhaltinus Princeps clandestina contra Cæsarem consilia cudit, 113.
Chunsadus Baro Fridenburgensis Protestantium consilia detegit, 529.
Cleselius Melchior Cardinalis, a Cæsaris Fratribus custodiæ datur, 97. quam ob caussam? 97. a Mathia Cæsare deploratur, 99. Romam adducitur, 100. absolvitur, 100.
Cometes apparet, 112.
Concilium Leodiense, ejus decreta, 195.
Congregationes Romanæ, earum decisiones, 215. 508.
Coloniensis Universitatis censura in libros Marci de Dominis, 217. 237.
Correspondentes Principes Protestantes ficte Cæsaris obsequium profitentur, 92. Udenheimium devastant, 100. clandestina contra Cæsarem consilia cudunt, 113. Fridericum ad usurpandam Bohemiæ coronam sollicitant, 327. comitia Norimbergæ celebrant, 401. Bavariæ Ducem ad defectionem a Cæsare sollicitant, 426. repulsam ferunt, 431. rursus eundem urgent, 445. rebellibus Bohemis opem ferunt, 586. Catholicis Principibus respondent, 607. concordiæ leges præscribunt, 654. alias acceptant, 655. Spinolæ expeditione terrentur, 675.

Cosacci seditiosos profligant, 588. in sævitiam degenerant, sed plectuntur, 589.
Costerus Franciscus S. J. ejus libri, mors, & elogium, 521.
Costerus Henricus, ejus opera & obitus, 208.
Cotterus Christophorus, ejus deliria, 511.

D.

Dietrichsteinius Cardinalis rebellibus cedere cogitur, 299. a Protestantibus seditiosis male habetur, 38. capitur, 301.
Doczius Andreas Cassoviæ Præfectus a rebellibus male habetur, 385.
Dominicanorum Ordo restauratur, 178.
V. P. Dominicus a Jesu Maria Carmelita discalceatus S. imaginem ab hæreticis fœde deturpatam reperit, 701. Dei vindictam præcicit, 701. ad ineundum prælium Belliduces hortatur, 710.
Dominis de, Marcus Antonius, ejus liber de Republica Ecclesiastica Parisiis damnatur, 14. ejusdem quatuor libri a Facultate Coloniensi censuris notantur, 217
Donatus Venetorum Dux moritur, 181.
Dordracense Conciliabulum, sese ei Arminiani opponunt, 137. pro impediendo hoc conciliabulo Friderici Palatini & Angliæ Regis opem frustra implorant, 139. hujus spuriæ Synodi acta, 160. Arminiani ibidem male habentur, 165. etiam fœminæ in hac Synodo admittuntur, 167. Arminiani adversus hanc Synodum reclamant,

clamant, 250. ab eadem damnantur, 250. indigne habentur, 253. non conceditur eis libertas, 255. Bohemorum cauſſam negligunt, 425. opem adverſus Cæſarem quærunt, 426. Bavariæ Ducem a Cæſaris obſequio avertere moliuntur, 427.

E.

Eliſabetha Palatini uxor Filium Pragæ enititur, 461.

Eſpernonius Dux, Franciæ Reginam e cuſtodia abducit, 479. Regis indignationem incurrit, 484. a Rege bello premitur, 486. Regi reconciliatur, 488.

F.

Fabritius Cæſaris Miniſter a Calviniſtis e feneſtra projicitur, 48.

Facultas Theologica Pariſienſis quosdam libros & propoſitiones damnat, 12. librum de Republica Eccleſiaſtica Marci Antonii de Dominis notis perſtringit, 14. reſiſtit Jeſuitis, ne ſcholas aperirent, 175. Papæ indulgentias promulgat, 465. Antonium Fuſium ex Jeſuita Apoſtatam damnat, 467. Milhardi librum proſcribit, 469. 471.

Farinacius Proſper, ejus opera & obitus, 212.

Ferdinandus Auſtriæ Archidux a Paulo V. creatur Cardinalis, 503.

Ferdinandus II. Imperator pacem cum Venetis firmat, 34. in Hungariæ Regem e-

ligitur, quibus conditionibus, 36. coronatur, 38. mortuo Mathia Cæſare Auſtriæ Regimen adit, 292. Bohemos ad pacem ſollicitat, 293. eis omnia privilegia confirmat, 293. a Moravis & Auſtriacis Proteſtantibus deferitur, 296. Bohemos ad obſequium revocare nititur, 311. Francofordiam ad novi Cæſaris electionem proficiſcitur, 312. a Bohemis præpeditur, 313. ejus jus vindicatur, 316. in Cæſarem eligitur, 321. Proteſtantium inſidias eludit, 391. Bavariæ Ducem Catholici exercitus Imperatorem eligit, 391. Proteſtantes a ſeditione avertere molitur, 402. ad ficta eorum gravamina reſpondet, 404. falſas rebellium criminationes diluit, 564. inducias cum Hungaris rebellibus paciſcitur, 565. Friderici electionem nullam declarat, 570. idem aliis Principibus ſignificat, 583. Auſtriacis ſectæ libertatem concedit, 601. Palatinum ceterosque rebelles admonet, 615. a Bethlenio apud Turcas traducitur, 672. Proteſtantes fideles protegit, 677. Saxoniæ Electorem ſibi faventem habet, 678. expeditionem in Luſatiam urget, 679.

Forgatſius Hungariæ Palatinus Bethlemum ad Cæſaris obſequium revocare, incaſſum nititur, 387. ſeſe Hungarorum conſiliis opponit, 668. tandem eis cedit, 669.

Fran-

Francisca de Chantal Ordinem Monialium Visitationis instituit, 179.
Franciscus Salesius S. Ordinem Visitationis erigit, 179.
Franciscus II. Saxo - Lavenburgicus Princeps moritur, 505.
Fridericus Onolzbacensis Marchio Catholicos profligat, 320.
Fridericus Palatinus Elector ad acceptandam Bohemiæ coronam a rebellibus sollicitatur, 90. clandestina in Cæsarem & Catholicos consilia cudit, 113. novi Cæsaris electionem præpedire nititur, 292. Bohemicam coronam affectat, 319. quare electioni Cæsaris interesse noluerit? 320. Bavariæ Duci Imperium dolose offert, 821. a seditiosis Bohemis in Regem eligitur, 323. se coronam respuere simulat, 325. coronam non acceptare ab ejus Matre rogatur, 326. in sui electionem consentit, 329. Bavariæ Ducem sollicitat, 330. Duci respondet, 333. Saxoniæ Electorem frustra sollicitat, 336. a rebellibus Rex coronatur, 342. ejus Mater futuram ejus calamitatem deplorat, 343. ejus conjux coronatur, 344. ejus Filius in Regni successorem eligitur, 345. pessimis consiliis instruitur, 347. sacras imagines Pragæ everti jubet, 459. quo fine fœdus cum rebellibus inierit? 563. a Moravis & Silesiis homagium deposcit, 568. a Lusatiis re-

pulſam fert, 569. ejus electio a Cæſare nulla declaratur, 570. ab Angliæ Rege ſuppetias ſperat, 584. incaſſum auxilia a Saxoniæ Electore expectat, 585. a Principibus Mulhuſii congregatis ad reddendum Cæſari Regnum admonetur, 595. hujus conventus auctoritatem vilipendit, 602. incaſſum a Cæſare admonetur, 614. Cæſaris electionem impugnat, 615. Saxoniæ Electorem Voigtlandiæ feudo privat, 684. de ejus proſcriptione agitur, 688. ejus Filius hæres Bohemiæ declaratur, 688. incaſſum a Maximiliano Bavariæ Duce de reddendo Regno admonetur, 691. de eodem queritur, 691. doloſa ejusdem transactio cum Maximiliano Duce, 701. apud eundem de expeditione queritur, 703. condignum recipit reſponſum, 704. ſuis exoſus fit, 702. Maximilianum moroſa transactionis ſpe detinere nititur, 704.

Fürſtenbergius Theodoricus Padebornenſis Epiſcopus moritur, 181.

Fuſius Antonius ex Jeſuita Apoſtata 466. ejus perverſa vita, 467, a Facultate Pariſina damnatur, 468.

G.

Galli fœdus cum Turcis ineunt, 198. propterea carpuntur, 199. Principes aula excedunt, 621. arma in Regem movent, 622. Regi reconciliantur, 621.

Gar-

Gartius Helvicius, ejus opera & obitus, 522.
Gavio Jacobus Carmelita, ejus opera & obitus, 208.
Gomaristæ vide *Calvinistæ*.
Gondius Henricus Purpura decoratur, 181.
Gordonius Joannes, ejus opera & obius. 523.
Gramondus Gabriel, ejus judicium de Jesuitarum Scholis, 177.
Grisones, vid *Rhætii*.
Grotius Hugo, a Gomaristis carceri includitur, 134.

H.

Haffenrefferus Mathias, ejus opera & obitus, 521.
Haslangus Comes ab Hungaris capitur, 696. male habetur & moritur, 697.
Herbipolensis Conventus a Catholicis Principibus celebratur, 454. ad Protestantium postulata respondetur, 609.
Hispani de matrimonio Regiæ Filiæ cum Anglo Principe agunt, 200.
Hoeckenes Jonas, ejusdem scripta & mors, 214.
Hochenzolleranus Comes ad comitia Protestantium a Cæsare ablegatur, 402.
Hofstadius Adrianus, ejus opera & obitus, 205.
Hugonotæ vide *Calvinistæ*.
Humanoius Cæsari fidus a Bethlemio profliga-

fligatur, 385. ſeditioſos Hungaros cædit, 399.

Hungari comitia Poſonii celebrant, 35. Ferdinandum in Regem ſuum eligunt, & quibus conditionibus? 36. eorum articuli confirmantur, 37. a Cæſare deficiunt, 384. Bethlemio adhærent, 385. Calviniſtæ fœdus cum rebellibus ineunt, 560. fœderis articuli, 561. alios etiam ſollicitant, 563. Cæſarem incuſant, 563. inducias cum Cæſare paciſcuntur, 565. Neoſolii comitia agunt, 666. novum fœdus contra Cæſarem pangunt, 668. Bethlenium in Regem proclamant, 669. 670.

I.

Jacobus I. Angliæ Rex Gomariſtis adverſus Arminianos favet, 10. Filium ſuum cum Hiſpana Principe jungere parat, 200. conditiones deſuper init, 201. de pace agit, 310. Bohemorum rebellionem, & Generi ſui electionem reprobat, 325. ad eundem Legatos decernit, 326. Friderico ſuppetias pollicetur, 584.

Jægerndorffius Brandeburgicus Marchio in Bohemiam irrumpit, 107.

Jeſuitæ a Bohemis rebellibus proſcribuntur, 58. huic calamitati ſalutaribus monitis præcavere ſatagunt, 62. Pariſiis ſcholas aperire permittuntur, 173. e Moravia ejiciuntur, 302. de incendio accuſantur, 304. ex Hungaria & Sileſia propelluntur, 304.

Inſtru-

Instructio secretissima Friderico Palatino datur, 346.
Joannes Georgius Saxoniæ Elector ad rebellium Bohemorum literas respondet, 288. a Friderico Palatino incassum sollicitatur, 336. Friderico rebelli suppetias ferre recusat, 585. a Mauritio Hassiæ Landgravio incassum in Catholicos irritatur, 591. seditiosos Principes ad obsequium hortatur, 674. expeditionem in Lusatiam parat, 679. Cæsaris honorem tuetur, 680. in Lusatiam movet, 681. Lusatiis incassum pacem suadet, 682. Budissam obsidet, 683. repellitur & subsannatur, 684. urbem ad deditionem cogit, 685. deditionis pacta, 686. alias urbes sibi & Cæsari subjicit, 687. Lusatia a Cæsare donatur, 687. a Friderico Vogtlandiæ feudo privatur, 684. proscriptionis Cæsareæ diploma exequendum censet, 689.
Joannes Sigismundus Brandeburgicus Elector moritur, 504.
Isca Arnaldus, ejus opera & obitus, 519.

L.

Laireus Servatius Ordinem Præmonstratensium restaurat, 31.
Ledenbergius Arminianus seipsum in carcere enecat, 254. ejus cadaver e furca suspenditur, 255.
Leopoldus Austriæ Archidux Argentinensis Episcopus a Calvinistis ejicitur, 305.

Leo-

Leopoldus Archidux Viennam gubernat, 394. Bucquoium evocat, 395.
Lodunensis Hugonotarum conventus, 629.
Longlada in Venetos conspirat, 119. ejus interitus, 120.
Lubenlius Severinus, ejus opera & obitus, 210.
Lucas Brugensis, ejus opera, elogium, & mors, 517.
Ludovicus XIII. Franciæ Rex Arminianos cum Gomaristis conciliare nititur, 135. Reginæ fugam ægre fert, 483. Espernonium insequitur, 487. cum Matre sua in gratiam redit, 488. in Principes arma parat, 621. eis reconciliatur, 623. Bearnenses armis ad obsequium compellit, 626.
Ludovicus Hassiæ Landgravius Cæsari fidelis, 591.
Lusatii cum rebellibus fœdus ineunt, 317. Friderico homagium præstare renuunt, & quare? 569. a Saxoniæ Electore frustra ad obsequium admonentur, 681. Budissa ab eodem obsidetur, 683. Electori cives irrident, 684. ad deditionem compelluntur, 685. plurimas urbes victori cedere coguntur, 687.
Lutherani in Bohemia seditionem movent, 38. privilegia concessa nequiter extendunt, 40.
Luyncœus Reginæ reditum impedire nititur, 478. 488. adversus eum bellum movetur, 621.

Mans-

M.

Mansfeldius Spurius Comes rebellium signa sequitur, 104. Pilsnam urbem obsidet, 105. a Cæsare proscribitur, 107. a Bucquoio cæditur, 309. in Religiosos desævit, 587. a Cæsareis profligatur, 693. dolose de pretio tradendæ Pilsnensis urbis cum Bucquio agit, 695.

Martinizius Comes Bohemici Regni Marescallus a Bohemis e senestra projicitur, 47. incolumis evadit, 48.

Mathias I. Imperator Lutheranis Bohemis Templi erectionem inhibet, 40. rebelles plecti jubet, 43. eis suam perfidiam exprobrat, 44. Bohemicos tumultus componere, frustra tentat, 63. 109. Principes exteros monet, ne rebellibus milites conscribendi facultatem concedant, 68. injurias suæ auctoritati illatas recenset, 712. a rebellibus non auditur, 82. militem in Bohemiam decernere statuit, 83. eos redarguit, 87. dolosa Protestantium promissa eludit, 94. 108. Cleselii fatum deplorat, 99. Mansfeldium proscribit, 107. Bohemis petita concedit, 286. armorum inducias concedit, 287. milites conscribere cogitur, 289. moritur, 290. ejus vita & elogium, 291.

Mauritius Hassiæ Landgravius Saxoniæ Electorem contra Cæsarem incassum sollicitat, 591.

Mauritius Nassoviæ Princeps Gomaristis favet,

favet, 5. 9. ſuas Arminianis urbes eripit, 130. 132. Fridericum ad uſurpandam coronam ſtimulat, 462. a Spinola fugatur, 676.

Maximilianus Auſtriæ Archidux Cleſelium aula excedere jubet, 97. moritur, 180.

Maximilianus Bavariæ Dux a Proteſtantibus ſollicitatur, ne contra rebelles Cæſari opem ferret, 96. ejus reſponſum, 96. rebelles a Pilsnenſi obſidione fruſtra dehortatur, 106, a Bohemis ſollicitatur, ne exteris copiis tranſitum permittat, 295. ejus reſponſum, 296. a Friderico in Cæſarem doloſe eligitur, 321. ab eodem de ejus mente exploranda ſollicitatur, 330. egregium Ducis reſponſum, 331. Catholici exercitus Dux conſtituitur, 391. Cæſari opem fert, 395. a Proteſtantibus a Cæſare deficere rogatur, 427. Ducis reſponſum, 431. rurſus ſollicitatur, 445. ejus copiæ tranſitu prohibentur a rebellibus, 618. rem componit, 619. Proteſtantes Principes ad pacem inclinat, 654. in ſuperiorem Auſtriam movet, 656. Bohemos proximæ expeditionis metu ad obſequium revocare incaſſum tentat, 690. executionis diploma Friderico ſubmittit, 691. in Bohemiam irrumpit, 690. plures urbes occupat, 693. doloſas transactionis ſpes a Friderico factas eludit, 704. grave ingentis cladis periculum eluctatur, 705.

ab

ab hoſte premitur, 805. Pragæ locum opportunum occupat, 706. paucis militibus validum hoſtem in fugam agit, 706. Pragenſi prælio crebra velitatione præludit, 707. prælium decernit, 708. aciem inſtruit, 710.

Medicea Maria Franciæ Regina e Bleſenſi cuſtodia profugit, 477. Jeſuitæ dolos eludit, 479. ad Regem Filium ſuum perſcribit, 481. reſponſum ab eo accipit, 483. copias in ſui deſenſionem contrahit, 486. cum aliis Principibus bellum movet, 621.

Michael Sebaſtianus Ordinem FF. Prædicatorum reſtaurat, 178. moritur, 208. ejus opera, 209.

Milhardus Petrus, ejus liber proſcribitur, 469. 471.

Molterus Joannes, ejus opera & obitus, 214.

Molina Antonius, ejus libri, mors, & elogium, 519.

Moncæus Philippus, ejus libri & mors, 517.

Moravi a Bohemis ad ſeditionem ſollicitantur, 296. cum rebellibus fœdus ineunt, 317. Friderico homagium præſtant, 568.

Mulhuſianus Principum conventus, 590. ibidem de Cæſaris auctoritate armis tuenda agitur, 593. ſeditioſos ad obſequium hortantur, 594. Fridericum Palatinum ad reddendum Bohemiæ Regnum monent, 595. ejus reſponſum, 602. ſicut & Bohemorum reſponſio, 605.

N.

Neofoliana Hungarorum rebellium comitia, 666.

Norimbergenſia Proteſtantium comitia, 609.

O.

Ordo Equeſtris de ſancta militia erigitur, 464.

Osmanes novus Turcarum Imperator, 116. a Proteſtantibus ad invadendam Hungariam ſollicitatur, 117. pacem cum Perſis firmat, 118. a Melitenſibus clade afficitur, 118. Legatum ad Bohemos & Ludovicum Franciæ Regem decernit, 117. 119.

Oſſuna Prorex Neapolitanus Venetæ conſpirationis reus falſo creditur, 122.

P.

Paulus V. Pontifex Reformationem Ordinis Præmonſtratenſium confirmat, 32. de Cleſſelii captivitate queritur, 99. Cardinales creat, 181. Paſchalem Baylon Beatis adſcribit, 202. Cæſari ſuppetias fert, 322. 395. Cardinales creat, 502.

Perronius David Cardinalis, ejus elogium & obitus, 186. ejusdem opera, 191.

Perſæ Turcas cædunt, 116. pacem cum illis ineunt, 117.

Petroſa Petrus ſeu Corneio Carmelita, ejus vita, opera & obitus, 206.

Philippus III. Hiſpaniæ Rex Cæſari opem fert, 394.

Philip-

Philippus Christophorus Spirensis Elector contra Protestantes Udenheimium devastantes queritur, 100.
Philippus Guilielmus Arausionensis Dux moritur, 181.
Piereus Pirata conspirationem contra Venetos adornat, 119. ejus excidium, 120.
Pilsna a Mansfeldio occupatur, 105.
Plursium Rhetiæ oppidum repente a dissiliente rupe penitus obruitur, 127.
Posonium a Gabriele Bethlenio occupatur, 697.
Praga, Sacræ imagines evertuntur, 459. 701. rustici in Nobiles insurgunt, 702.
Prædicantes Bohemi populum ad seditionem concitant, 45. 49. sibi solis potestatem in sacra vendicant, 1. 239. Cæsari opem ferre, illicitum esse censent, 527. Galli seditiones concitant, 640. Saxoni Electori illudunt, 684. Fridericum contra hunc concitant, 684.
Præmonstratensium Ordo a P. Servatio Laireuls restauratur, 31.
Protestantes Bohemi seditionem conflant, 39. concessa privilegia per nefas extendunt, 40. comitia Pragæ contra Regni leges celebrant, 41. tres Cæsaris Administros e fenestra crudeliter dejiciunt, 45. dejectos sclopis petunt, 50. tam immane facinus excusare audent, 53. Austriaci Ferdinando juratam fidem violant, 296. Cæsaris subditos Sacramento

ſolvunt, 301. Cæſari inſidias ſtruunt, 391. fruſtra a Cæſare admoniti nova gravamina fingunt, 403. Bavariæ Ducis copias tranſitu prohibent, 618.

R.

Ragotſius Georgius Cæſari fidos indigne habet, 385.

Religioſi in Bohemia a Calviniſtis divexantur, 587.

Rhætia, Zwingliani crudeliter ibi in Valtelinos Catholicos deſæviunt, 124. Plantanos Fratres exilio, & Curienſem Epiſcopum morte mulctant, 125. Ruſcam Archipresbyterum tormentorum vi necant, 126. a Deo puniuntur, 127. novi tumultus, 462.

Richelieu Armandus Lucionenſis Epiſcopus ab exilio revocatur, 487. Reginam ad pacem inclinat, 487. capitur, 488. Reginam Filio ſuo reconciliat, 489.

S.

Sandoval Lermæ Dux Purpura decoratur, 182.

Schlikius Comes Bohemos ad rebellionem incitat, 109. ſacram Crucem everti prohibet, 460.

Scwicardus Moguntinus Elector pro creando novo Cæſare Electores convocat, 292. a Bohemis rebellibus injuſte accuſatur, 315. ſeſe purgat, 315.

Scla-

Sclavata Guilielmus Regiæ Cameræ Præſes, a Bohemis Calviniſtis e feneſtra projicitur, 47. incolumis evadit, 48.
Scultetus Abrahamus Præco Calvinianus Fridericum ad uſurpandum Regnum ſollicitat, 327. ſacras imagines everti curat, 460. a Deo caſtigatur, 461.
Sfondratus Paulus Cardinalis moritur, 183.
Sigismundus III. Poloniæ Rex, oppreſſis Catholicis in Sileſia opem ferre rogatur, 389.
Sileſitæ Proteſtantes Jeſuitas ejiciunt, 304. Cæſarem contemnunt, 305. cum rebellibus fœdus ineunt, 317. comitia Wratislaviæ celebrant, 387. Catholicos divexant, 388. Friderico Palatino homagium præſtant, 568.
Sitticus ab Hohems Archiepiſcopus Salisburgenſis moritur, 503.
Smiglecius Martinus, ejus opera & obitus, 211.
Spinola Ambroſius in Palatinatum irrumpere jubetur, 394. expeditionem ſuſcipit, 674. varias urbes intercipit, 676.
Stainhurſtius Richardus, ejus opera & obitus, 204.
Starenbergius Comes Cæſaris Bellidux ſeditioſos profligat, 588.
Swalbachius Fridericus Fuldenſis Abbas, ſuam Diæceſin reſtaurat, 505.

T. *Taber-*

T.

Taberna Ferdinandus Cardinalis, ejus vita & obitus, 501.
Tampierius Cæſaris Bellidux plures urbes occupat, 91. Viennam revocatur, 92. rebelles cædit, 110. rebelles fundit, 397. glande trajicitur, 700. honorifice ſepelitur, 700.
Thomas a Villanova Beatis adſcribitur, 474.
Turcæ a Perſis profligantur, 116. pacem cum illis ineunt, 118. fœdus cum Gallis renovant, 198.
Turrianus Mathias Comes rebellium Bohemorum caput, 42. tres Cæſaris Miniſtros Pragæ e feneſtra præcipites dari jubet, 46. hujus ſceleris excuſationem in ſe recipit, 52. Budovicenſes ad defectionem a Cæſare minis ſollicitat, 84. Budoviſium oppugnat, 91. a Tampierio profligatur, 91. in Bohemiam irrumpit, 107. Auſtriam invadit, 108. plures Moraviæ urbes Cæſari eripit, 296. Brunnam occupat, 299. Cæſaris ſubditos ſacramento ſolvit, 301. Viennam obſidet, 306. obſidionem ſolvere cogitur, 309. profligatur, 397.

U.

Valentius Erminius Cardinalis moritur, 185.
Vaninus Lucilius Atheus, 493. extremo ſupplicio afficitur, 493. 497. ejus libri, 499.

Uden-

Udenheimium a Spirensi Episcopo ædificatum a Protestantibus destruitur, 100.
Vendraminus Franciscus Cardinalis moritur, 502.
Veneti pacem cum Ferdinando Cæsare ineunt, 34. conspirationem detegunt, 119. reos plectunt, 120.
Vienna a seditiosis cingitur, 306. perversa eorum consilia adversus Cæsarem, 398.
Ulmensis Protestantium conventus, 652.
Uytenbogardus Joannes ob Arminianismum custodiæ datur, 134. pœna afficitur, 254.

W.

Walsteinius Adamus Ferdinandi nomine Bohemis sua privilegia confirmat, 293.
Weigelius Valentinus, ejus deliria, 511.

X.

Xaverius Franciscus S. J. Beatis adscribitur, 474. de ejus dono linquarum, 475.
Ximenez Carolus Carmelita, ejus opera & obitus. 208.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ERRATA *Sic corrige.*

Pag. 56.	quosdem	quosdam
- - -	ſuſceptorum	ſuſcepturum
129	vis	vim
341	typis	typi
482	ſit	ſis
525	Genenſ.	Jenenſ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTICA.
TOM. LVI.

Th 56
5178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN